9
6/4
13
9
2 M
17
9 - 6 - 6 - 13
9 - 7 - F - 34
Digitized by Google

Digitized by Google

XVI.2.2
B.2.

Digitized by Google

DE
BELLO
COSTANTINOPOLITANO
Et
IMPERATORIBVS
Comnenis

PER GALLOS, ET VENETOS RESTITVTIS
HISTORIA
Pauli Ramnuſij.

Editio Altera

Ad Eminentiſſimum Cardinalem
DVCEM DE RICHELIEV
Parem Franciæ &c.



VENETIIS,

Apud Marc. Ant. Brogiolum. M DCXXXIV.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
PRINCIPI
S. R. E. Cardinali.
DVCI DE RICHELIEV
Pari Franciæ &c.

DVm tot beatæ populorum acclamationes immortalis Tuæ Gloriæ, Decus, & Splendorem ad Cęlum euehunt, Votaq; ſolemni ritu pro tua incolumitate concipiunt, CARDINALIS EMINENTISSIME, ego qui nulli vmquam mortalium obſequio in te conceſſi, publicæ me letitiæ libenter hactenus immiſcui, conuentuſque hominum acutè prudenterq; de rebus grauiſſimis ſentiētium ambitioſè frequentaui, vt quanti Galliam Noſtram in Rege Fortiſſimo, & Inuictiſſimo, Regem verò in te Sapientiſſimo, Fortunatiſſimoque, orbis vniuerſus æſtimaret, præſens explorarem. Verùm cùm in illis & Nomen Tuum vtramque paginam facere, & omnes fermè in eius laudibus aut legendis, aut efferendis eloquentes euadere conſpicerem, puduit me tandem, qui Tibi varijs antea quidem occaſionibus innotui, meque totum Tibi deuoui & addixi, non inſtar aliorum facere ſymbolamque quam omnes boni ad Te

Digitized by Google

meritis laudibus ornandum conferunt, tandiù apud me præmere inutilem. Atque dum hæc mecum ipſe reputo, ecce commodum obtulit præſens Rhamnuſij Hiſtoria, quam vt ſtatim Typographus meo ſuaſu denuò parauit in publicum, certè illam quoque multis nominibus dignam iudicaui, quæ ſub Feliciſſimis Auguſti Tui Nominis auſpicijs velut poſtliminio, in lucem, ac hominum exiſtimationem rediret; meque ſimul culpa abſolueret tam diuturni & intempeſtiui ſilentij. Et ſanè cum res præclarè geſtas contineat tot Galliæ Heroum, qui non Orientem modò, ſed Orbē Vniuerſum fama ſui Nominis impleuerunt, cuinam potius deberetur quam Tibi Heroum Maximo, qui antiquam illam Gallorum virtutem rurſus excitas, eamque incendis, & inflammas ad præclara quæque facinora & omnium expectatione maiora perpetranda? Mirabitur enim poſteritas cum audiet, aut leget, quam multa omnibus in munijs, quæ Regum Fidelitati Tuæ commiſit Maximus, aut prouiſa prudenter, aut acta conſtanter, vel reſponſa ſapienter à te fuerint; diuina magnitudine animi Tui, nouaque ſtupeſcet Conſilij dignitate. Si namque Princeps ille Iuſtiſſimus omnia quæ tumultibus plena erant, omnia quæ bellorum ardebant incendijs, glorioſis paccarit armis: Si Heræticorum mentes conſceleratas, & nefarias, quas nec ſanare potuerat, nec vlla linire manſuetudo, proſtrarit: Si Rebelles quibus extorquere gladios, & eripere de manibus faces harduum erat, penitus debellarit. Si proprios reliquerit Penates, Alpiumque inacceſſa pertranſierit iuga, vt Italiam nouo metu, nouo periculo, nouoque terrore perculſam, liberaret: Si in expugnandis Vrbibus, aut ad deditionem cogendis, vſque adeò excelluerit, vt ſi cum omnium Gentium, omnium ſæculorum, omnis memoriæ Regibus conferatur, paucos pares habuerit, ſuperiorem certè neminem: Si in Rupellæ expugnatione, in quam tot Rebellium

furores,

furores, tot curæ, tot vires conuerſæ fuerant, ita fortiter ſe geſſerit, vt non vrbem vnam quæ obſidebatur, ſed propinquos omnes Angliæ Regiones, ac Populos; ipſam etiam Naturam, inaudito aggere, Occeani fluctibus adlabentis iniecto (mirabile futuris ſæculis miraculum!) vicerit: Si ſuis æternum efflorеſcentibus Lilijs quod deeſſe videbatur ad Gloriam, ita adiecerit, vt omnem vincat Immortalis Heros Maiorum induſtriam, nullaque Succeſſorum arte, Marteque ſuperetur in poſterum: Si denique pacti fœderis nuperrime caſtigatis violatoribus, totum ita Regnum paccarit, vt verè ipſi redeant, ac reuiuiſcant aurea ſęcula; nihilque deſit, quod ad Egregij Principis imaginem faciat, ac veluti Polycleti canonem proponendum omnibus, qui Chriſtianam Rempublicam ſunt adminiſtraturi; Nonne id omne Tuis Eminentiſſime Cardinalis, Salutaribus egit conſilijs? Ijs namque profectò, nihil non eſt modò aut metu quietum, aut bello domitum, aut pietate deuinctum. Ijs etiam ad Aequitatem, ad Religionem ad Regni Gloriam ſemper cuncta referri, vel ipſi fateri coguntur Inimici; qui non ſine animi ſtupore Tuæ Immortalis admirantur Gloriæ Monumenta, tot iam Hiſtorijs conſtituta, decorata, diuulgata. Et ſanè quis tam felix, tamque facundum Ingenium; Quis tam maturum Iudicium; Quis tam excellentem rerum Diuinarum, & humanarum cognitionem non ſuſpiciat, non admiretur? Quis eas, quibus ad Dei Optimi Maximi benignitatem proximè videris accedere virtutes, non omni ratione colendas ſibi exiſtimet? At quod hiſce Tuis maximè proprium eſt dotibus, quodque ſine vlla adulationis ſuſpitione, liberè noſcunt omnes, omniſque memorabit Poſteritas, Te Fundatorem Academiæ, Collegia Aedificatorem, Antiqua Sorbona Inſtauratorem, Calamitoſa Paupertas Erogatorem, Litterarum ſtudia Mecœnatem, atque Parentem agnoſcunt, &

præ-

prædicant. Quæ cum ita ſint Purpuratorum Principum Sydus, ac decus, Supremum Numen obſecramus, vt tam præclarum, tamque diuinum omnis virtutis, noſtrique ſæculi Ornamentum, diutius Te Regi, Te Galliæ, Te Litteris ſeruet incolumen; quod quidem communi pietatis deſiderio ſummiſſe Voueo.

Venetijs 29. Septembris MDCXXXIV.

Æternum Tibi Deuotiſſimus

Iac. Gaffarellus.

Digitized by Google

Iacobus Gaffarellus.

LECTORI.

S.

Q*Via iam PAVLVS RHAMNVSIVS in prima huius Operis Editione, nonnullos annotauerat Auctores, ex quorum Lucubrationibus, & Monumentis, quamplurima à Vill-arduino derelicta, excerpſerat, ſuamq; hanc hauſerat de Bello Conſtantinopolitano Hiſtoriam; opere pretiũ eſſe duxi,* Humaniſſime Lector, *Tibi eos denuò ob oculos ponere, vt ijs, tanti operis dignitatem, illiusq; maximam percipere valeas vtilitatem. Auctores autem hi ſunt: Georgius Acropolita; Nicephorus Gregora; Nicephorus Caliſtus Xanticus; Paulus Aemilius; Polydorus Virgilius; Speculum Hiſtoriale Vincentij; Niceta Choniata; Ioannes Zonara; Guilielmus Antiſtes Tyrius; Beatus Antoninus; Ioannes (vel ſi mauis) Bartholomaeus Platina; Joannes Villanus Florentinus; Marcus Antonius Sabellicus; Publicum Tabullarium; Georgius Chodinus; Marinus Sanutus Patritius Venetus; Chronica Anonymi; Benuentendius Reipubl. Venetæ à Secretis; Blondus Flauius Foroliuienſis; Annales Flandriæ, tùm Meyeri, cùm Anonymi, pauliſper Meyero Vetuſtioris; Annales Franciæ Ægidij, ſeu Vulgò, Gyllij; Andreas Dandulus Venetiarum Princeps, cuius Chronicon M.S. vetuſtiſſimum, miſi nuper ad Clariſs. Virum,* Ioannem Bourdelotiũ; *cuius amicitia gaudeo, gloriorq; Chronica Caroldij; Bernardus Iuſtinianus; Claudius Paradinus Gallus, ex cuius Chronico Rhamnuſius exacte huiuſce ſuæ texuit filum Hiſtoriæ, præſertim verò, ex ſuperiùs commemoratis Vill-arduini Lucubrationibus, quas ad vnguem eſt ſequutus, vt ex codice eiuſdem Autographo, quem præ manibus habeo, obſeruare licuit; ſequutus pariter nonnullas (vt vocãt) Relationes, tũc tẽporis receptas, quarũ aliquas ſanè curioſas, Tibi quamprimùm edendas deſtinamus, vt & Geographiã illam Arabicam Principis Syrij Abilfadæ Iſmaelis, quã ex Rhamnuſij Heredibus mihi cõparaui, quamq; ſecũ ex Aphrica alterius nominis, nõ tamen cognominis, Io: Baptiſta Rhamnuſius, ſecum Venetias attulerat; de quo ſic ille in Præfatione Voluminis Secundi Nauigationum, ad commendationem eiuſcemodi tam admirandi Principis, qui planè immortalitate dignum opus illud ſua lingua, in lucem edidit Geographicum, circa annum Egiræ* 715. Sapeua (*inquit*) molto bene le coſe di Filoſofia, e d'Aſtrologia,

& volſe

& volſe ancora egli far al modo delle Tauole di Tolomeo vna particular deſcrittione di tutte le parti del Mondo, che al ſuo tempo ſi conoſceuano: & a queſto effetto riduſſe come in vn Compendio tutto quello che già haueano ſcritto molti Autori Arabi de' gradi delle longitudini, e latitudini di dette parti. *Et paulò poſt*. A far gran beneficio al mondo ſarebbe neceſſaria la liberalità di qualche gran Prencipe, che lo voleſſe far venir in luce fornito, che non gli apportaria forſe minor gloria e più ſtabile e fiſſa, negli animi degli huomini, e di tutta la poſterità, di quella che puo naſcere da gran di Imperij, e trionfi acquiſtati coll'armi. *Interim Lector humaniſſime Librum hunc verè Princeps dignum, cum alijs, quos tibi propediem ex illa Supellectile ditiſſima, quam Eminentiſſimi Cardinalis Richelij iuſſu, ex omnibus tum Italiæ, tùm etiam Orientis partibus conquiſiui, vertendos inſtituimus, æquo exſpectes animo, noſtriſque libenter faueas laboribus. Vale.*

Digitized by Google

MARINVS DE CABALLIS
EQ. ET SENATOR
VENETVS

REIPVBLICÆ LEGATVS AD SOLYMANNVM Turcarum Imperatorem, Byzantio, has, quæ ſequuntur Imperatoris, Imperatricisq; Conſtantinopolitani, & Porphyrogeniti imagines, in hac habitus ſpecie, ſcitè expreſſas, apportauit.

Anno Chriſtianæ ſalutis M. D. LX.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

PAVLI RHAMNVSII VENETI

DE BELLO CONSTANTINOPOLITANO

LIBER PRIMVS.

VENETI, poſt Gotthicum, atq; Hunnicum tumultum, ſub ipſum Longobardorum in Italiam aduentum, vt primum in Inſulas ſe collegerunt, & claſſem aliquam, vt tum eius ſæculi opes erant, comparare potuerunt; ex eo tempore ad hoc ferè pugnis naualibus, & terreſtribus, fato quodam iactati, vel cum propinquis, vel cum longinquis gentibus vario euentu rem gettere. Hoc primum Hiſtrico, & Dalmatico, vt minora omittam, hoc etiam Pipini Regis bello patuit, qui Clodiæ potitus, ciuitate tum propè naſcente, necdum Ducali ſede in Riuoaltum tranſlata, Venetis Medoacum incolentibus, oblatus ſimul, & claſſe deuictus eſt. Hinc animi candore, pietate, & perpetua vitæ innocentia, ſumma virtute coniuncta, per honeſtas artes, in eas opes, & potentiam, quam hodie omnes ſummoperè admirantur, peruenerunt; non enim luxu, non voluptate, non deſidia, quibus vitijs nationes, & regna multa concidiſſe ſcimus; ſed labore, patientia, vigilantia ab

Digitized by Google

initijs non admodum magnis, ad ſummam amplitudinem Rempublicam extulerunt. Quid ego hic bellum Normannicum apud Dyrrachium aduerſus Guiſcardum; Croaticum: Syriacum ad Tyrum; tùm pro focis, & finibus, Hunnicum ad Albiolam; Taruiſienſe aduerſus Ludouicum Hungarorum Regem; tùm verò Proauorum noſtrorum memoria Liguſticum ad Foſſam Clodiam, omnium calamitoſiſsimum, millies antea concertatum; Inſubricum, Cameracenſe, cum poſtremo, dum hæc commentaremur, Turcicum commemorem? Ad Conſtantinopolitanum feſtinat animus: quo ſanè mihi nullum, vel noua intuenti, vel vetera repetenti, aut apparatu magnificentius, & firmius, aut re ipſa difficilius, ac periculoſius, aut omnino admirabilius adminiſtraſſe Venetorum Reſpub. videtur. Quis enim ſingulis Venetis, & Gallis ducenos Græcos hoſtes oppoſitos, ne prælio quidem, ſed oculorum acie diſiectos, & diſſipatos ſine diuino numine exiſtimet? Nunc quemadmodum res geſta ſit, & quàm dilucidè fieri poterit, exponam. Henricus Dandulus, Venetiarum Princeps, anno ſalutis ducenteſimo ſecundo ſupra Milleſimum, Equites Francos, qui votiuæ in Syriam militiæ nomina dederant, Venetijs excipit; quos non modo fama, ſed ipſorum quoq; promiſſo, ac fide pauciores, quod pleriq; Crucigerorum militum (vulgo Cruciatos appellant) diuerſi alios, atque alios portus per cauſam commodioris nauigationis petierant, cum videret, nec ſatis à pecunia paratos intelligeret, vnà tamen vir maximè pius, ad ſacroſancti CHRISTI, ſummi Regis, ſepulchri recuperationem, maiorum exemplo, ſimul ad bellum in Noradinum, Sarracenoſq; coniurat. Syriæ tum Noradinus vniuerſæ, & Palæſtinæ dominabatur. Pater eius Saladinus Aegypti Sulthanus, amplitudine Imperij, & claritate rerum geſtarum, maximè memorabilis: omnium Imperatorum, ac Ducum callidiſsimus, audaciſsimuſq;, & quod eſt in re militari potiſsimum, feliciſsimus, Guidonem Luſcinianum, poſtremum Hieroſolymorum Regem non multos ante annos viuum cępit, omni Chriſtianorum exercitu ſub iugum miſſo. Dandulus igitur cum multi Europæ populi Regeſq; finitimi Reip. Venetæ amplitudini, & gloriæ inuiderent, omnibus tamen quieſcentibus, & nemine ijs, qui pro religione pugnarent, negotium faceſſente; primo quoq; tempore ſummis viribus diurna, nocturnaq. cura bellum parat. Claſſem omnium ad eam diem ex omni memoria, & numero hominum, & virtute maximam, rebusq; omnibus, quæ bellorum vſui eſſent, ornatiſsimam, veteribus nauigijs refectis, nouis compactis, educit. Nemo

mo profectò Venetijs fuit, qui per ætatem arma ferre poſſet, qui non libentiſſimus eo bello ſe in Crucigerorum claſſe cenſeri vellet, aut ſtipem conferret. Id quidem conſilio longè optimo: cum Dandulus ſummæ prudentiæ Princeps fore proſpiceret, vt, niſi Aegyptio Sulthano fracto, & Sarracenorum rebus afflictis, Veneta Ciuitas (quæ rebus Syria, atque Aegypto inuectis, magis quidem quam reliquo terrarum orbe diteſceret) magnis afficeretur incommodis. Sic exquiſito apparatu, neſcio quis caſus in itinere, Venetorum, & Francorum pium animum non tàm mutauit, quàm deflexit paululum, ac diſtulit, vel pietati potius ſucceſſit pietas. Vtriq; enim votiuo Exercitui, impietas Alexij Angeli Comneni, in Iſaacium fratrem Conſtantinopolitanum Imperatorem, & iuniorem Alexium Iſaacij filium Cæſarem, vindicanda, per Legatos Philippi Sueui Theutonum Regis offertur. Deinde verò, piæ cauſæ ſuaſor, Innocentius Tertius, Pontifex Max. pios milites hortabatur, vt Eccleſiam Græcam, eiuſq; Patriarcham Conſtantinopolitanum, de ſanctiore patrum curriculo deflectentem, in viam reducerent. Itaq; bellum Conſtantinopolitanum, quod ſine ſumma impietate repudiati non poterat, à Veneto, & Gallo & ſummis opibus, & ſumma pariter alacritate ſuſceptum. Et quamquam omnes, ea, quæ in præſenti bella geruntur, ſemper maxima ducunt, quod eos animi pendentes Mars communis tamdiu teneat, dum alterutram partem pignerauerit, quod tamen difficillimum, periculoſiſſimum, & maximè admirabile fuerit, niſi re confecta liquidò iudicari non poteſt. Difficillimum certè bellum, & periculoſiſſimum, aut cædes, & vulnera cuiuſq; fortiſſimi Equitis, & claſſiarij, aut res nulla militaris arguit. quod ſi vllo in bello, in Conſtantinopolitano maximè vſu veniſſe conſtat. Nam debellatis Græcis, & Imperio ad Latinos tranſlato, hinc in Myſos, & Triballos, homines barbatie ipſa barbariores; inde cum Theodoro Laſcare, qui perditis Græcorum rebus, Pontum, & Bithyniam tenebat, bellum opinione exitioſius, & crudelius, terra mariq; commoueri neceſſe fuit: cuius exitus planè diri, & miſerabiles fuerunt. Deinde, id ſanè quidem tanto maioribus animis, quàm vllum antea geſtum, quanto maior, ac præſtantior victori merces propoſita fuit. nempè Conſtantini Magni, atq; Orientis Imperium: tùm, quod pro aris, & religione, vehementius quàm pro finibus dimicatur: quod hæc in Deum pietas, primus eſt piæ, & iuſtæ fortitudinis gradus. Pulſi finibus, alias ſedes quærere poſſumus, erepta religione, ne horam quidem ſpiritum ducere

velimus. Poſtremò, fama ſatis fidem fecerit, ad hunc vſque diem conſtans, à qua illud bellum maiorem in dies admirationem habet. Hæc niſi veritate niteretur, vetuſtate profectò, aut euaneſceret, aut ſenſim extenuaretur. An non præter cætera admirabile videtur, quod multis ante ſæculis vates prædixerunt; quod prodigijs inſignitè notatum? cui deniq; conficiendo nemo homo Dux, ſed Deus aliquis opus fuit? ſuperiora bella ludi Martis, hoc, meræ ærumnę, & labores. At Conſtantinopolis, octauo, quàm oppugnata eſt, menſe, poſt iuniorem Alexium reſtitutum, expugnata. Concedo, & verum eſt. Sed nimirum hoc belli periculum grauius oſtendit. nam, quò citius bello finis imponeretur, eò magis nauibus, & equis connitendum erat. Præterea Gallum prælio magis, quàm bello ſtudentem (quod aliquando eueniſſe audiuimus) ſemel omnia in aleam iacere, ipſi, Reiq; pub. Venetę periculoſiſſimum. nec verò, quia vrbis obſidio, vel oppugnatio, longior & diuturnior eſt, idcirco periculoſior exiſtimanda, atq; operoſior. Sed rei difficultatem, pugnę, cędes, detrimenta vtrinq; accepta, declarant, niſi verò, bellum Gallicum, quàm Hiſpanienſe populo Romano minus aſperū fuit, quòd Galli decem annis victi, & in Prouinciam redacti ſunt, Hiſpani ne centum quidem annis domiti, ſtipendium, aut tributū populo Romano dependerunt. Sed aliter ſe res habet. Bellum id periculoſiſſimum, ęrumnoſiſſimum, & difficillimū exiſtimare debemus, quod ſtrenuiſſimos quoſq; fatigauerit, aut extinxerit: quod victori Veneto poſt tot ſæcula, Maritimi Principatus nomen laudemq; pepererit. At titulum maris Imperij, Sebaſtianus Zianus Reipub. Princeps, Othone Cæſare Federici Ænobarbi filio ad Salborium Hiſtrię promontoriū claſſe ſuperato, ac memorabili illa parta victoria, adeptus eſt. Fateor, & ſpecioſus ſanè hic titulus fuit; ſed, nihil ad Danduli appellationem, quam eius virtus, quarta cum dimidia Imperij Conſtantinopolitani parte Reipub. adiecta, armis expreſſit. Ea demum ſolida Imperij appellatio: & iuſto marte quæſita fuit. Quid amplius argumentis vtor, qui Gotthofredum Villharduinum, Campanię Mareſchallum, ob eximiam virtutem ſummę apud Gallos exiſtimationis, teſtem in primis verum, & religioſum, atq; huius hiſtoriæ, & ſcriptorem, & actorem affero? nec enim ei bello ſolùm interfuit, ſed etiam præfuit. Quamobrem, quæ tum Venetorum, & Francorum virtus fuerit, quæ animi præſtantia, ex eiuſdem Gallicis Commentarijs licet agnoſcere. In quo equidem vereor, hoc noſtro labore, ne huius ſæculi hominibus ignauiam, & imbecillitatem

expro-

exprobrare videar. Has tamen ego partes mihi nunquam ſumpſi;ſed patrij ſplēdoris deſiderio incenſus, vt gloriam ex rebus ad Conſtantinopolim geſtis optimè partam,ad perenne Veneti nominis decus, etiam poſt tot ſęcula extra omnem inuidiam obuenientem, cum exteris hominibus communicarem; hoc vnum ſtudui, vt noſtri æui mortales,ſeſe à Villharduino moneri,& fortaſſe dormientes ad maiorum virtutem, & gloriam excitari, æquo animo ferant: cum præſertim magni numinis præclaro inſtinctu à Chriſtianis fracta ſuperioribus annis ad Echinadas, & ad internecionem deleta Selymi Turcarū Imperatoris claſſe, ipſoq; Selymo omni maritimo honore ſpoliato, Chriſtianæ Reip. fata viam aperuerint, eundemq; Deum mox aſpiraturum procul dubio ſperemus, vt à Chriſtianis capta iterum noſtro æuo Conſtantinopoli, ſubacta Græcia, & Macedonia, Aſiæ, Africæq; maiore parte, ſed ipſo potiſſimum CHRISTI, ſummi Regis Sepulchro, & Hieroſolymorum Regno, qui verus erit pij belli fructus, in Chriſtianorum poteſtatem redacto, Chriſtiana gens, deleto hoſte communi, parta per ſummam victoriam pace, perfruatur. Sed hoc Deus Opt. Max. pro noſtra in ſe pietate præſtabit. Nos verò, nè longiore lectorem oratione teneamus, his paucis contenti, iam hinc ab ipſa Hieroſolymitani Regni inclinatione, qua ſacrum bellum inſtauratum eſt, Conſtantinopolitanam ordiemur Hiſtoriam.

CVM multa ſingularia ſunt noſtræ religionis decreta, tum illud diuinitus de iure belli inſtitutum, nullam Chriſtianis inter ſe,niſi, vt ſua tueantur, bellandi iuſtam cauſam eſſe poſſe: eſſe autem aliquod bellum pium; quo fit, vt id ſolum iuſtum exiſtimetur, quod pium ſit. Pium verò, quod in impios religionis noſtræ hoſtes, præcipue pro CHRISTI Sepulchri repetitione in amplificationem Eccleſiæ,Pontifice Max.tanquam feciali,authore gereremus. Romanus enim Pontifex, ex vna hac re,pietatis laudē maximam capere ſtudet, ſi Eccleſiæ hoſtes, qui ſanari non poſſunt,in vltimas terras exterminat,ſi religionem amplificat,& quod caput eſt,ſi ſacrum CHRISTI Sepulchrum vindicat. Nam Deus,ex toto orbe terrarum vnam Solymorum regionem,vel ipſius Dei voce,lacte,& melle fluentem, & patribus millies promiſit,& teſtamento ſui cultoribus reliquit: quam, ab impijs Chriſtiani nominis hoſtibus detineri turpiſſimum eſt. Ad hæc, quò Dei cultorum numerus maior eſt, eò hominum in ipſum pietas Illuſtrior, & proinde Pontificia dignitas auctior. Pontifici verò in primis facile eſt, piorum in impios mentes colligare, atq; arma con-

coniungere, quòd ſacerdotes ſoli ius ea de re concionis ad populum habeant: quodq́; apud eos cuncti fidem, quam Deo habenr, ſtato anni tempore profiteantur. Nam, præter belli pramia, votiuis militibus ab ſcelere expiationem indulgeri, mortuis quidem in pugna à Deo certum locum in cælo aſſignari, ſuperſtitibus autem in diem fati ſeruari, publica ad hanc vſque diem perſuaſio eſt. Sic Vrbanus II. Pontifex omni laude beatus, Chriſtianæ ſalutis anno Milleſimo nonageſimo quinto, ad Claromontem Auernorum Galliæ oppidum, Petro Ambiano Fremita in primis pio, populum grauiſſimis concionibus adhortante, Hugonem Magnum, Philippi Francorum Regis fratrem, Robertum Flandriæ Comitem, Robertum item Normannum, Guilielmi Anglorum Regis filium, Stephanum Carnutum, & Bleſentium Comitem, ſenioris Theobaldi Comitis Patrem, Ademarum Podienſem, Guilielmum Arauſienſem Epiſcopos, Raymundum Tholoſatium, & Sancti Ægidij Comitem, Gotthofredum Bullionem, Euſtachij Bononiæ Belgicæ Comitis filium, Lotharingiæ Ducem, complures Regulos, & Barones, peditesq́; ad ducenta millia, equites, tùm cataphractos, tùm galeatos, ad centum millia, qui votiuæ militiæ, ad recuperanda Hieroſolyma, nomina darent, honoris Dei cauſa, Europa in Aſiam elicuit. Sic Lucius II. ſic Eugenius; ſic Gregorius; ſic Clemens; & quiſquis deinceps iuſti Pontificis nomine dignus fuit, ad Hieroſolymitani Regni tutelam, & præſidium, non modò Equites, Barones, Regulos, ſed Reges etiam ſummos, & Imperatores pietatis cauſa excitarunt, tanta omnium populorum approbatione, & plauſu, tanto omnium concurſu, vt omiſſis liberis, vxoribus, & quæ ipſis chariſſima erant, ad CHRISTI Sepulchrum recuperandum exirent. Regnauerant Hieroſolymis duos de nonaginta annos poſt receptam Vrbem, & Chriſtianorum Regnum à Gotthofredo Bullione in Syria conſtitutum, nouem pij continuata ſerie Reges, Balduini, Falcones, Almarici, reliquiq; poſt Almaricum, Balduini. ex his, Guido Luſcinianus, nouiſſimus Hieroſolymorum Rex, Vrbano III. Pontifice Max. à Saladino Ægypti, Syriæq́; Sulthano, Chriſtiani nominis in Syria, & Iudæa extinctore, non multos ante annos fatali prælio ad Tiberiadem, captus eſt: hinc iuniore Raymundo Tripolitano Comite, turpiter ſe dedente, inde Bohemundo Antiocheno, omni principatu exuto: Ptolemaide etiam, Biblio, Gaza, Beritho, Aſcalona Ioppeq́; oppidis non ſine Chriſtiani nominis ignominia, & clade, direptis, & dirutis: Et malo quodam Chriſtianorum fato euenit, vt quemad-

quemadmodum ab Vrbano II. Pontifice Max. auſpicia Hieroſolymitani Regni cœperant, ſic anno ſaluris Milleſimo centeſimo octuageſimo ſeptimo, Vrbano III. Pontifice ſedente conciderent. Nunquam poſtea Sacroſancta Ciuitate (vt ſunt dira inter ſe noſtrorum hominum diſsidia) à Chriſtianis recepta. Iam tum Aenobarbus Imperator, & ſecundum eum Philippus Auguſtus Galliæ, & Richardus Angliæ Reges, in Syriam traiecerant: cum eodem Veneti, Ligures, Piſani, ingentes copias, & claſſes parabant, accifis noſtrorum rebus opem laturi. Sed diro, inſanoq; Richardi, & Philippi Regum in Syria diſsidio, piorum conatus in nihilum reciderunt. adeò, vt re infecta, Regibus in Europam, alijsq; aliò dilabentibus, Guido Hieroſolymorum Rex carcere elapſus, Palæſtina, & Syria diſcedens, Ptolemaidis, Regniq; recuperandi deſperatione, quam de Equitibus qui Templarij nominabantur, paulo ante emerat, Cyprum ſe recipere cogeretur. Quæ Innocentius III. Pontifex Max. ſuo animo ſollicitius reputans, ſimul & Chriſtianæ Religioni, atq; Europæ metuens, quod eò Saladini, & Sulthanorum Aegyptiorum claſsis de improuiſo inuolare conſueſceret (quandoquidem Sarraceni inopinatam Siciliam, & eam Italiæ partem, quæ inter Locros, ſinusq; Scyllacæum, & Tarentinum interiecta eſt, à veteribus magna Græcia dicta, inuaſerant) maximam vim pecuniæ vndecumq; gentium cogere, indeq; votiuum Exercitum per diſertiſsimos Concionatores (qua Chriſtianæ religionis initia caperentur) quam copioſiſsimum facere conſtituit. Siquidem Europa, non modò veteris, ac diuturnæ pietatis ſtudio, ſed etiam recentis ita flagrabat, vt maiorum ſuorum gloriam ſuperatura videretur, ſi ducem, & ſigniferum haberet. Ille, ex omnibus populis, vnos primum Gallos, vt natura bellicoſiſsimos, ita religioni deditiſsimos, etſi ſponte currentes, legationibus incitat, & eò celerius, quod certior eſſet factus, ea tempeſtate Fulconem, Virum qui ſe in hominum admirationem, & gratiam, antiqua illa religione inſinuaſſet, Francis iam bellicum in Syriam canere.

ANNO igitur à natali die CHRISTI Milleſimo centeſimo nonageſimo octauo, eodem Innocentio III. Pontifice Max. & Philippo Auguſto in Francia; in Britannia autem Richardo, qui cor Leoninum dictus eſt, regnante, Fulco, cognomento Nuyllianus, vir ſingulari ſanctitate, & idem Nuyllij Parœciæ Curio (id oppidum inter Latiniacum ad Matronam, & Lutetiam Pariſiorum interiectum) non in Francia modò, ſed apud finitimos, de cultu Dei, & religione MCXCVIII.

aſſeren-

Digitized by Google

aſſerenda ferè quotidie conciones habebat. aiunt, hominem per to-
tam fermè Galliam, inſtinctu diuino, afflatuq; concitatum, mirifica
diuinitatis exempla edere ſolitum, ita vt hominis fama Innocentius
incredibiliter commotus, ei, Crucis ſignum, ſingulare ad bellum ſa-
crum incitamentum (Cruciatam appellant)omnibus denuntiandum
mandaret. Id, quod Vir ſanctus, & religionis colens paſsim per vr-
bes habitis concionibus, purè & caſtè Dei numini facilè tribuit. nec
ita multò poſt, eò Pontifex Petrum Capuanum Cardinalem, dextro
humero Crucis rubræ inſigne auſpicatò geſtantem, legauit, qui di-
ploma delictorum gratię à Sede Apoſtolica proponeret,& conciona-
tores ſelectos tota Gallia promulgare iuberet. in eo diſertè perſcri-
ptum erat, qui annum in votiuo Exercitu militauerit, eum, modo
criminum humana fragilitate præter inſtituta legis impiè commiſ-
ſorum, pœnitentiam ageret,Chriſtiano ritu confitentem, omnibus
delictis exolui. Hic, complures tanta Pontificis indulgentiſsimi
gratia illecti, & Fulconis perſuaſionibus excitati,rubram crucem
amiculo, quo dexter humerus tegitur, certatim conſuere. Anno
verò proximè inſequente, nonageſimo nono ſupra milleſimum atq;
MCXCIX. centeſimum ludi equeſtres indicti ſunt, in Circo ſpacioſo Agrij
(quod Caſtellum in Campania Briæ appoſita, ſitum) conſtituto,
circiter Kal. Decembris, quod tempus, Aduentum Natalis, Pon-
tifices in faſtis nominant, maximo Equitum conuentu diuinitus e-
uenit, vt Theobaldus Campaniæ, & Briæ Comes Palatinus (hic
Comitatus in fidę Regum Franciæ poſitus hodie, quem definiunt
Bria, Remi, Lingones) viginti duos annos natus, Ludouicuſq; Ble-
ſenſium, Carnutum, & Claromontanorum Comes, viginti ſeptem,
ambo regiæ proſapiæ iuuenes, cruce egregia voluntate inſigniren-
tur.Hos inſequuti ſunt permulti Franciæ Barones, veterani omnes,
& bellica laude, & ſtudio, erga Campanum, & Bleſenſem admodum
illuſtres. In his, Symon Monfortenſis, & Reginaldus Monmirallus,
inclyti inter Principes nominis: iidemq; cùm nobilitate,tùm virtute
ſupra cæteros commendabiles. Illico de talibus, & tantis Viris fa-
ma in finitimos diſsipatur. qui, quòd rubræ crucis inſigne humero
affixum geſtarent, Crucigeri appellabantur. In Campania Theo-
baldi Principis exemplum ſecuti, Garnerius Tricaſsium Epiſcopus,
Gualterius Comes Brennæ, Gotthofredus Ioinuilla Campaniæ Se-
neſchallus, cum Roberto fratre; Gualterius Guignorus, Gualterius
Montis Beliardi, Euſtachius Confluentinus Rhenanus, Guido Pleſ-
ſeius cum fratre; Henricus Ardilierius, Odgerus Sancleron, Villa-
nus

Digitized by Google

nus Nuylliacus Eques in primis bellicoſus, cum Guilielmo fratre; GOTTHOFREDVS VILLHARDVINVS Campaniæ Mareſchallus, qui huius belli Commentarios, illos quidem veros, ſed nudos, nec omnia complexos conſcripſit, eiuſdemq́; ex fratre nepos, Gotthofredus; Gualterius Fuilimeſus, Conradus Montiniacus, qui nulla lucri cupiditate, ſed cęleſtis tantum vitę prꝙmio ferebantur, arma cupiunt, & ęquata pietate veſtibus rubram crucem miſcent. Mox Manaſſes Inſulanus, Macarius Sanmanechaus, Milo Brabantius, Guido Chappiacus, Clarambaldus eius nepos; Reginaldus Dampetra, Ioannes Fiſnones, alijq́; quamplurimi ex finitimis gentibus nobiles, viri fortes, ac bellicoſi, & qui per aduerſos ſimul, & proſperos vitæ ſucceſſus ſingulari virtute arma tractarunt, citatis animis deuotiſq́; corporibus in Crucigeris habentur. Lodouici Bleſenſis, & Carnutum Comitis clientes, & familiares, neq́; animi magnitudine, neq́; Chriſtianæ pietatis ſtudio Campanis Equitibus inferiores, ad accipiendam belli teſſeram conueniunt, quum ſacrum bellum vnum omnium, & iuſtè ſuſceptum, & certis Innocentij Pontificis Max. auſpicijs in Syriam ad victoriam proficiſci vniuerſis perſuaſum eſſet. Hos, quòd virtutis opinionem, aut generis commendationem haberent, ſilentio Villharduinus prætereundos non putauit. Crucigerorum igitur ex Bleſenſi parte principes cenſent, Geruaſium Caſtellanum, Heruillum eius filium, Ioannem Virſinum, Oliuerium Rochefortem, Henricum Montrolianum, Paganum Aurelium, Petrum Braiaquellum, Hugonem eius fratrem; Guilielmum Sanioannem Striaſenum, Gualterium Gandeuillanum, Hugonem Cormeriacenum, Gotthofredum eius fratrem germanum; Heruillum Bellouiſum, Robertum Froeuillanum, Petrum eius fratrem; Aurium Inſularum Equitem præſtantiſsimum, Robertum Quadrigarium. magna prꝙterea Nobilium multitudo, qui admirabili virtute præſtabant indumentis rubra cruce obſignatis, ad pium bellum conſpirant, & conſentiunt, quorum nomina, vt conticeſcat Villharduinus (erant enim Crucigeri ex Bellouacis, Rhemis, Carnutibus, & omnibus ferè partibus Comitatus Bleſenſis innumerabiles) lex Commentarioli admonet, vel potius iubet. Tantùm omnium ad bellum ſtudium fuit, vt omnes vndiq́; populi, voto ſuſcepto, arreptis armis rubras cruces nulla ſpe ſtipendij, ſed ne prædæ quidem, pro ſua quiſq́; pietate, caperent. quinimò qui votiuæ militiæ, vltro nomen non daret, apud omnes vti deſes, & parum pius, quòd ſacro bello minimè intereſſe vellet, ignominia notaretur. In Francia peninſula, ad tranſmari-

nam militiam nomen dantes, Cruce ſignati voluntarij confluunt:
Nubilonus Sueſsionum Epiſcopus, Matthæus Monmorentiacus,
Guido Caſtellanus, Cocyacus eius fratruelis, qui Equitum alas no-
bilitate, ac cultu omnium lectiſsimas, atq; ornatiſsimas ducebant.
Hos præter, Robertus Maluicinus, Druſius Creſſoneſſarus, Ber-
nardus Montrolienſis ad confluentes Sequanæ & Ionæ; Enquerar-
dus Bonnenſis, cum Roberto germano fratre, ſplendidè armis, atq;
equis inſtructi, ſubſequuntur. Hic multi Franci homines magni ani-
mi, ſi Villharduinum Annalium legi morigeratũ intelligent, ſeſe non
iniquo animo, hac recenſitione excluſos ferent. Cęterum appetenti-
bus quadragenis verni jeiunij diebus, anno poſt CHRISTVM natum
M CC II. milleſimo ducenteſimo ſecundo, eo die qui Cineralia conſequitur,
VI. Kalen. intercal. prior. & Diui Matthiæ honori addictum diem
præcedit; Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ Comes, vnà cum Ma-
ria Vxore, quæ Henrici Largi, Campaniæ, & Briæ Comitis Palatini
filia fuerat, Theobaldi Campani Comitis ſoror, pari pietate, ſed
feliciori, quàm quiſquam fato, Brugis in Belgij finibus notam Cru-
cigerorum accipiunt. Mox, Henricus Balduini frater, deinceps
Theodoricus ipſorum fratruelis, qui Philippi Namurcenſis, & Lo-
uanienſis Comitis filius fuerat, maxima piorum lętitia, in Votiuorum
numeris cenſentur. Balduinus inſignitum ſe nota illa vt indicauit, om
nibus ad benè de votiuo bello ſperandum, certum ſignum ſuſtuliſſe
viſus eſt. Itaq; eius partes cupidiſsimis animis vltro ſequuti, ex Ar-
theſio, Guilielmus Aduocatus Bethunienſis (is Bethuniæ magiſtra-
tus eſt ampliſsimus, ſic dictus, quia tenuibus contra potentiores ad
opem ferendam aduocaretur) cum germano fratre Conone Viro elo-
quentiſsimo; Ioannes Nigellanus Brugarum Caſtellanus, Balduini
Comitis cliens, quòd ab eodem Brugenſem Caſtellaniam, Feudum
Flandriæ, homagio, vt loquuntur, cliens fiduciarius tenebat; Ray-
nerius Traiectenſis ex Aduaticis, qui Brabantes ſunt ad Traiectum
Moſæ, Raynerius eius filius; Matthæus Valencurius ex Namurcis,
Iacobus Auennes, Balduinus Bellouiſus, Hugo Bellinenſis, Ger-
hardus Machortius, Odo Hamus, Hami Caſtelli in Veromanduis
Toparchus; Guilielmus Gominius, Druſius Belramus, Rogerius à
Marchia, Euſtachius Sambruicus, Franciſcus Colomenſis Agrippi-
nas, Gualterius Buſierus, Raynerius de Monte, in Hannonia ad Ca-
ſtrilocum; Gualterius Stombenus, Bernardus Soubrenchenius, plu-
rimiq; alij familiares, beneficiarij, & clientes Balduini, qui cum in-
gentibus armatorum copijs ad repentinum Comitis Edictum conue-
niunt,

Digitized by Google

niũt: quorum nomina in tanta multorum fortium Virorum copia, in ſilentio iacere neceſſe eſt: Omnes tamen Crucem rubram, pij animi ſignum & notam, ſibi aptare; qui non idem faceret, is ſibi ſacer, & alia quàm votiua militia inexpiabilis, videbatur. Sic, in ciuitate Principum virtus, non ipſis ſolùm ornamento eſt, ſed exemplo etiam reliquos ciues ad pij belli ſtudium cohortatur. Comes enim ſuis ciuibus, tanquam exemplar antiquę pietatis, ad imitandum proponitur. ſic mirabiliter Flandriæ, & Hannoniæ vniuerſa nobilitas ad Hieroſolyma, & Palæſtinam Noradini ſeruitute liberandam pietate exarſit, vt cęptam ſimul, & conflatam belli tranſmarini coniurationem diceres. Poſtea Crucem amplectuntur Hugo Comes Sancti Pauli, in finibus Attrebatum, & Morinorum, Petrus Ambianus ad Somonam eius nepos, Eques ditiſsimus, optimus, fortiſsimus. Euſtachius Canthellus, Nicolaus Mayllius, Anſelmus Leodienſis, Guido Aeſdinenſis, Gualterius Nigellanns, Petrus eius frater germanus; & complures alij, quorum nomina memoria non tenentur. Subinde Gotthofredus Comes Perticenſis (is autem Comitatus, qui apud antiquos in Vnellis fuit, penè vndiq; confines habet populos Carnutes, Cœnomanos, Andes) eiuſq; frater Stephanus Crucigeri, tanquam familiam ducunt. Robertus Monfortenſis, Iuo Vallenſis, Antimericus Villaregius, Gotthofredus Bellomontanus, ſuper Iſaram in Belgis; necnon plerïq;, quos nominatim appellare, ne, ſi cupiam, quidem poſsim, in numeros referuntur. Tantus deniq; vniuerſa in Gallia omnium ad pium bellum ardor erat, vt qui nouiſsimus militiæ votiuæ nomen dediſſet, tanquam Chriſtiana proditione infamis, nunquam ſibi poſthac lucem aſpicere fas putaret. Horum verò nomina potiſsimum Villharduinus edidit, quod omnes ferè ipſi ex Baronum ambactis, familiaribus, clientibus, ſuæq; factionis hominibus, equeſtres, pedeſtreſq; copias ad Crucem reſcriptas cogerent. quos idem non ita nominibus notos, tacitos relinquit. Nec verò quenquam faſtidiendum duxit, cuius nomen in memoria hæreret, quòd omnes pro eo ac dignum ordinibus militem decet, animatos iudicabat. Barones igitur Conuentum Sueſsiones indicunt, vt de die profectionis, quaq; iter commodum facerent, de communi ſententia conſtitueretur. Verùm multis dictis dicendo conſumptis, Conuentus producunt, eoſq; Compendium (id oppidum in finibus peninſulæ Franciæ ſitum eſt) reijciunt; vt quæ ad eos retuliſſent, deliberatius concoquerentur. Comperiebant etiam, eorum, qui nomina dediſſent, recenſu habito, numerum opinione pauciorem eſſe.

Ita, neceſſariò coniurati Comites, Barones, Equites, ſingulis bimeſtribus totius anni, Compendium conueniunt. Ibi, Legatos, qui ex omnibus ei rei maximè idonei viderentur, quoſq; ſinguli Comites de ſuis proferrent, creandos cenſent; vt quibus domi fidem maximam haberent, ita his, foris ſummam rerum omnium poteſtatem facerent. Quo factum eſt, vt Theobaldus Campanus, Gotthofredum Villharduinum, Campaniæ Mareſchallum, virum ſolertem, & maximè cautum, cuius ingenio magnoperè confidebat, & Milonem Brabantium delegerit. Balduinus porrò Flandriȩ, & Hannoniȩ Comes, Cononem Bethunium, & Alardum Macharellum. Ludouicus Comes Bleſenſis, Ioannem Friaſçum, & Gualterium Gandeuillam edunt, quos vbiq; ſuo loco eſſe iubent. Iam tum ſex Legati Comitum litteras quibus videretur auferunt. Sed cum nuſquam Exercitui traijciendo opportuniores portus, nuſquam maiorem nauium numerum, quàm Venetijs eſſe cognouiſſent, conſenſu communi Maſsilia, Genuaq; omiſſa, quàm maximè poſſunt itineribus, per Alpes Cottias & Cineſium montem, Venetias petere contendunt. eoq; circiter idus Februarij, prima Quadrageſimalis ieiunij hebdomadȩ perueniunt. Ea tempeſtate Henricus Dandulus vſu rerum, & patriȩ charitate præſtantiſsimus, Venetæ Reipub. præerat. Vir in ſenectute, ſupra quàm dici poteſt, pro annis viridi, & viuida; fortitudine verò iuxta, ac ſapientia magnus, ita, vt ſapientia, quȩ propria ſenum eſt, animum aleret, atq; augeret. Is, cum ſuis Ciuibus aduenientes Legatos, perdiu admiratus, humaniter, ac liberaliter ſuſcepit, & ingenua procumbentes hilari oſculo excepit, atq; alleuauit. De his percunctati, quæ cauſa, tàm longinquæ ex Belgio ad Senatum Venetum peregrinationis eſſet. Villharduinus Legationis princeps, litteras à Comitibus Dominis ſuis tradit, quæ ipſum rerum omnium certiorem facerent. Litteræ autem erant fide publica munitæ, vt quicquid Legati cum Veneto paciſcerentur & tranſigerent, Barones amplecterentur; quarum ſententia hæc fuit. Quamcunq; fidem nuncij quos mittimus cuiq; dederint; quæcunq; egerint, geſſerint, fecerint, ea ipſa nos Comites, pro ratis, & ſanctis, omnia inuiolabili fide habituros, Deum Opt. Max. peierantium Vindicem, hominesq; teſtamur. Dandulus ad hæc reſpondet, ſe lectis Comitum litteris planè intelligere, Comites quum à Regibus diſcederetur, omnium eſſe fortiſsimis, ac præſtantiſsimis animis, illos quidem mittere, vt quicquid eorum verbis ſibi referrent integram fidem adhiberet, & ſtabile, firmumq; quicquid agerent ęxiſtimaret. Ad hæc Villhar-

duinus

duinns, ſuppliciter petere, vt ſibi Senatum in craſtinum dare velit, apud quem ſuorum Comitum mandata bona fide perorent. Ab eo die, quartus à Dandulo dictus eſt, quo frequenti Senatu audirentur: ad conſtitutum Legati adſunt, & in Principis Palatium magnificentiſsimum (quæ tum Vrbis opulentia fuit) omni rerum copia, quæ hominis, arte & ingenio ad ornatum comparari poſſunt, ingreſsi; Principem vna cum Concilio offendunt: & præ cæteris Villharduinus ſtans, ita mandata expoſuit. Nos, ad te Dux Dandule, Barones Galli, genere quidem omnium nobiliſsimi, ſed animi magnitudine multò nobiliores, veræ pietatis, atq; immortalis gloriæ ſtimulis excitati, ad CHRISTI iniurias vindicandas, ad Hieroſolyma, & Palæſtinam, in quibus ipſius Dei, & Incunabula, & Sepulchrum, ſine cultu, & honore, quem tamen diuinum certè ei haberi oportebat, ex Sulthani Ægyptij, & Sarracenorum manibus, pio martè recuperanda, allegarunt. quandoquidem Vos nauali ſcientia præſtantiſsimi, rebus benè, gnauiterq; geſtis. Federici Ænobarbi Cæſaris claſſe fuſa fugataq;, Othone filio cum Illuſtribus Viris captiuo Venetias adducto, maris Imperium, ad perennem Veneti nominis gloriam, vobis iampridem peperiſtis. Oppudeat verò nos eius teſtamento hæredes ſcriptos, Hieroſolyma, ac Palæſtinæ maximam partem, hæreditatem paternam, per Sarracenum hoſtem, non tàm ſua virtute, quàm noſtra oſcitantia, atq; ignauia potentem, non cernere. Et quoniam Venetus, & Gallus pari pietate inflammati, ex ſuperioris ſæculi memoria, virtutis opinionem terra, mariq; (quod vtrq; Deum benè fortunare velim) præter ceteras nationes, maximo merito, vel ſoli habent, perfacile factu eſſe in patrum veſtigijs inſiſtentes, cum Tyro, ac Ptolemaide maritimis Vrbibus benè munitis, & copioſis, recens captis potiamur, Palæſtinam recipere. nec dubium eſſe, Ægyptios, & Sarracenos, homines molles, magiſq; tumultibus, quàm bellis exercitos; magiſq; ſcientia, & artificio, quàm virtute pugnare aſſuetos, non acie fortiſsimorum ordinum, ſed oculornm; non materum intentione, ſed clamore ipſo militum, aut inſtructione, aſpectuq; ſignorum pellamus & fundamus. Quandoquidem cunctis Galliæ viribus in vnum collatis, totius Europe acceſſura ſint non modò equitatus, & peditatus perampla auxilia, ſed ſuos etiam magni roboris Equites ipſe Templariorum Magiſter religionis, atq; virtutis nomine contra Sarracenos pugnare ſolitus; atq; item Americus Luſcinianus Cypri Rex nulla interpoſita cunctatione ſint adducturi, vt de explorata iam propè victoria minimè ſit dubitan-

bitan-

bitandum. Gallico verò robori, ſemel Veneta prudentia condito, & directo, quæ tandem gens non concedat? ad id huc opem, nauesq; ad traijciendum, à te petitum venimus. Hæc ſumma eſt. cuius ſpem ſi nobis præcidis, perijmus. Naues tranſportandis ex Adria in Syriam copijs, eiſdemq; alendis commeatum, vt ſuppedites, rogamus. Princeps collaudata Baronum virtute, quòd domeſticam Bullionis pietatem æmularetur, quonam (inquit) mox pacto Barones res tantas petunt? eo, per Deum immortalem, Legatus Villharduinus reſpondit, quod tu pro tua ſapientia, pro rei naualis vſu, & ſcientia, pro tua, & Venetæ Ciuitatis, quæ erga Chriſtianam Rempub. inſignis admodum ſemper fuit, pietate, huic ſanctiſsimæ coniunctioni, & amicitiæ propones; Veneto nomine dignum, & Galli viribus non impar. Rem certè magnam (ait Dandulus) à nobis petunt, ac neſcio quid ingens moliri mihi videntur; de veſtris poſtulationibus Legati amplius conſiderandum eſt. neq; enim ſolus ſuſcipere, neq; terminare conſilium poſſe reor: quum in re longè grauiſsima Senatum omnino conſulendum putem. Idcirco vos octaua poſt die, bono animo adeſſe cupio, reſponſum accepturos; quod nimirum commodo Reipub. fieri poteſt, nos id vobis indulturos ſperate. Ad diem reuertuntur, ſuiſq; poſtulatis reſponſum petunt. qua de re, multis verbis vltro citroq; habitis, quæ, ne ſi placeat quidem, & ſi id operam demus, omnia memoriæ mandari poſſunt, hoc tantum Dandulus reſpondit, quid ſibi, & VIViris pro re viſum eſſet, relaturum. Is VIViratus, ex domeſticis Ducis Conſiliarijs, vt nunc quoq;, conſtabat; & hi tunc Legationes primum audiebant, & poſtulata expendebant, & conſiderabant; tum quid ſibi videretur, exponebant: horum omnium calculis, vel certè complurium, Senatus conſulta fiebant. Itaq; ſuam, & VIVirûm ſententiam eſſe, ſi ita magno Concilio XLVirûm Populoq; Veneto placeret, Gallis hippagogas ad quatuor millium, & quingentûm equorum numerum mare traducendum miniſtrare: ad ſcutatos pedites, nouem millia. naues præterea equitibus ad quatuor millia, & quingentos, tranſportandis: ad hæc deniq; viginti peditum millibus deuehendis. In equites autem & armatos frumentum commeatuſq; reliquos, quantum in annum ſufficiat comportare, ab eo die quo ſoluturi eſſent è portu Veneto, Hieroſolymarum recipiendorum cauſa quemcunq; in locum delati eſſent. At verò, vt emptionis labore leuarentur, in ſingulos equos, quaterna Agrippina talenta, ideſt marchas argenti puri puti, & viritim bina; hoc enim argenti commutationis genus eo ſęcu-

lo à

lo à Colonia Agrippina ad Rhenum, Venetijs in vſu erat. Idq; ex die quo ad bellum votiuum Veneto portu ſoluent, in annum ipſum dependere. Ita, in Claſſem argenti marcharum octoginta quinque millia inſumpta. Hoc amplius religionis propagandæ ſtudio, idq; maiorum exemplo, libentibus animis, quinquaginta biremes pugnę nauali idoneas, quamdiu belli tranſmarini ſocietas tenebit, gratuitò ſubminiſtrare; ea conditione, ſi prędę manubiæq;, terra mariq; partæ, æquis portionibus diuidantur. rem conſiderare Legatos iubet: &, qui ſenſus ipſorum ſit, renuntiare. Illi, ne quid temporis ad maturandum deperiret, re diligenter tota nocte deliberata, nec vlla quidem conditione reiecta, protinus in ſocietatis conditiones inclinant. Poſtridie igitur omnes Senatum adire, Principi dicere, ſe conditiones non recuſare, ſeq; in eas iurare de illorum ſententia paratos, ipſius numine Dei, per quem iurent, cuiuſq; Religionis cauſam tota mente, totoq; animo tuendam ſuſcipiant, digniſsimas. Ad ea Dandulus, vt in re permagni momenti ſuorum animos triduo pertentaret, reſpondere; ſe ad Senatum primo quoq; tempore relaturum, & quod Patres conſcripti, cęteriq; Ciuitatis ordines cenſuiſſent, iuſsiſſentve, continuò ea de re Legatos certiores facturum. Ita, tertio poſt die, ſummo diluculo, XLViros conuocat, qui Senatorum erat conſeſſus conſilio, iudicio, ſententia, authoritate prçcellentium. ij, hodie capitales cauſas cognoſcunt: ad eos inquam, Dux de ſumma rei refert, ij poſtulationes ratas habere. Deinde centum alios Patres, ſeorſum ſeuocat. Mox ducentos: exinde mille. Cuncti eius conſilium laudare, & probare. Poſtremò vniuerſos ad decem millia, ad Diui Marci cogit: iubet, vt Miſſæ ſacrificio interſint, quod Spiritui ſancto nuncupatum eſt. Deumq; precarentur, vt mentem eis immittat conſilij in præſens capiendi. Hęc Ædes operibus omnium, quas Venetiæ Deo, Diuiſq; dicatas celebrant, magnificentiſsima, & ornatiſsima Ducum ſumptu exædificata eſt: ex quo, Ducum Sacellum vulgò nominatur. non tamen quod in Vrbis vmbilico recens conſtituta ſit, vtpote Ducum vſui deſtinata, Metropolitana eſt; quando Vrbis Antiſtes Oliuolenſi in regione, extrema Venetiarum parte (quam Caſtellum vulgò appellant,) ad Epiſcopalem Diui Petri Ædem, quę Nicolai V. Pont. Max. beneficio annis centum viginti amplius nunc Patriarchalis ſedes eſt, atq; eadem Metropolitana Dalmatię, Venetęq; ditionis, Marciana Aede longè vetuſtior, cum collegio Canonicorum reſideat. Miſſa ſancti Spiritus Marciano in Templo celebrata, quæ more noſtro ſanctiſsima rerum auſpicandarum ceremonia eſt, eò Legati,

gati, Ducis mandato admiſsi, à Venetis admirationi inſpectati omnium ora oculoſq; in ſe conuertebant. Primum capite leuiter inflexo concionem ſupplices conſalutant. loquutus eſt ſociorum voluntate Legationis Princeps Gotthofredus Villharduinus, Campaniæ Mareſchallus. Barones Franciæ, Viri Veneti, animi altitudine, & virtute antiquis Heroibus proximi, ſed pietate, qui omnium rerum honeſtarum fons eſt, priores, nos huc opem veſtram, & fidem ſuppliciter imploratum, & obſecratum miſerunt, vt parietum Hieroſolymorum miſereſcatis; vt memoria Sepulchri, in quo diuinæ Religionis parens, & conditor CHRISTVS Dominus ſitus fuit; cui nunc Ægyptius Sulthanus hoſtis importuniſsimus, tota ferè Iudæa, & Palæſtina de noſtris capta, inſultat, Vos, vt par eſt, moueat; ſimul & omnibus precibus à Vobis contendunt, vt per vos votiuæ omnium Chriſtianorum peregrinationi tutæ eſſe liceat. Sepulchrorum iure nihil, neq; antiquius, neq; ſanctius; aut magis religioſum mortales habent. quanti monumentum in quo diuinæ religionis conditor ſitus fuit, faciemus? agite dum Recuperatores fortiſsimi, & eius numinis contumeliæ, tàm diuturnæ vindices eſſe velitis: ne've belli ſic pij, ſocij eſſe recuſetis. erit enim Vobis, & ad Veneti nominis immortalitatem expectandam maximè decorum, ſi religionis cauſam, vt maiorum veſtrorum mos fuit, pijs animis reſpiciatis: &, ad cœleſtis quoq; vitæ præmia promerenda incomparabile facinus, ſi Ægyptium Sulthanum, ac Sarracenos Chriſtiani nominis hoſtes, iterum armis ſocijs Palæſtina, & Syria exterminetis. Perſuaſum omnes habent, ſolos Venetos mari, Gallos terra præpotentes eſſe. Id quod ſuperiori ſæculo Bullionis auſpicijs res à Venetis, & Gallis in Syria, & Palæſtina fortiter, ac feliciter geſtæ declarant. Idcirco Barones, vt piè inita conſilia ſuſcipiatis, & iuſtæ gloriæ, atq; victoriæ ſpem votis ritè nuncupatis complecti velitis, nos ad veſtros pedes iacere ſupplices iubent, id quod flentes nunc facimus, nec antè exurgere, quàm id à vobis impetrauerimus; ſimul & ſocietatis, poſt hominum memoriam honeſtiſsimæ, & iuſtiſsimæ ſpem feceritis, vt coniunctis animis, atq; opibus, coniunctis armis, atq; neruis, pietatis certamen longè pulcherrimum concertemus. Continuò, integra tota concio plauſu, nec eo exili, & raro excitato, flens etiam, & manibus paſsis gratias agens, & præ gaudio lachrymans beneuolentiam in Gallos, & miſericordiam declarare, ſimul & acclamare: Volumus, Iubemus. atq; ita, vt ſenes, neq; præ lætitia clamores, nec præ miſericordia fletus maiores vnquam meminerint. Simulac Villharduinus

lharduinus

Iharduinus Legatus perorauit, Dandulus priſcæ virtutis, & probitatis Princeps, ſuggeſtum ex quo feſtis diebus Euangelica hiſtoria recitatur, aſcendit, atq; in hanc fermè ſententiam, graui conſtantiq; facundia locutus eſt. Dei erga Vos benignitatem (Veneti) quæſo agnoſcite; nec enim ſine numine, Gallum gloria belli præſtantem, nunc iterum veſtram ſocietatem appetijſſe auguror: vt cum Barones Franciæ ſolo nominis terrore, rebus præclarè geſtis, toti Aſiæ, atq; Orienti formidabiles ſint, cum ſocios (vt videtis) aut Maſsilienſes, aut Piſanos, aut Genuates ſibi nullo negotio aſciſcere poſſent; Vos tamen ex omnibus præcipuè Europæ partibus vnos, in ſocietatem tam glorioſi facinoris appetunt. Vos eoſdem, per nobiliſsimos Legatos orant. quod ſi acciderit, non dubitant quin breui Hieroſolymorum, & ipſius Sepulchri (vnde pij mortales in ærumnis poſiti, & cruciatibus, in angore, & doloribus ſingulare ſolatium capiunt) ſint potituri. Quare gratias Deo Opt. Max. vniuerſi agamus, quòd vobis hodierno die mentem, atq; animum aduerſus pios benignum dederit, eundemq; precemur, vt qua mentis ſagacitate Gallum in optima cauſa iuuandum, & ornandum decreuiſtis, pari animi fortitudine decreta veſtra confirmetis. Poſtero die, iubet pactorum conuentorum tabulas confieri: cumq; de Sacro bello, ac militum Votiuorum in Palæſtinam tranſmiſsione agitatum eſſet, in Ægyptum rectà Cayrum, quam rudis ſæculi vocabulo Babylonem appellant, mouendum in ſermonibus dictitare, vt Memphim expugnarent: Babylonem petendam, vt Sarracenos, & Ægypti Sulthanum in anguſtijs haberent, ne in Syriam Damaſci Sulthano, atq; Iconienſibus Turcis Palęſtinam maximè infeſtantibus, opitulatum deſcenderent. Hac vna ratione, Turcam hoſtem Hieroſolymis depelli poſſe. perfacilè eſſe, ea parte res Sulthanicas infeſtare: Sulthano verò Babylonis debellato, Turcicum bellum in Syria facilius tradi. Legati vnum inſtare, de pactionibus perſcribendis. Is omnium conſenſus fuit, vt Barones, Equites, ſimul & votiui milites, ad VIII. Kalend. Iulij, qui dies natalis Diui Ioannis Baptiſtæ feſtus eſt, ſequenti anno, qui milleſimus ducenteſimus ſecundus à partu Virginis foret, Venetias appellerent, ad quem diem, nauigia tranſmiſſioni idonea, Claſſemq; Venetam inſtructam offenderent. Itaq; Dandulus Dux Concilium duplex (maius & minus vocant, XL. Viris, & VI. Conſiliarijs conſtabat) cogit, inq; omnium oculis ſupplex, & flens Euangeliorum libris manus admouens, iurat pacta conuenta omnia, litteris in medium prolatis, deſcripta, bona fide

ſeruare. idem facit vtrunq; XL. VI Virûm Senatorum Collegium. Deinceps Legati conditionibus à Veneto in membrana Baronum Franciæ cereis ſignis impreſſa, deſcriptis, alacriter ſubſcribunt, & ſuos Barones pacta omnia in eorum albo comprehenſa, ſeruaturos, jureiurando confirmant. Extemplo Dandulus, & Legati de communi conſilio, Oratores Romam ad Innocentium III. Pont. Max. rogatum mittunt, vt pactorum author eſſe velit: id quod ab eo libentiſsimo exorant. Inde Legati Venetijs duobus millibus marcharum argenti de menſa Riuoaltina ſumptis, eiſdemq; Duci ad claſſem conſtruendam & ornandam repreſentatis, & amicorum ſalutationibus more peractis, in reditum ad ſuos accinguntur. Paucis diebus vnà omnes per Inſubres Placentiam, Æmiliæ Vrbem, ſuperato Pado, perueniunt. Exinde, Gotthofredus Villharduinus Campaniæ Mareſchallus, & Alardus Macharellus per Subalpinos, recta in Franciam commeant: collegarum, partim per Apenninum Piſas, litoralis Hetruriæ ad Liburnum Portum deflectentes, partim Genuam petierunt: reſcitum, quid opis ſibi transmarina petentibus ferrent. Villharduinus Cottias Alpes, ad montem quem Cineſium, vel Cinerium, à terræ cineratiæ colore nominant, tùm pedibus, tùm equis tranſmittens, Gualterium Brenenſem Comitem offendit; qui in Apuliam cum magno Armatorum Equitum numero, dotalem Siciliam receptum ibat. Nam is poſtquam ſe Cruciatum profeſſus eſſet, Regis Siciliæ Tancredi, qui poſt Guilielmum bonum regnauit, & Sybillæ filiam, opulentiſsimo Regno Siciliæ eius doti dicto, vxorem duxerat. Comitis auſpicia, Gualterius Mombeliardus Confluentinus Rhenanus, Robertus Ioenuilla, amicitiæ, & fidei cauſa ſequuntur. atq; vnà non pauci valentes, & ſtrenui Campaniæ milites, in Crucigeros relati. Mareſchallus Comiti, obiter, quę Venetijs egiſſet, & tranſegiſſet, quoq; in ſtatu res omnis eſſet, nunciat. Ille, re feliciter geſta, vt erat maximè pius, vehementer animo gaudere, manuſq; in cęlum tollere. Quando iam (inquit) Patriæ Barrorum finibus exceſsimus, cum in tempore Venetias conueneritis, nos in Apulia, non ita longo interuallo diſiecta præſentes, & ab omni re, quæ ex vſu militiæ ſit, ad nauigandum paratos offendetis. exin Villharduinum dimittit. Sed, cum nemo Dei ſolidum fauorem certò ſibi ſpondere queat, ſæpe hominum ſpes, vel luculentæ, paruo temporis momento conteruntur. quod cùm aliàs cognitum, tùm hoc maximè tempore palam factum eſt; fato enim neſcio quo, miſero certè & funeſto, tot, taleſq; viri,
&

& viribus, & rei militaris vſu, poſt homines natos præſtantiſsimi; vniuerſi nunquam poſtea ſeſe noſtris coniungere potuerunt. Mareſchallus tandem eadem qua antea Venetias venerat celeritate paucis diebus per Allobroges, & Sequanos, Tricaſsium Campaniæ Metropolim, ad Theobaldum reuertitur. qui tametſi ægra valetudine iaceret, quod cibi potuſq; faſtidio, grauem ſtomacho languorem contraxerat, reditu tamen Mareſchalli, vehementer gaudere, ſed vehementius rei Venetæ ex animi ſententia tranſactæ, nuncio lætari; ita, vt nimia voluptate geſtiens, ad ſuos clamitaret, equum citò ſcutati, citò ſcutati, equum. cum iam multo tempore in equo non ſediſſet, grabato tamen, puerorum & familiarium adminiculo ſurrexit, atq; in equum ab ijſdem, vel inuitis ſublatus, quaſi eſſet repentè Venetias moturus, & in hoſtes traiecturus aliquantulum itineris decurrit. Ita Baronem optimum Equitem, in equum tollere, vt nunquam poſthàc adequitaret. nam, vt is dies Theobaldo omnium lætiſsimus, ita ſupremus fuit. Morbo in dies ingraueſcente, teſtamentum facit. eo, pecuniam quam bello tranſmarino deſtinatam, ſecum Venetias importare conſtituerat, ambactis, clientibus, amicis, ducibus, centurionibus, equitibus, peditibus, quorum numerum maiorem, nec minus ſtrenuum, quàm quiſquam Baronum habuit, partim legat; vt quos in vita mirificè amaſſet, eiſdem ſupremis vitæ diebus amicitiæ fructus, quàm maximos poſſet, diſpertiret: partim ad caſtra perferri, & vſui Chriſtianæ Reipub. inſumi iubet. Egregia ſanè voluntas, & ſtemmate Francico, atq; Britannico (vnde illi genus) digniſsima. Ille, fortunas ſuas, quas diuino cultui, ac votiuæ militiæ viuens, iampridem dixerat, amicis idem iter tenentibus, pari felicitate diſtribuit. Eodem teſtamento, vetuerat quenquam legata antè capere, quàm manibus Euangelia capiens, quod Sacramentum apud Chriſtianos auguſtiſsimum, & religioſiſsimum habetur, expromitteret, ſe Venetijs ad diem Venetorum, ſexq; Legatorum voluntate delectam, ſub ſignis præſtò fore. multi dicto minùs audientes, atq; aduerſus Teſtatoris ſententiam indeuoti, vulgo equitum, peditumq; malè audire. Non multo poſt teſtamentum conditum, Theobaldus exceſsit. Iuuenis omnibus corporis, atq; animi, quæ conferri à natura poſſunt muneribus totius Galliæ Procerum ornatiſsimus; quo nemo inter ſui ſæculi mortales felicius, ritu Chriſtiano, de vita exijt. Certè quidem Comitis morte Religionis cauſa, incommodum opinione luculentius accepit. ampliſsimo funere effertur, tota ferè Campana nobilitate exequias proſequen-

te: ad quas decorandas, ſtatim vt nuncius mortis allatus eſt, conuenerat; & Tricaſsij in Diui Stephani iuxta Patrem in Maiorum monumento, conditur. Cum verò in vita, morum ſuauitate, magnificentia, præcipuè bellica virtute, omnium generum, atq; ordinum amicos ſibi paraſſet, mortuus ſummo luctui, & acerbitati omnibus fuerit neceſſe eſt. Vt verò corporis ſpecies, totiuſq; oris dignitas hominum blanda conciliatrix prætermittatur, ecquis regios juuenis ad domeſticam, atq; hæreditariam gloriam ſpiritus, cùm ex plurimis rebus, quæ Francis Equitibus notæ ſunt, tùm verò ex vna hac de Sacroſancto CHRISTI ſummi Regis Sepulchro, deq; Hieroſolymis Religioni Chriſtianę recipiendis cogitatione ſingulari, & cura planè diuina, non agnoſcit, atq; ęſtimat? quem omnes exteræ nationes, quæ Orientem, Occidentemq; incolunt, animis & linguis celebrant, eum quo tandem ore Galli ſilentio, atq; obliuioni mandent, & tradant? Hoc debet præſertim Gallia Theobaldi Campani manibus, vt cum etiamnum illius memoriam mente teneat, hanc immortalem ſi poſsit, reddat. Sic vita fuit liberalitate, & iuſtitia erga omnes, virtute in hoſtem, vnde Viri nomen, vnde præcipuè Franci Equites decus ſibi quærunt, & fide juuenes, ſeneſq; anteſtetit. Is tamen vnicus ſuorum amor, hoſtiumq; terror fuit: & quod maximi faciendum, penè adoleſcens votiuorum militum Imperator longè digniſsimus. Egregiam verò ſpem, quam de eo iam puero, Barones & Equites cœperant, continuò ſingulari ſapientia, & eò magis admiranda, quòd ſenectutis propria eſſe putatur, incredibiliter ſuperauit. qui Imperium non ambijt, factus eſt tamen, & id ætatis Baro, Cruciati Exercitus planè cœleſtis, Dux, & auſpex. Theobaldo vtraq; origo ab Regibus fuit. paternum enim genus à Gerlone Daniæ Principe, & Victore Neuſtriæ veteris (quę hodie Normannia dicitur) ortum. hinc Henricus pater, Campaniæ Comes, Largi nomen ob ſummam in omnes liberalitatem adeptus. indidem Comes Palatinus, idemq; Campanæ & Briæ Comes Regis Ludouici iunioris auſpicijs, Diuo Bernardo Viro morum ſanctimonia commendabili, velut claſsicum Gallis canente, militatum adijt. Exin Henricus Theobaldi maximus natu frater germanus, Campaniæ Comes, in Aſiam votiuo bello profectus, Philippo Auguſto, & Richardo Anglo, Imperatoribus, eius Auunculis, virtutis ergò Hieroſolymorum Regnum Deo, hominibuſq; approbantibus cœpit. ne've ab Aui Theobaldi latere Regij ſtemmatis virtutem abfuiſſe homines ignorent, Stephanus Comes Bononiæ

noſtri

noſtri Magnus Patruus, Henrico Auunculo Rege mortuo, Rex Angliæ fuit. Stephanus quoq; eiuſdem Proauus paternus, primum votiuum bellum, vt erat maximè pius, religionis cauſa cum Petro Eremita in Syriam ſuſcepit. vbi campis Ramulanis, fato hęreditario, ſed eo plus ſatis glorioſo, pro CHRISTI ſepulchro pugnans cecidit. Materna porrò Theobaldi origo, à Francorum Regibus ducta; cum Ludouicus VII. Francorum Rex, Mariæ Theobaldi Matris pater fuerit. Mortuum luxit Blanca Vxor, femina benè morata, atq; in primis venuſta, Sanctij Regis Nauarrorum Filia: quę cum Theobaldo filiam peperiſſet, etiamnum vtero marem poſthumum geſtabat, qui patris nomine III. Theobaldus Campanus, poſtea nominatus eſt, & in Campaniæ, ac Briæ Comitatu Patri; in Regno autem Nauarrorum Auunculo ſucceſsit. Iuſtis igitur mortuo perſolutis, Matthæus Monmorentiacus, Symon Monfortis, Gotthofredus Ioenuilla Campaniæ Seneſchallus, & Villharduinus Campaniæ Mareſchallus, homines prouidi, & prudentes, ad cauſam piorum, curam conuertunt; atq; in primis ad Odonem tertium Burgundionum Ducem in Sequanis adeunt. erat is Campani nepos, Hugone Burgundiæ Duce Theobaldi Amitino fratre genitus, quo cupidius omnes hominem expetebant: eiq; oſtendunt quanta calamitas, Cruciatis omnibus, morte Campani acciderit. per Deum, cuius religio ageretur, orant, atq; obſecrant, transmarinæ Cruciatorum Claſsis Imperium, vt ſuſcipiat, quòd eo tanti nominis Imperatore, totius Auſtraſiæ, atq; adeò Franciæ Barones, ac Equites libenter militaturi ſint. Idcirco ipſum vno omnium ore expetitum, & delectum. Ad hæc, Oratores dicere, ſe curaturos, quæ Theobaldus teſtamento in eum vſum legarat, omnia illi primo quoq; tempore repræſentari: ſimul, omnem operam daturos, vt Cruciati ad vnum omnes, ipſi ſacramentum dicerent; pariq; fide nauarent, & parerent: ſperare, quamplurimos cùm horum exemplo, tùm præſertim Burgundionis authoritate, quæ ſumma eſt, & familiæ nomine, quam gente Capeti Franciæ Regis, amplisſimam duceret, excitatos, Ducis nutum non modò Imperium facilè ſequuturos: vt, qui in ore omnium cum ſumma ſpe vigeret, & ingenium, quod in ipſo planè regium elucebat, hominum opinione reſponderet. Ille, pudore vel ignauia incertum, negat ſe tantum munus obire poſſe: eaq; de cauſa adirent, qui oneri pares eſſent. Verùm tantæ rei, tàm neceſſario tempore repudiatio, multum Burgundionis honori derogauit. Ioenuilla Vir acri ingenio, & ſingulari rerum vſu præditus, Legatis author eſt,

Impe-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Imperij Theobaldo Comiti Barleducio (Barrhos veteres dixerunt) qui Theobaldi Campani frater amitinus erat, demandandi. vt iuſsi, faciunt. Homini exponunt, quàm lubrico in loco res Deuotorum militum verſetur: opem imploratum veniſſe, ac ipſum obnixè rogatum, ſummæ rei præeſſe vellet: ſed, is molli animo, quem neq; meditando, neq; agendo corroboraſſet, ſed maiorum imaginibus paſceret, ſiue metu periculoſi muneris, ſiue imbecillitatis conſcientia, Legatorum precibus nullum reliquit locum; ita, vt omnium ſermonibus nomen degeneris facilè inueniret. Sed eheu, mores, ingenium, vt dicitur in ſuam poteſtatem non difficulter perducunt. Ita enim tanti honoris contemptu, otij quàm negotij cupidior habetur. vnde effeminati, atq; auari ſuſpitione, vix caruit. quod vnum erat remedium luctus Deuotorum, & mœroris, quem de morte Campani cœperant, vel tollendi, vel attenuandi. Concilium in Sueſsiones, de more, in menſis ſequentis exitum, pronunciant. eo conueniunt Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ Comes, Ludouicus Comes Bleſenſis, & Gotthofredus Comes Perticenſis, vnà Hugo Comes Sancti Pauli, necnon maxima Cruciatorum Equitum multitudo, frequentiſsimo conuentu. Villharduinus, Legationes ad Burgundionem, & Theobaldum Barleducium Comitem renunciat: &, quid pro tempore ſui ſit conſilij, oſtendit. Bonifacium Marchionem Monferratenſem in Inſubribus, & Tranſpadanis, virum in re ex tempore explicanda virtutis ſpectatæ, atq; in dando conſilio, ſapientiæ, & fidei prædicabilis, & quod maius eſt, res tranſmarinas non modò doctum, verùm etiam nobilibus factis expertum, accerſendum eſſe. non dubitare ſe, quin is cùm pro neceſsitudine, quæ ipſi cum Baronibus intercedit, & fraternæ mortis vlciſcendæ deſiderio, tùm pro ſua in Deum pietate, Crucem libenter ſumpturus ſit, atq; onus militaris Imperij ſubiturus. Multi multa de re dicere, ſed ea paulò altius ponderata, Villharduini Mareſchalli ſententiæ aſſentiuntur. Bonifacius Baronum & Equitum vocatu, traiectis Alpibus, quos Cottias appellant, per Noualeſiam, atq; Ferreriam, Franciam, & Campaniam in equis emetitus, à Philippo Auguſto Francorum Rege, ad quem diuerterat, prout Marchionis, & Conſobrini honor, atq; amor poſtulabat, acceptus eſt. Inde, Sueſſones ad diem peruenit. Eodem Comites, magnaq;, Baronum, & nobilium multitudo; itemq; gregariorum, qui Crucem inſigni humero profeſsi eſſent, fama Bonifacij excitata coierant. Vniuerſi, portis vrbis effuſi, aduentanti obuiam ire, & ſalutare. Poſtridie mane, omnes in Diuæ Mariæ Sueſsionenſis hor-

Digitized by Google

ſis hortos conueniunt. hìc Proceres, hominem per Dei numen, quo Franci afflati Crucem rubram humeris conſuiſſent, orare, vt idem faceret, ac Cruciatorum Reip. gubernacula eo iure capeſſeret, quo Theobaldus Campanus antè tenuiſſet, & idem pro ſua prudentia & æquitate tractaret. tùm eius pecuniam omnem caperet, tùm deniq; clientes, equites, pedites tranſmarinæ peregrinationis ſocios duceret. Hunc multitudo maxima ſupplex, & flens obteſtari, honorem, ſi ſua in religioſos merita recordaretur, iure optimo debitum, ſin eorundem deſiderium reſpiceret, vltrò delatum ne recuſaret: neve ſe, quod in ipſo eſſet, deſertos, terras, & maria ſine duce, & auſpice palantes emetiri ſineret. Ille, generoſo quodam pudore, ſe tanto muneri imparem aliquandiu profeſſus, pro ſua mox pietate, magnitudineq; animi, tanti Exercitus indignam ſortem miſeratus, contra, omnibus penè ſupplex, & flens ſe ſubmittere; ſed pro tempore Imperium ſuſcipere profitetur: nec commiſſurum, Deo iuuante, vt Cruciatorum Procerum, ac piorum de ſe mortalium opinionem fallat. ita, vtrinq; lachrymis verius, quàm verbis, peroratum. quod cmen maturè accipientes Nubilonus Epiſcopus Sueſsionum, & Fulco ille pietatis omnis Antiſtes, vnà & duo Ciſtercienſes Abbates, vt vocant, candidis Syndonibus amicti; alter Lucedij, alter Clareuallenſis Cœnobiarcha, ijdem Marchionis ab Italia, & Tranſpadanis in Galliam comites, ipſum in ſacratarum Virginum Diuæ Mariæ Sueſsionenſis Templum deducunt; & ad Aram maximam conſiſtentes, Crucem rubram tranſmarinæ nauigationis inſigne, eius humero aſſuunt. Sic Bonifacius Monferratenſis Marchio, ſummæ authoritatis, atq; peritiæ Dux, ſumpta Cruce, copiarum Cruciatarum Imperator deligitur; vir prudentia certè, Imperatorijſq; artibus nemini ſuæ ætatis ſecundus, ſed priuato, & quidem pernobili voto omnibus anteferendus, quando ingenti pietate, de Sarracenorum manibus, Chriſtiano nomini Hieroſolymis receptis, Conradi Fratris mortem vlturus eſſe diceretur: hunc enim Tyri in foro agentem Arſacidæ (genus Sicariorum ſunt) paucis antè annis crudeliter obtruncaſſe dicebantur. Ibi, de ſumma rerum conſultatur: dieſq; dicitur ad quem omnes præſtò eſſent. Concilium dimittitur, & Marchio poſtridie ſalutatis Baronibus, per Sequanos domum, ad res neceſſarias explicandas, redit: inde Venetias ad Exercitum in tempore profecturus. Idem omnes facere iubet. Ex itinere domum, Conuentus Ciſtercianos, quos eius ordinis Archimandritæ (Abbates vulgò dicunt) XVIII. Kal. Octob. qui dies Crucis exaltationi dicatus eſt, ſub Autumni initium, Comitiorum

tiorum cauſa agebant, votiuæ militiæ cogendæ gratia Ciſtercium inuiſit: vt adeundis interim Lugdunenſis Galliæ Vrbibus, appellandiſq; Regulis, ac Præſulibus, & Sacratis Viris, Cruciatorum copias, & magnum auri pondus ad ſacrum bellum eliceret. Ciſtercium, monaſterium eſt, in finibus Cabillonenſium Galliæ Lugdunenſis ſyluis, & his, in magna planitie, aquis irrigua, ſed ſolitudine maximè deuia, vndiq; circumſeptum. ſicuti poſt, eodem omnes eius ordinis ſodales ab hominum cœtibus, rerumq; omnium, quæ prima mortales ducunt, cupiditate, atq; ambitione inſtituto ſuo remoti, precibus aduerſus Deum caſtius dies, noctesq; vacant. Id, Robertus quondam Cœnobiarcha Moliſmenſis, in Lingonibus, odio vitiorum ſui ordinis hominum, pietatis ergò condidit, Odone primo Burgundiorum Duce liberaliter ſuffragante. Hinc Regula ſodalitatis Ciſtercienſis fluxit, quam reliqua eius ordinis Cœnobia ſequuntur. Ibi, Bonifacius magnum numerum Abbatum, ac Baronum, qui ad generalia Ciſtercianorum Comitia conuenerant, Crucibus inſignium videt; & in his Fulconem illum Nuylliacum ſummè pium, qui eò religionis cauſa Bonifacium anteuerterat, vt ad Crucem populum cohortaretur: nec eum fefellit opinio. Fulcone enim vehementiſsimè concionante, Odetus Campanus Chiamlites, magni nominis Eques, Guilielmus eius frater; Ricardus Dampetra Burgundus, Odetus eius frater; Guido Leſsinenſis, ad Tenaram in Hannonia, Anſelmus eius frater; Guido Confluentinus Rhenanus, multiq; alij Viri fortes, ex Sequanis, & inferioribus Germanis rei militaris peritia, magnitudine animi, & rerum geſtarum gloria inſignes; quorum nomina memoriæ prodita non ſunt, Ciſtercij facilè perſuadentur, vt Crucem geſtent, & ſe cum cæteris coniungant. nec ita poſt, eadem ibidem rubræ Crucis nota, tanquam ſacris initiantur, Epiſcopus Auguſtoduni in Heduis, Guido item Comes Foreſti, Hugo Colonienſis, Vrbe Agrippina ad Rhenum ortus, Valemius Narbonenſis, vir egregiè fortis, Petrus Bromontius, conſimiliterq; alij innumeri, quos nominatim Villharduinus non recenſet. Interea dum pleriq; Deuoti, tota Gallia equos & arma parant, ſublatis dum vexillis in agmen coguntur, Gotthofredus, Comes Perticenſis, malo quodam Reipub. Chriſtianæ fato, in lethalem morbum, Martio menſe, primis jeiuniorum diebus, incidit. Is, teſtamento Stephanum fratrem fortunarum magis, quàm virtutis, aut pietatis hæredem inſtituit, iuſſum, copias ipſius Venetias ad Exercitum ducere. Vt de eius morte ad Deuotos allatum

tum eſt, ſtatim luctus, & dolor tantus cepit, vt Ducis commutationem, haud ægrè laturi viderentur, ſi Deus Comitem adeò dilectum ſupereſſe voluiſſet; hominem virtute in armis ſpectata, impriміſq; equeſtrium pugnarum ſcientia memorabilem. ita morte eius res Cruciatorum, valdè affligitur. quam autem Gotthofredus charus fuiſſet, vniuerſus Perticenſis Comitatus, veſtibus generatim mutatis, abundè indicauit. Idem Deuoti in Exercitu maximam partem facere. Cæterum CHRISTI Dei Reſurrectionis ſolennibus peractis, circiter Pentecoſtes feſtos dies, Kalend. Iunij, appetente ęſtate, omnes viatica, equos, arma comparare, ſublatiſq; ſignis abitum Venetias adornare. Sedibus autem abeuntes, tantus dolor, clamor, eiulatuſq; vxorum paruulos liberos geſtantium, liberorum, parentum, tantus etiam luctus proſequebatur amicorum, vt eorum de patria diſceſſu, ipſi iam, iamq; hoſtibus prodi ſibi viderentur. Homines, nec ij ferrei, quanquam dolorem vultu ſimularent, ſic tamen afficiebantur, vt ſolent, qui caput pro religione vouent, quibuſq; omnem ad Penates reditus ſpem, tranſmarina nauigatio, & ea omnium periculoſiſsima tollebat. Ergo itinere quamuis difficili & impedito, per Sequanos, atq; Allobroges ſuperatis Alpibus Cottijs, ad montes, & Iuniperum dictum, quòd ea arbor inibi vberrimè ſuccreſceret, & quem Cineſium accolæ vocant, per Taurinos in Inſubres penetrant: qua mollius pedibus, & equis Venetiam emenſi, hodie Marchiam Taruiſinam appellant, in Venetorum inſulam, portumq; qui ad Orientem Vrbi accubat, Diui Nicolai nomine dictum, quòd eo loco Fanum religione ſanctiſsimum, ſub ipſius Vrbis primordijs ei dedicatum eſt, adnauigant. eius Diui reliquias corporis, à Græcia olim auectas, Vitalis Michael, eius nominis primus, Venetiarum Princeps, ad amici numinis honorem, quòd à nauigantibus frequens vocaretur, condidiſſe dicitur: quæ ædes ſodalium Caſsinenſium Cęnobio hodie inſeruit. Per idem tempus, Flandrorum maxima multitudo, qui ſeſe tranſmarino bello deuouerant, in naues impoſita ex Belgarum litoribus, Flandro quidem Imperatore traducitur: Ducibus autem Ioanne Nigellano Brugarum Caſtelli cuſtode (Caſtellanum vulgò nominant) Theodorico, Philippi Comitis Namurcenſis filio, & Nicolao Mayllio, iterq; ſecundum Iccium portum, quem hodie Caletum dicimus, & Armoricum ciuitates litoris Oceani Gallici facientes, per Oceanum veladant. ij, Balduino fidem, & iuſiurandum dederant, ſe Gaditano freto, noſtroq; mari enauigato, recto curſu Venetias petituros, &

quocunq; ipſum delatum reſciſcerent, eodem ſine mora velificaturos. Ea ſpe Balduinus Comes, itemq; Henricus eius frater, ſuas naues veſte, commeatu, cęteriſq; rebus bello neceſſarijs onuſtas, ventis permittit. Copiæ reuera ab armis, & diuitijs, militariq; inſtrumento benè habitæ: ita, vt his Comes Flandriæ, vnà & Deuoti Equites admodum fiderent, quòd ſui Flandri, qui rerum maritimarum vſu, & virtute pollerent, maximam partem nauibus illis deueherentur. verùm duces Imperatoris ſpem fefellerunt, veriti diuturnę Venetias nauigationis pericula. Sic, Auguſtoduni in Heduis Epiſcopus, Guido Foreſti Comes, Petrus Bromontius, quos ſummo ſtudio Crucem Ciſtercij paulò ante ſuſcepiſſe memorauimus, compluresq; alij à fide diſcedentes, & fędam proditionis notam ſubeuntes, dum Venetias condicto die non adſunt, in Baronum tamen ſermones, atq; in omnium magnam vituperationem veniunt. aliò enim turpem fugam, vt ſuſpitio fuit, ſibi conſciuerant: Sed fluctibus vehementer conflictati, nec vbi portu conſiſterent, nacti, debitas poſtmodum perfidiæ pęnas dederunt. Franci nominis Equites, & hi perfidioſi, cum his deſiderati ſunt, Bernardus Moruillus, Hugo Caluomontius, Henricus Arramæus, Ioannes Villarius, Gualterius Sandionyſianus, Hugo eius frater, multiq; alij, qui ſinum Adriaticum periclitari refugerent, ad Narbonenſem oram, Maſsiliam, appellunt; nec hi dedecus fugerunt, cum ab omnibus fugerentur. Siquidem vulgo Maſsilienſium, transfugæ, digito ad inſignem contumeliam deſignabantur, ſimul & deuotorum Exercitui, malos ſermones dabant: poſthac in publico non conſpectos dicunt, magna deinde perpeſſos detrimenta. Sed eos mittamus. Deuoti, ſiue Peregrini Milites (ſic enim ex profeſſo militiæ inſtituto nominabantur, quod Chriſtianæ Religionis cultores, & milites Hieroſolyma ad Dei Sepulchrum recipiendum, & inuiſendum, domo peregrè proficiſcerentur) magnam partem Venetos portus iam tenebant. Iam Balduinus Belgio recens Venetias venerat. ad eos, nuncius adfertur, magnas copias Peregrinorum militum poſtquam eſſent Cottias Alpes tranſgreſsi, varijs itineribus alioſum portus petere: & partim, rectà per Apenninum ad Ligurum, & Hetruſcorum maritimam oram iter extendiſſe: partim, ad Ciſapenninos Ligures, & Galliam togatam deflectentes, per Vmbros, Senones, Samnites, & Præcutinos in Apuliam deſcendiſſe, vt inde Syriam peterent. quæ res Barones, ac deuotos milites vehementer (vt par erat) angebat, quod ſuorum paucitate, nec fidem de mili-

tum

tum numero Venetis datam liberare, nec mutui ſoluendi nummaria paucorum corrogatione, aut tributo, facilè poſſent rationem inire. quibus malis, vt obuiam irent Barones, publico conſulto confeſtim delecti Oratores, Hugo Sancti Pauli Comes; Vir eximio rerum vſu, ac ipſius ſenectutis honore venerabilis, & Gotthofredus Villharduinus Campaniæ Mareſchallus ad Peregrinos, Ludouicumq; Bleſenſem, & Carnutum Comitem, qui nondum Venetias venerat, in Taurinas, & Subalpinas gentes, cum his ferè mandatis leguntur: monerent, orarent, cohortarentur, ad pietatem, ad Hieroſolyma, & in ea vrbe Dei Sepulchrum recuperandum: nominatim deniq; docerent nuſquam vllos opportuniores portus eſſe, quam Venetijs. Legati, Ludouico Bleſenſi, Equitibuſq; non paucis, virtutis profectò ſuſpiciendæ viris, Papiæ ad Ticinum in Inſubribus obuiam fiunt, mandata exponunt, de votiuo bello ſuſcipiendo, identidem actum eſſe, ac coniuratum: quod bellum à maioribus affectum eſſet, id nunc conficere per Deum ne refugerent. terram non modò natalem CHRISTI ſummi Regis, ſed eius ſepulturam ſanctam repeti. Scirent præterea ſe Innocentium III. Pont. Max. authorem inceptis rebus propenſum habere, eumq; ipſum omnibus benè precari, ac victoriæ vota facere. quinimo ex Cardinalibus Legatum deſtinare, qui ipſius exemplo probè ad Dei cultum admonitus, præclarum innocentiæ, fortitudinis, conſtantiæ, atq; omnium virtutum ſpecimen daret. Cumq; hæc nauigatio ad laudem, & memoriam pietatis maximè inſignis eſſet, ne recuſarent, via à maioribus trita, ad gloriam maiorem ingredi, inconſtantiæ, ne dicam periurij, famam fugientes. Et, ſi hoc Francorum proprium ſemper fuit, vincere, non victoriæ quæſtum ſectari, Venetum qui nos accipiat, noſtri nominis amiciſsimum, & fęderum quę ſemel fecerit tenaciſſimum, diſciplinæq; naualis peritiſsimum, ſe nobis coniungere, qui in Italia inſtructiſsimum hoc ſæculo, atq; ornatiſsimum nauale habeat. prælio ſacro mortuos, & ſuperſtites ritè expiatos, iuxta omnes poſt mortem in cęlo beatas ſedes adepturos. horum bonorum ſponſorem eundem Innocentium Pontificem Max. habere. Oratione Legatorum adducti, rectà Venetias contendunt; non modò qui id vnum peruellent, ſed etiam nonnulli, qui iter aliò in animo habebant. nec enim tantum dicendo efficere potuerunt, quin pleriq; vilis animi homines, vagi diſpalatiq; per Æmiliam etiam & Flaminiam, in Apuliam adproperarent, inde in Syriam traiecturi. In his Villanus Nuylliacus, eximiæ virtutis, ſed incertæ fidei Eques, Henricus

ricus Argillerius, Raynaldus Dampetra, Campani quondam clientes; Henricus Longocampus, Egidius Traſidius, Eques Hannonius, Balduini Flandriæ, & Hannoniæ Comitis Ligius (quæ vox Gallicè clientem exprimit) eiuſdem quoq; Balduini obæratus; ducentos enim, & quinquaginta ſolidos nomine viatici acceperat, ita deſertores Chriſtianos plurimi quoq; Equites, & Centuriones comitantur, quorum nomina, tollendi, vel attenuandi ſtudio, à Villharduino memoriæ data non ſunt. Ii magnas in Syria clades perpeſsi, à Turcis partim cæſi, partim capti, vt paulò poſt dicemus, Deo Diuiſq;, & Campani ſui domini manibus, cuius auſpicijs notam Crucigerorum acceperant, debitas perfidiæ pęnas dederunt: ita horum aliorſum dilapſu, copiæ cæteræ, quæ ſe Venetijs ad Exercitum aggregare volebant, valde attenuatæ ſunt; quæ res Barones non mediocriter ſolicitos reddebat, quod ea fidei honoriſq; ſui, ac ſummæ rei, iacturam allatura eſſet. Ita, ab his penè deſertus Bleſenſis, cum reliquis Venetias ad litus inſulæ, vnde Diuo Nicolao litoreo nomen eſt, (vt diximus) applicat. exceptus eſt clamore militari, tubarum clangore, & quibus alijs caſtrenſis lætitia ſignificatur. hoc ſanè in confeſſo eſt, hunc Exercitum inuictiſsimum, fuiſſe collectum ex fortiſsimis equitibus, & peditibus, omnibus ferè veteranis & multorum bellorum vſu iactatis. Cęterum Veneti, qui in Diui Nicolai inſula caſas paluſtri calamo, ac cęmentitias innumerabiles, manſionum ac hybernorum loco, Galli quò equites, pediteſq; diuerterent, mira celeritate conſtruxerant, continentiaq; equilia perpetuis contignationibus protecta, vniuerſo litore excitarant. Scaphis quoq; & lintribus diligenter ad ſuburbanum litus conuehere ingentem commeatus copiam, & promercalis tritici, in vſum tùm equorum, tùm equitum cataphractorum. Sic vt Cruciatos Barones nullius rei ſatagere oporteret, quando vrbana eſculenta, & vini dolia innumerabilia abundè aduecta, Exercitum luculenter recrearent. Naues præterea biremes, hyppagogas educere, armamentis atq; ornamentis ſic inſtructas, vt tutiores, ornatioreſq; vſquam portuum viſas, in omni memoria fuerit inauditum. Quarum tanta copia fuit, vt trium Exercituum Gallico parium traiectioni ſufficeret. ea de cauſa, incommodius cum Deuotis actum, qui tranſuectionis cauſa, non minore de via laſsitudine, quàm periculo, portum Maſsiliæ, aut Genuæ, aut Labronis petierunt. ſi quo Galliæ meliore fato Venetias conueniſſent, nec Barones fidei datæ puderet: deinde quanto res Chriſtiana auctior, & florentior in Syria & Palæſtina, tanto Turcica deterior,

atq;

atq; abiectior foret. Ita Venetum ipſum pactis ſtetiſſe res ipſa loquebatur. Is, ſubinde Francos Barones, vt diſceſſum admaturarent, rogare: quandoquidem ineunte iam Autumno matura hyems ſubeſſet, quæ proceloſo mare omnium gerendarum rerum occaſionem intercideret. teſtari deniq; ac naulum condicere: ſeq; de repente è veſtigio ſoluturum dicere, ſimul ac ſibi mercedes numerarentur. Barones, quorum aures quorundam voces perculſerant, qui vecturas exolui Veneto non poſſe iactabant, niſi Comites, Baroneſq; de ſuo, ſumptus inſumerent, vulgo militum mercedulas rogare, vnde voluntate ſoluerentur, eas accipere. Hanc pecuniam de paucis collectam, cum nec pro omnibus ſatis, pro paucis parum ſoluendo eſſe intelligerent, Comites, Barones, Equites ad colloquium vocantur. Oſtenditur Venetum, qui per integrum fermè annum naualem apparatum nunquam intermiſerat, & onerarias naues, pluraq; alia in bellicos vſus fabricata nauigia exædificauit, ac iam quinquaginta roſtrata armauerat, pactiones bona fide ſeruaſſe: Exercitum autem in ordinibus eo numero non eſſe (quod incommodum ab his datum eſſet, qui ſeorſum ſibi nauigationis conſilium ceperunt) vnde ſolidum exactum Venetis ſolueretur. Præſtare, ipſos omnibus ſe fortunis nudare, quàm Veneto præſertim fideli, datam fidem frangere, vnde etiam quæ iam impediſſent, magna totius Exercitus iactura pacti lege non ſeruata, committerentur. ipſeq; adeò Exercitus, ſoluti repetundi ſpem amitteret, ſimul in recuperationis Hieroſolymorum, & Syriæ deſperationem veniret. nec illi iam opinione falſi; ingens enim omnium animos deſperatio occupauit, quæ Barones cum reliquis Cruciatis militibus propè committeret. nec mirum. nauiculariјs enim mercede minus perſoluta, & cuiuſq; viatico, & facultatibus longa mora conſumptis, quid aliud quam fames morte ipſa miſerior ſperandum erat? aut (quod noſtris ominari nolim) ſociorum importuniſsima violatio? nonnulli ſumma quidem arrogantia dicere, ſe mercedulas, quas pacti eſſent ſoluiſſe: ſi ſe Veneti nauibus tollere velint, naues libenter conſcenſuros; ſin abnuant, ſe ſibi conſulturos, portuſq; Ligurum, Piſanorum, Hydruntinorum, Brunduſinorum in Italia reperturos: vnde velis in altum datis, Syriam & Palæſtinam tenerent. quod, eò in medium ab aduerſa Baronibus parte iactatum eſt, ne res à deſperatione ad ſpem reuocaretur: quin potius ſemel Exercitus diſsiparetur. aliјs, & quidem plus prouidis, qui fide & virtute præſtabant, nullo pacto committendum videbatur, vt Exercitus diſſociaretur,

qui

qui poſthac vix diuina ope in vnum locum cogi poſſet; potiuſq; omnes omnium fortunas, atq; opes in tranſuectionem effundendas eſſe; ſperare, Deum Opt. Max. ſub cuius ſignis veriſsima ſpe militarent, abundè ſtipendia ſuppeditaturum, & expenſas cumulatiore menſura, redditurum. horum vicit ſententia; nec infeliciter: protinus enim fieri quædam ad meliorem ſpem inclinatio uiſa eſt. Ille ipſe Comes Flandriæ, & Hannoniæ Balduinus, mente veluti fatorum præſcia, ac gnara, quæ ſibi nihil tale expectanti, totius Orientis Imperium portenderent, vaſa, veſtes, aurum, argentum, factum infectum, margaritas, gemmas, gazam deniq; omnem; item, quæ fide ſua aliunde corrogare potuit, in medium prolixè profert. Conſimile faciunt Comes Bleſenſis, Bonifacius Marchio, Hugo Sancti Pauli Comes, ac reliqui Barones, & Equites, qui illorum partes ſequebantur, tanto ſtudio, vt nihil iam veteris argenteæ ſupellectilis, apud eos vſquam repereretur. quod ipſum non tantum boni eſt Principis recta & honeſta facere, quantum illud, permultos ſui imitatores voluntarios habere. tum vaſa precioſe, & affabrè cælata, aurea, argentea, quibus nobilitas abacos ornare ſolita eſt, ad Dandulum Ducem, in Palatium Marcianum ſummo ſtudio comportari videres, vnde redacta pecunia Venetis exolueretur. æris tamen alieni reliquum triginta quatuor millia marcarum, fuit. qui ſoluere detrectarant, ſibiq; pecuniam comparſerant, Chriſtianæ militiæ, & Patrij decoris euerſores, gaudere; quòd proculdubio motum in caſtris futurum ſuſpicarentur: immò ipſi reliquatores breui ſperarent Cruciati Exercitus à ſocijs diſiunctionem, qua demum exoptatam diſcedendi occaſionem arriperent. Sed Deus, quem par eſt, credere piorum voluntate, & facto placatum, optimæ cauſæ in ipſo articulo citius voto fauiſſe, Veneti cum Gallo ſocietatem ſe teſte initam, idem ille præſenti numine confirmauit. Quis enim ſperaſſet, aut Gallos Barones procul domo in extremam Italiam ſuas omnes pecunias, diuitias, opes fuiſſe prouecturos; aut Venetos, ſuum alieno condonaturos? quod conſilio humano explicari non potuit, id certè Dei immortalis vi, mente, numine perfectum eſſe meritò credendum eſt. Dandulus enim confeſtim in Concilium coactis Patribus, dixit, intelligere ſe Francum ne nummum quidem amplius ſolutioni addere poſſe, atq; Reipub. ſolutum; ex pacto iam eſſe commiſſum: ſe tamen cenſere, cum ſupremæ nobilitatis, & virtutis Baronibus, ſummo iure non agendum, immò exactione acerbiore ſe, ipſoſq; Venetos malè audituros. In memoriam Ciuibus redigit, Tergeſti-

nos,

nos, & Muglenſes, veteres tributarios, cum tota ferè maritimæ Hiſtriæ ora, vſq; ad Liburnos rebellaſſe. Iadertinos poſtea Hiſtrorum exemplum ſequutos, non multis ante annis, contra ac fides & fas poſtulant, ad Belam III. Hungariæ Regem quartò defeciſſe; propterea quòd ipſi Veneto Magiſtratui parere, Eccleſiam verò Iadertinam, atq; vnà Archiepiſcopum, in ijs, quæ ad ſacra attinent, ex Lucij III. Pontificis Max. decreto, Patriarchæ Gradenſis authoritatem reſpicere, nollent. Horum Vrbem munitiſsimam, ab ipſis ſæpe omnibus viribus oppugnatam, necdum tamen receptam: paulò ante, Dominicum Michaelem Reipub. Legatum, cum ingentibus copijs in terram expoſitis obſeſſum miſſum, re infecta redijſſe: quum valida Pannoniæ Regis præſidia, Vrbem tenerent. ſe quoq; proſpicere ab vnà Gallorum gente bellicoſiſsima recuperari facilè poſſe. Idcirco rogandos, vt communi Marte Iaderam, Tergeſtinos, reliquamq; Hiſtriæ oram oppugnatum adeant: Rempub. ipſis gratia referenda, ſolutionem reliquorum triginta quatuor millium talentorum (tantum enim erat æs alienum Francorum) in diem expugnationis Iaderæ, reliquorumq; oppidorum rebellium libenter prorogaturam. Ad hęc, Barones Venetorum in ſe voluntate cognita, qui honoris ne minimam quidem iacturam facere vellent, vtilitatum autem, vel maximarum, nullam recuſarent, conditionem accipiunt. quod eos opinione ægrius habuit, qui Exercitum diſsipatum, & Chriſtianæ militiæ tempus impletum mirè concupiſcebant. Itaq; continuò ad VI. Idus Sept. qui Deiparæ Virginis dies natalis eſt, atq; idem feſtus, ciuitas in Diui Marci conuocatur. eodem Barones, ac cæteri Cruciati concurrunt. Dandulus Princeps ante ſacra cum egregio conſilio, vt Venetos alloqueretur ſuggeſtum aſcendiſſet, ex quo Euangelica hiſtoria recitatur, in hanc ferè ſententiam locutus eſt. Fędus Viri Veneti, & belli tranſmarini ſocietas vobis eſt, cum gente orbis terræ, vt maximè aperta, & ſimplici, ita pugnaciſsima; ea ne ſoluatur, danda eſt opera. &, quanquam ego id ætatis, qua videtis obſitus annis, debilis, ac penè membris captus, qui ne huius quidem lucis vſuram capio, à vobis quietem, & tanquam rudem emerita ætate impetrare meritò poſsim, ſtatui tamen Patriæ, quæ me genuit, educauit, aluit, & ad ampliſsimum honorem euexit, vitæ reliquum ſpiritum dependere: vt ei potiſsimum, quæ dedit reſeruatus videatur. Nunc igitur quod ſummæ Reipub. conducere arbitror, vt liberè dicam, in animum induxi. qui nauis clauo hoc tempore admoueatur, vtiliorem me (quod tamen nulla arrogantia

dictum

dictum exiſtimari velim) certè puto neminem. Nam mei Ciuis domi in pace regendi, & continendi, ſcientiam plurimis ſenibus concedens, quod eſt Prætoris claſsis proprium, nihil quod maris acerbitate, atq; tempeſtatibus, accidere poſsit, æquitatis communis cogitare, propria pericula, citius quàm publica ſubire, claſſem in tempore committere; Verbum deniq; illud nimium quam odioſum, non putaram, declinare, quoniam in eo Reip. cauſa, tota vita iactatus ſum, id ſi mihi, tàm duris temporibus quibus inuidia conticeſcit, ſumo, videor certè meo iure quodammodò vendicare. Quare, ſi permittitis, vt Crucis notam mihi accipiam, claſsiq; præſim, & imperem, ſimul & Raynerium filium meo loco eſſe iubetis, omnia domi, & militiæ felicia vobis, & auſpicata polliceor. nec enim fas eſt putare, qui patris auſpicijs Ciuitatis, tanquam clauum, cęperit, eum alijs quam paternis gubernaturum. hoc inquam, ſi mihi pro hoc meo erga vos ſtudio, ne dicam merito, indulgetis, iam iamq; gubernacula accipio. Idem vobiſcum, & vnà cum omnibus Deuotis, apud Hieroſolymas, & Sacroſanctum CHRISTI Sepulchrum, victoriæ, aut mortis decus petiturus, & in patriam reportaturus. In Danduli voce vniuerſa Ciuitas acclamare, nunc ades, ades ad Imperandum, oramus. ſpectaculum pietate in Deum, ac Patriam inſigne Principis, & ſenis, & cæci, ſimul atq; Ciuium vim lachrymarum effundentium egregia voluntate. Dandulo vulnus in capite acceptum, oculorum aciem imminuerat, ſicuti Villharduinus tradit; annalibus tamen Venetis proditum eſt, eundem Reipub. ad Emanuelem Conſtantinopolitanum Imperatorem Legatum, eiuſdem iuſſu, contra ius gentium, candenti ferro oculis admoto, luminibus priuatum. Sed animi tanta vis inerat, vt ipſe non ſenectute fretus, ſed magnitudine animi, & grauitate, ſed pietatis ſtudio, mortis, doloriſq; contemptionem maiorem indueret; & ita, vt in periculis, in reflantis fortunæ minis, hoc Duce nihil quidquam deſpondendum eſſet; eoq; noſtros ſuorum pudebat, & miſereſcebat, qui vt ſcopuloſum Adriam, & infeſtum vitarent, turpiter aliorſum diuerterant. è veſtigio Dux, cum concione deſcendiſſet ad Aram maximam lachrymans in genua procumbit. huic præſto affuere primarij Templi Sacerdotes linteati, qui de vetere conſuetudine ex ſacratis Pontificiarum ceremoniarum libris, in ipſius ſummo pileo (id erat xilinum) nullo tum Venetis Ducibus holoſerici, purpuræ, & auri vſu, ita optimi & frugi mores ferebant, Crucem rubram inſuunt, vt in vertice, toti ciuitati eſſet conſpectior. Veneti maximo

numero

numero, ea die Dandulum ſequuti, rubra Cruce humeros honeſto certamine inſignibant. Et quanquam nulla diei pars, Crucis acceptione vacua eſſet, tamen pauciores Ducis voluntate videbantur. Ea re, Galli flere, ſimul & gaudere: atq; eò vehementius, quod Principem tanta ſapientia, atq; animi robore præditum inſigni Crucis nota præter cæteros conſpicuum, nacti eſſent: quodq; tum demum Venetos, quod maximè cupiebant, Cruciatos ad pium bellum ſibi coniunctos videre viderentur. Iam fermè Autumno appropinquante, Veneti qui per integrum annum, & amplius, naualem apparatum nunquam intermiſerant, claſſem ad nauigandum paratam, atq; omnibus rebus inſtructam educere, & Baronibus tradere. Habuit autem Claſsis vniuerſa, vt Annales Veneti tradunt naues CCCCLXXX. Nam præter Biremes numero quinquaginta, Venetis claſsiarijs militibus, remigibuſq; refertas, quas ab initio Dandulus Gallis liberaliter, pietatis ſtudio, pollicitus fuerat, CCCX. onerariæ inſtructæ dicuntur, in quarum CCXL. quæ ſine remigijs quadratis velis agebantur, externus miles eſt impoſitus; reliquis ſeptuaginta commeatus, & cætera impedimenta deportabantur, quum hyppagogis centum & viginti omnis Cataphractorum equitatus deueheretur. Interim ſub ipſam Claſsis in Syriam ſolutionem, Conſtantinopoli res noua planè & luctuoſa, & in hac memoria inaudita, ad miſericordiam, & calamitatem notabilis, accidit. Iſaacius Angelus Comnenus Conſtantinopolitanus Imperator, Alexium Germanum natu grandiorem habuit, quem à Turcis captum redemerat, & ampliſsimis quibuſq; honoribus ornatum, Seuaſtocratorem creauerat, cuius prima ſecundum Iſaacium fratrem in Imperio erat authoritas. Is, vt erat peruerſo ingenio, Regni flagrans, per ſummum ſcelus, Imperatorem fratrem, qui nondum decem annos regnauerat, luminibus orbauit, eumq; in carcerem coniecit; vnà etiam eius filium Alexium Porphyrogenitum Adoleſcentem cuſtodiebat, quòd Patris ſucceſſor eſſet deſtinatus. Is aliquot poſt annos maiores ſpiritus gerens, quàm commutata fortuna pateretur, Tyranno erepta penè diuinitus mente, Patris & amicorum conſilio, atq; ope, carcere euaſit: animo agitans quibus conſilijs, ac viribus pulſo Patruo Patrem in Regnum reſtitueret. Dum verò fugam animo volutaret, non defuit Fortuna extremis mortalium caſibus ſuccurrere ſolita. Oblatus eſt enim Piſanus quidam onerariæ nauis Dominus, qui fortè inſtructis duabus nauibus in Italiam nauigabat. ab eo ſiquidem magnis promiſsis, & precibus impetrauit, vt in Italiam traijceretur. Athyræ igitur quæ

ad Propontidem Vrbs eſt, infra Conſtantinopolim, latina veſte clanculum induta, & coma in orbem raſa, vt in turba magna obuerſans Tyranni inquiſitores, & ſatellites lateret, nauigium, quod ex condicto puerum expectabat, conſcendit, & Ægeo, Ionioq; emenſis, miſerrimus Adoleſcens Anconam in Picenum defertur. Inde ad Philippum Sueuum Germanorum Regem, fratrem ſororium; nam ei Iſaacius Irenem filiam nuptum collocarat, quæ defuncto Rogerio Tancredi filio Siciliæ Rege, qui à Patre inauguratus fuerat, vidua erat, cum paucis neceſſarijs, atq; amicis pergit. In itinere, Veronæ, quæ Gallorum Cęnomanorum vetus Colonia fuit, aliquot dies commoratus, conſilium Tridenti Rhæticis Alpibus petendi cępit, quò commodius, & tutius in Germaniam adiret. Ibi comites Adoleſcentis fugæ, quotidie aliquot Deuotorum turmas, qui ex Alpibus per Inſubriam Venetias ad Exercitum concurrebant conueniunt: Ab his, Alexio Cæſari refertur maximas equeſtres, pedeſtreſq; copias Gallia profectas, Venetias coiſſe, atq; ibi reliquas manus operiri, dum bona fortuna aggregati, vela in Syriam, & Palæſtinam faciant. Illi eidem Adoleſcenti Cæſari conſilium dant, vt eò ad Bonifacium Marchionem Monferratenſem propinquum, penes quem conceſſu Procerum, ſacro bello, militaris Imperij poteſtas eſſet, & Barones, ad Exercitum mittat (quod inde Venetias ſpatium millium paſſuum circiter ſexaginta eſſet) qui ipſi Barones concilient, ſi calamitate Adoleſcentis, & atrocitate iniuriæ, Patri atq; Filio per ſummam impietatem factę, commouere queant: ſin minus res precibus procedat, quacunq; ratione ad opem ferendam incitent; &, ſua obſequentia, illorum conditiones ſuperent: ſe, magnam ſpem de Gallo concipere, quem natura omnium maximè exorabilem eſſe prædicant. Deliguntur confeſtim qui cum Baronibus de Adoleſcentis conditionibus agerent. cum in Vrbem veniſſent, conſilijs Alexij detectis, Barones obſecrant, obteſtanturq; per ſanctiſsimæ amicitiæ fędera, & propinquitatis, atq; affinitatis iura, quæ Alexio Adoleſcenti, cum Monferratenſi Marchione intercedunt, ne in ſumma rerum occaſione deeſſe velint. docentq; demum quanta ipſis Baronibus, quanta Chriſtianæ Reip. & Hieroſolymitanæ expeditioni emolumenta, Iſaacio Patre in Imperium reſtituto emanatura ſint. Crucigeris porrò copijs in Græciam tranſmittere, atq; aduerſus Alexium Tyrannum fatale bellum Barones ſuſcipere non dubitarent, quando non homines ſolùm, ſed ipſi propemodum Tyranno infeſti ſacroſancti Cælites fauerent. Approperarent mo-

do,

dò, atq; omnem ſpem in celeritate ponerent. Siquidem ab amicis, & paternis clientibus adipiſcendi Imperij ſumma ſpes Adoleſcenti eſſet propoſita, ſi armata claſſe, & terreſtribus copijs nuſquam interpoſita nauigatione Conſtantinopolim accedat, prius quàm Tyrannus patruus imparatus, nihil tale veritus, Græcos mercenarios milites conſcribere, ac propoſitis præmijs, contracta finitimorum auxilia, ex Aſia in Græciam traijcere poſsit. Ad ea pro Bonifacio Marchione, qui nondum Venetias aduentarat, Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ Comes, coram Dandulo, Legatis reſpondit: & poſtulata ipſorum audiſſe, atq; imis ſenſibus mandaſſe: cæterum, ſe ad Philippum Sueuum Germanorum Regem Adoleſcentis fratrem, certos homines, qui reſtitutionis conditiones dicerent, cum ipſo allegaturos; ſi Alexius authore Sueuo, in recipienda Syria, & Palæſtina, Gallis auxilia polliceatur, ſe quoq; pro viribus Cæſarem in Regnum reſtituturos. Scire enim Iſaacium Angelum Patrem contra iura Diuina, atq; humana, Imperio ſpoliatum, & luminibus orbatum, ſqualore, ac ſordibus, teterrimo in carcere vitam traducere. Ipſum porrò miſerrimum Adoleſcentem, vagum, exulem, luctuoſam, ac maximè miſerabilem vitam agere. quum interim immitis, atq; atrox Tyrannus ſolus regnet, & dominetur. Cæterum Alexius ſi Hieroſolymitanæ expeditionis iuuandę deſiderio, perſcriptis conditionibus, integra conſtantiq; fide Baronibus Palæſtinam euntibus ſtudium ſuum, atq; opem præſtaret, non laturos Barones, quod Chriſtiana pietate dignißimum exiſtimatur, Iſaacium, erepto Imperio ac libertate, diutius torqueri. Ipſos enim terreſtribus, & maritimis prolatis auxilijs, Byzantium petituros, atq; Iſaacium ab Alexij fratricidæ manibus vendicaturos; qui nec Deum ſcelerum vltorem timeret, nec parricidij nomen apud homines vereretur. Interim Baronibus, ac ſocijs ingens calamitas incidit, acerbißimum fatum Fulconis Nuylliaci, ſanctißimi, ac integerrimi viri, vt quod in prima laude ponendum eſt, huius militiæ inceptoris, & ſi tanti progreſſus ſpem propè exploratam faciunt (ſicuti certè faciunt) etiam perfectoris, Venetias allatum. id enim verò dicunt, Virum bonum & caſtum facilè Deum populo propitium impetrare, quem contra impij ſupplicijs, ac precibus infenſum, atq; infeſtum reddant. Is, in re tenui natus, vnius cohortis Sacerdotum, Epiſcopo Pariſiorum facientium fuit. quæ res nonnullorum hiſtoricorum errori cauſam præbuit, vt eum Pariſ[illegible]m fuiſſe memoriæ traderent. Hoc etiam eſt, quòd ille ſemper in ore habuit. nihil numi-

ni Diuino, ac menti acceptius eſſe, quam eius cultum factis, ac ſermonibus retinere; atq; eundem, vbiq; gentium, vel perſuadendo, vel cogendo, propagare. ex quo ille habitare in concionibus dictus. ita Franciæ mirabiles pietatis amores excitabat, vt nihil ei longiùs eſſet, quàm vt Ducem videret belli ſignum ſuſtollentem. Duo antea viri ſanctitate inprimis celebres, Petrus Eremita Ambianus, & Bernardus Clareuallenſis Cęnobiarcha, Europa quieta, & in maxima pacis tranquillitate, hanc viam inierunt; Sed Fulco Nuylliacus, in inteſtina Chriſtianorum omnium Regum diſcordia, belli Syriaci Concionator & inſtigator, arma ciuilia atq; odia, in Impios vertere auſus eſt. quæ myſteria qui initiati ſunt, eos religionem, purè & caſtè Dei numini tribuere, populoq; aperire, decet. qui, etiam ſatis profeciſſe videantur, ſi concionibus ad eam populum cohortati, commouerint. Tanta autem Fulconem in ſermonibus eo rudi ſæculo, eloquentia fuiſſe conſtat, vt vulgò in concionibus, vitiorum ſecuris diceretur; ac iure id quidem. permultas enim mulieres infames, quæq; Pariſijs corpore quæſtum fecerant, à voluptate ad religionem facilè retraxerat, ac reuocarat. quarum is numerus fuit, vt eis alendis, hoſpitia publicè conſtituerentur, quòd eæ ſeſe vulgo reliquarum ſeparare vellent, ne contagione inficerentur. Ea de cauſa, Fulco ſtipe publicè emendicata, Cęnobium exædificat, Diuoq; Antonio Campeſtri, non procul Lutetia Pariſiorum, dicatum, mulieribus vtendum fruendum dedit. Noſtros tamen, in hac fortuna, mala certè & afflicta poſitos, complurium fortiſsimorum Theutonum in Vrbem Venetam aduentus, recreauit, atq; refecit. Hi admirandæ virtutis nomine inter Germanici Imperij Proceres apud Cęſarem in honore habiti, Germanorum Baronum ſuperioris æui exemplo, auxiliares Cruciatorum equitum copias, vel robore, vel militari vſu præſtantes, Venetias adduxerant, Gallo equitatu minimè inferiores, ſi Equitum nobilitatem, ac famam, aſsiduis quæſitam bellis, & priuatæ virtutis decora, animo reputemus. Siquidem Fulcone concionante ſuperioribus annis, Occidentales Germani, qui dextram, & ſiniſtram Rheni ripam incolunt, ad ſacri belli famam, Pontificij Diplomatis indulgentia excitati, rubra Cruce humeros, Gallorum æmulatione, religioſè obſignarant; tanto animi ardore, dum omnes fermè Reguli, liberæq; Ciuitates, & earum Antiſtites, opibus & authoritate præcellentes, de Palæſtinæ recuperatione vehementer ſoliciti, certatim religione, ac pietate contendunt, vt paucorum menſium ſpacio innumerabiles equeſtres, pedeſtreſq; copias armarent.

rent. Itaq; vna expediti conſilij celeritate, non Ciſrhenana modò Germania, ſed & Tranſrhenana, & ea quæ intra Albim, & Viſurgim amnes incolitur, ingentes fortiſsimorum Equitum turmas ſub Crucis vexillum, incredibili alacritate, conflarant. Nobiliores verò fuere, Conradus Epiſcopus Halberſtadienſis, ex inferiore Saxonia, qui cum ſupra ampliſsimi Sacerdotij opes, plurimorum Clientum præſidio validiſsimus eſſet, maximas equitum copias, & ingentem ad bellicos ſumptus pecuniam, Venetias attulerat. Eodem etiam ex veteribus Cattis Bertoldus Catzenellenbogenſis Comes in Haſsia, ad Rhenum, deſcendit, exemplo Hermanni Haſsiæ Comitis, & Thuringiæ Landgrauij, proximè in Syriam profecti, Ludouici IIII. Landgrauij Thuringiæ filij, Conradiq; Imperatoris ex filia nepotis, & Caroli Magni ex Lotharij filia paterna Auia, ſanguine progeniti; cuius Hermanni alter frater Ludouicus, ſine prole, non ita pridem ſacro bello ad Hieroſolyma gloriosè occiderat. Bertholdum ſequuti ſunt. Garnerius Borlandus Brabantius, Theodoricus Loſius, Henricus Aramæus, Theodoricus Dietzenſis, ex Dietza; Rogerius Suicrenſis, Alexander Villaregius, Oldouicus Thonæus. Viri eximiè bello fortes, & qui Chriſtianæ pietatis minimè obliti, pro antiquo inuictæ gentis decore, maiorum exemplo, ad maturè in Syria Chriſtianis rebus opem ferendam, vndiq; cum Cruciatis auxilijs conuolarant; non inanibus omnino votis, quum ſecum pleriq; ex tota Germania nobiles, ſtrenuiq; equites, qui antea in Syria turmales præfecturas obierant, ſpectarentur. exiſtimabant enim ſe ignominia cõopertos iri, ſi vti deſides, & parum pij, ſacram militiam ſubterfugiſſent. Hic è veſtigio Veneti educta claſſe, in quam nautici panis, & commeatus, prout ex fędere debebant, ingentem copiam attulerant, Baronibus nauigia, atq; hyppagogas tradunt, quas ijdem, Equitibus, ac Centurionibus ſeorſum attribuunt, rebus omnibus ſummo ſtudio adminiſtratis. Igitur viris, & equis, ac Centurionibus, in naues impoſitis, nauicularij ſcutis, quę antiquæ, ac ob id ſummę nobilitatis inſignia ingenuarum gentium propalam habentur, ipſas naues, earumq; caſtella prætexere, ſignis Comitum, & Baronum expanſis vexillis, atq; affixis. Poſtremò deniq; tormentorum omnis generis numero amplius CCC. magno quoq; numero Scorpionum, Catapultarum, ac cęterorum, quæ ad defendendum, ac oſtendendum ex cataſtromatis, ſeu nauium tabulatis, parari ſolent, magna copia, omniq; armamento nautico, & inſtrumento debellationi, atq; expugnationi Vrbis neceſſario in naues illato. nam tantus

erat,

erat, Arietum, ingentium Baliſtarum, Tollenonum, & Onagrorum, qui rudi ſæculo in vſu erant, bellicarum machinarum, & muralium tormentorum apparatus, Mangana appellabant, quibus grandiora ſaxa & lapides, fulminis in morem, longiſsimè iaciebantur, quantus antea nuſquam belli fuerat. Bombardarum artificio (quibus à ſonitu nomen eſt inditum) quod apud Germanos à Chymiſta Monacho, caſu quodam, centum quinquaginta poſt annis innotuit, nondum reperto. Hic claſsis ornatus, atq; præclara inſtructio, vt militi gratiſsima, ſic ſpectatori iucundiſsima fuit, & quod Gotthofredus Villharduinus ſuis Commentarijs affirmat, tàm opulentiſsima, atq; firmiſsima, quàm ſpecie præclariſsima. Cæterum VIII. Idus Octob. ex die Diuo Remigio dicato IIX. qui Venetijs ſtata quotannis Marcianæ Ædis Deo dicatę memoria, feſtus eſt, Chriſtianæ ſalutis anno ſupra milleſimum, & ducenteſimum ſecundo, nauigationis Illyricæ ſignum datur. Dux Venetus Henricus Dandulus, toti nauali negotio Præfectus, Prætoriam conſcendit, remigibus lanea veſte, & epibatis omnibus veſtibus, ac armaturæ cultu plurimum exornatis, quum reliquæ Biremes veterano, expertoq; remige, ac magnoperè peritis gubernatoribus, vterentur; eo ſæculo nondum Triremium vſu, quæ ternis aguntur remis, comperto. Hamiralis claſsis, Vitalis Dandulus, Eques magna virtute, & idem regendæ claſsis, & in acies inſtruendæ; pugnarum præterea naualium, nulli ferè ſecundus: is cum præſentiendi tempeſtates, naturamq; maris, & cęli, nubiumq; eſſet peritiſsimus, atq; omnes noſtri maris oras, ſtationes, inſulas, portus, egregiè doctus, munus Hamiralis, ſupra cæteros ſuæ ætatis Venetos, conſtantiſsimè tuebatur. Nauigiorum verò, & onerariarum nauium, quæ carcheſia in malis ferrent, & velis tamen agerentur, in quibus equeſtres, pedeſtreſq; copiæ, commeatus omnis, machinæ, machinationeſq; & bellica tormenta deportabantur, Nauarchus Gabriel Superantius: Vir ætatis ſuæ ſummis honoribus, naualis militiæ geſtis, longè clariſsimus. Trierarchi autem Duces roſtratarum Biremium, (nam cum Danduli Prætoria L. numerum complebant) quæ Venetis militibus claſsiarijſq; refertæ, gratuitò propagandæ religionis ſtudio Baronibus attributæ erant, à Dandulo ob eximiam rei bellicæ peritiam, & naualis militiæ vſum delecti: Iacobus Iuſtinianus, Dominicus Maurocenus, Vitalis Michael, Andreas Iacobæus, Petrus Delphinus, Andreas Barocius, Ioannes Contarenus, Petrus Zianus, Dominicus Bonaldus, Nicolaus Nauaioſus, Thomas Faledrus, Petrus Superantius,

Ber-

Bertucius Contarenus, Alexander Bracadenus, Petrus Zopolus, Hieronymus Zane, Bartholomæus Maurocenus, Ioannes Baſilius, Otho Quirinus, Petrus Salamonius, Antonius Orius, Marinus Dandulus, Dominicus Syluius, Conſtantinus Faledrus, Matthæus Iuſtinianus, Ioannes Iulęus, Bernardus Sanutus, Raynerius Permarenus, Rogerium quidam volunt; Ioannes Michael, Dominicus Pantalæus, Laurentius Theupulus, Ioannes Zenus, Panthaleon Barbus, Andreas Dandulus, Vitalis Iſtricus, Nicolaus Maiſtropetrus, Leonardus Fradellus, Dominicus Memmius, Raynerius Polanus, Iacobus Baduarius, Ioannes Gradonicus, Petrus Celſus, Franciſcus Vionus, Ordelaphus Faledrus, Franciſcus Georgius, Ioannes Bolzanius, Aurius Gatulus, Blaſius Caſulus, Petrus Cornelius. Itaq; cum in anchoris, ad Diui Nicolai Litorij inſulam per multos dies fuiſſent, idoneum ſoluendi tempus expectantes, quoad procelloſum mare deferueſceret, traiecto Illyrico (Tergeſtinum ſinum appellant) vt antea conſtituerant, in Iſtros, & Tergeſtinos, veteres Reipub. tributarios, læſæ Maieſtatis rebelles, mouent. Claſſe Tergeſtum verſus adnauigante, Tergeſtini, & Muglenſes numeroſæ claſſis aduentu terrentur. Naues enim, Biremes, Hyppagogæ, Celoces, prẹter ingentem nauigiorum copiam, frequentibus exornatę vexillis conſpiciebantur, quæ ſpeciem æquo maiorem, & terribiliorem hoſtium oculis prębebant. Verùm, id rebellium animos magnoperè perturbauit, quòd alij, atq; alij minoribus nauigijs prẹcurrentes renunciabant, pro certo Dandulum ipſum Venetiarum Ducem, tantæ claſsis Imperatorem adnauigare, tantaſq; ſecum Gallorum equitum, & peditum, in Palæſtinam euntium copias auxiliares ducere, vt nemo qui arma ferre poſſet, in Gallia relictus eſſe videretur. his copijs Hiſtrorum Piratarum, qui fidem fefellerant, defectionem vltum Dandulum veniſſe. quam ob rem Tergeſtini, & Muglenſes, vt plerunq; accidit, ex timore deteriora quæq; exſpectantes, ad primum Claſsis in terram appulſum, miſsis ad Ducem Legatis, ſine vlla mora deditionem faciunt. Dandulus autem venientes ad ſe Legatos, tanquam indignatione vehementer commotus, ita turbido infeſtoq; ſupercilio excepit, vt fractam fidem, & Venetæ Reip. læſam Maieſtatem, armis vindicandam exprobraret. Aliquot dies poſt, deditionis leges dixit, his conditionibus, vt Muglenſes, quinquaginta vini dolia, vrnas vocabant, Tergeſtini totidem, annua Veneto Duci penſitarent. Miſsi igitur ea gratia Venetias, qui ſuos in perpetua fide manſuros iurarent, & quotannis pacta tributa ſoluturos,

turos. His rebus confectis, ac ſine vulnere Hiſtrorum defectione vindicata, Dandulus vnà, & Barones, præmiſsis nauibus, Hyppagonibuſq; ex Illyrico, Flanaticum ſinum prætervecti (Quarnerium dicunt) Iaderam verſus curſum intendunt, & Iadertinum fretum ingrediuntur. Pridie eius diei, quem Martinalia appellamus, diem Diuo Martino ſacrum, claſſe Iaderam appulſa, IV. Id. Nouembris, recognoſcunt Vrbem, cui aliquot in tempore ab Hungariæ Rege Equitum auxilia ſuperuenerant, muris, & turribus, opinione munitiorem. Centuriones, & ij in vſu militari benè verſati, inter ſe colloqui, eam nulla vi, nulla ope, niſi diuina, capi poſſe. Hęc Vrbs, in Illyrico dives, viriſq; & equis potens, olim populi Romani Colonia, decem & octo paſſuum millibus, veteri Iadera procul ſita eſt, cuius vrbis veſtigia adhuc inter rudera, ad litus cernuntur; ab Vrbe Veneta ducenta paſſuum millia abeſt. Adriatico nauigantibus Ionium, ad læuam conſtituta; ad Septentriones portu, reliqua mari ſcopuloſo circundata, niſi qua ad hybernum ortum in continentem via eſt. Itaq; Claſsiarij ad Vrbem anchoras iaciunt, reliquam claſſem præſtolaturi: quibus poſtera dies, luce propè peculiari ſerena, ad ſocios proſperum curſum fecit. coniuncti, catena effracta, quæ aditum intercludebat, propugnantibus acriter Iadertinis è ſuperioribus turribus, & pinarum coronam, ſagittas, lapides, miſsilemq; ignem in ollis teſtacijs immittendo; Veneti, & Galli portum occupant: dein ſedulò exeunt, & ad veterem Diuorum Philippi, & Iacobi Ædem, quam munitionis loco haberent, caſtra ponunt. Hæc inter & Vrbem qua ſol meridiem obit, portus erat interiectus. hìc innumerabiles Equites feſtinare, itemq; Centuriones in terram emicare, equi Hyppagogis celeriter produci, arma proferri, vaſis, inſtrumentoq; omni caſtrenſi, & ſupellectile, pellibus ad tentoria naues omnes exhauriri. Exitus adeò felix, omnium animos mira voluptate (vt par erat) ſuffudit. Veneti igitur ſimul & Galli, die quem de more poculis genialiter ad menſam conſidentes domi celebrare conſueſſent, nunc in maxima rerum perturbatione omnibus copijs Iaderam obſidentes, iaculis, ac machinis petunt. Ex Tranſpadanis, & Ciſalpina Gallia, nondum Bonifacius Marchio Monferratenſis, ad quem bellicarum rerum ſumma reſpiciebat, ſuos conſequi potuerat, neceſſario negotio retardatus; & hic nonnulli Barones deſiderabantur. Stephanum quoq; Perticenſem, & Matthæum Monmorentiacum, duos eius ætatis Duces longè clariſsimos, morbus Venetijs deſidere cogebat: quo recreati, Monmorentiacus naui curſum

Iaderam

Iaderam verſus celeriter intendit: Sed Perticenſis ad fallendum, colligendi ſui cauſa (vt dicebat) prima nauigatione, quæ appetente vere Martio menſe in Syriam adſolet, in Apuliam proficiſcitur: ſibiq; complures adiungit. in his Rodericum Monfortenſem, Iuonem Inſulanum, ac nonnullos alios. vnde rumorem non ſatis bonum collegerunt. Poſtridie Martinalium Prid. Id. Nouemb. Iadertini continenti duorum dierum oppugnatione in ſummas difficultates coniecti, cum nulla Hungariæ Regis auxilia propediem ad ſe ventura proſpicerent, neq; Croatiorum equitum turmas, ſecus ac Hungarici Regni Proceres paulò ante polliciti fuerant, ad ſe maturare intelligerent, & aduerſus tantos Venetorum, & Gallorum conatus infirmiſsimas Ciuitatis vires etiam conſpicerent, animum deſpondent. Itaq; ab Vrbe diuiſis noſtrorum copijs circumſeſſa, nec tàm rerum ſuarum, quàm vitæ trepida, per maritimam Diui Chryſogoni portam, ſuperato portu mittuntur ad Dandulum, qui deditionem Vrbis, agri, fortunarumq; omnium facerent, ſalutem corporibus ſuis tantum orantes. Ille reſpondit, ſe nihil Baronibus inconſultis, ſalua fide agere poſſe. Mox itaq; cum Baronibus colloquitur. Rem Iadertinorum ſui arbitrij eſſe noluiſſe, ſed pro ſuo in eos amore, illis integram ſeruaſſe, quid ipſis placeret, rogare. nihil enim neq; hoc tempore, neq; aliàs, niſi de eorum ſententia conſtituturum. Illi Ducem collaudare, ac rogare, deditos, quibus conditionibus ei videretur, in fidem reciperet. Concilio miſſo, Dux in tabernaculum redit. ibi, diſcit ſceleratam illam conſpirationem, quæ Exercitum diſpergi cupiebat, clandeſtina cum Iadertinorum Legatis colloquia habuiſſe, falſaq; pietatis ſpecie ſuaſiſſe, ne deditionem facerent: Deuotos milites Francos, eò perduci non poſſe, vt in Chriſtianos arma vertant. Ita ſolos Venetos oppugnaturos, quos Vrbi capiundæ impares, non ſemel periclitati eſſent. Proinde ab his vix, aut ne vix quidem, ſibi metuendum eſſe, multis antè documentis cognouiſſent: ſi ſe audiant, armis libertatem defendant: Vna hac ratione haud dubiè ſartam tectam manere. Legati, Robertum Bonnenſem ex Deuotis militibus comitem ſibi adſciſcunt, qui militaris ſacramenti immemor, quæ à ſocijs tumultuantibus, ac maximè ſeditioſis paulò ante edoctus erat, Iadertinis diceret; atq; ita ad ſuos pleni ſpe, redeunt. Quinetiam, illi idem factioſi homines quos modò poſui, continuò Abbatem Clareuallenſem, Ciſtercienſis Sodalitatis hominem, turbarum, ac ſeditionis mirum artificem adornant, qui Deuotis, authore ſummo Pontifice, Chriſtianæ vrbis oppugnatione, interdi-

F ceret.

ceret. eos ſacramento rogatos tantum Sarracenos Hieroſolymorum Palatinæq; occupatores, terræq; Syriæ Tyrannos vltum veniſſe, non miſeros Iadertinos, ſecum ijſdem Chriſtianis ſacris initiatos, in gratiam Veneti debellatum. Quibus rebus Dux grauiter commotus, cum iam ira, & dolore exarſiſſet ad Comites, Baroneſq; aduolat. In Procerum tentoria ingreſſus, perturbato pro re animo, conſpectu eorum primo tacitus, mox rem indignatione remittente, exponit; fœdus & ſocietatem, quàm maxima ceremonia ictam, niſi diuino numine violato imminui non poſſe. Præterea Gallorum colloquia cum hoſtibus clandeſtina, & flagitioſa conſilia mirificè contecta edocet, nominatim autem Proceres appellat, atq; obteſtatur. Franci, Comites, & Barones re inter ſe communicata reſpondent: ſcire ſe, æmulos eſſe quoſdam nobiles ex ſuis, nullius penè ſanitatis homines, Chriſtiano nomini infenſos, qui Exercitum mirificè conſentientem palmis florere iniquo animo ferrent. Nec dubitare quin ij, ſi Legatos commodum nacti fuerint, victoriæ propè exploratæ moras (ne grauius dicam) inijcerent. nec quenquam Venetum ex eo, plus doloris, quàm ſe capere, quod in factioſis, nonnullos amicos, & neceſſarios habeant; ſeſe tamen, ſic fidem, & militare ſacramentum more patrio colere aſſueuiſſe, vt quod mox vidiſſet, iam factione paucorum contempta, boni omnes iam è veſtigio ad delendam ignominiam toti, & mente, & animo Iadertinæ oppugnationi alacriter inſiſterent. Prima igitur luce, motis caſtris propius portas, qua Vrbs ad Orientem hybernum aſpicit, cum tota mole copiarum incumbunt, & caſtra locant, prolatiſq; tormentis quæ Mangana appellant, catapultis, & ſcorpionibus crebro ingentium ſaxorum, & ſagittarum miſſu, Oppidanos opprimunt, muros diſturbant, domos, munitioneſq; magno ciuium incommodo labefactant. Iadertinis in ſummas anguſtias deductis, noſtri ſagittis, ſimul & iaculis, velut grandinis nimbo, ingeſtis, defenſores muro deijciebant; vnà etiam cuniculis oppugnabant, vno tempore. ſed qua ad Aquilonem mare alluit, Veneti nauibus turres excitant: erectiſq; Tollenonibus, qui gradarij vocantur, quod eis velut gradibus miles in hoſtilibus muris, nullo negotio, integer ſtatueretur, mutuo inter ſe ſubleuare conantur. partim aſcenſu ſcalis tentare, partim lapides in Vrbem iactare, atq; arietibus muros verberare; nullum quinq; dierum ipſorum tempus, continenti, maritima, atq; terreſtri oppugnatione vacuum fuit. Iam fundamentis vnius turris fermè ſubrutis, & exciſis, Iadertini ſecundò deditionem faciunt: ijſdem planè legibus, quibus prio-

rem

rem conceperant. Ita Iadera Galli auxilio capta, ſolius Veneti pręda ex pacto, fuit. Dandulus Venetiarum Princeps ad Comites, Baroneſq; gratulatum venit. demonſtrat, mare propè clauſum, nec ſatis ante Paſchales dies, Aprili menſe, tempeſtiuum futurum. Deinde ipſum mare Syriam, & Ægyptum verſus, longa atq; hyemali præſertim nauigatione, non ſatis portuoſum, ac tutum. Poſtremò ciuitates maritimas, omnis propè commeatus inopes eſſe. propterea ſuam eſſe ſententiam, Iaderæ hyemandum, quòd Vrbs copioſa eſſet, & Iadertina regio rebus omnibus, quæ bello vſui ſint, abundaret. Commodè Gallo Vrbis partem, quæ continenti innectitur; partem quæ mare ad Aquilonem, & Septentrionem ſpectat, Veneto attribui poſſe. Hoc ſpectauit Dandulus; ſed illud multò magis, quòd Vrbem infidam, quæ rebellionem quartò fecerat, & cuius fluctuantes animi nondum à bello ſatis reſederant, non tàm citò relinquendam putabat, quoad rem Venetam compoſuiſſet, & ſtabilijſſet. Danduli conſilium dictum, ſimul & probatum. Itaq; motis caſtris Gallico equitatu, & Cruciatorum militum copijs in Vrbem introductis, omnibus pro cuiuſq; ordine, & dignitate hoſpitia, deſignata. Breui autem ſpatio inter Venetos, & Gallos, vna & eadem Vrbe interiecto, multa laſciuè vicinitas ipſa patrabat. Nam tertia poſt die ex promiſcuo cętu, cum Barones, & Dandulus hincinde ſuorum licentiam caſtigando, iubendoq; cohibere volunt, ſub veſperum maxima ſeditio militaris inter Venetos, & Gallos exorta eſt; quum Veneti ſuperbas inſolentium Gallorum voces, & minaces vultus ferre non poſſent, vno eodemq; tempore ad arma, ex omnibus partibus concurri cęptum. Quo die Deuotorum res in ſummum penè diſcrimen adducta eſt, quando irarum cauſæ mutuis cędibus creuiſſent, & à Votiuis militibus, prout erant partium ſtudia, in auxilium ſuorum armatę acies accurrere properarent. Tum inter ſe Fortuna iniquiore commiſsi, per omnia Vrbis compita, cominus enſibus, cæſim, & punctim ferire: tum eminus, maiores baliſtas intendere, telaq; & iacula ita emittere, atq; remittere, vt haſtis etiam multis vtrinq; cęſis, pluribus fędè vulneratis, res non incruenta gereretur. Sed Veneti numero impares tandem Gallorum incurſionem, & impetum nimis incitatum, ac vehementem, vix ferre potuerunt. Acerbum ſanè vtrorumq;, & ſociorum, & Fęderatorum ſpectaculum, ipſis etiam hoſtibus, miſerandum. Eò armati Duces, Tribuni, Centuriones concurrere, ſi authoritate, ſi jmperio, ſi vi motum ſedare poſſent. Dolebant, florentiſsimum Exercitum inteſtina ſeditione funditus interire: do-

 lebant,

lebant, nihil quicquam à fide, & iureiurando, ſanctum eſſe. eoq́; propria pericula non refugiebant, quin ſe armatos armatis interponerent, ac manu conſertos, vel contumelijs, vel Imperij authoritate dirimerent. Sed Fortuna quæ nullius propriam potentiam, ac felicitatem eſſe vult, hoc vtriſq́; potiſsimum incommodabat, vt ſi quo in loco tumultuantes pacarent, nihilo alibi minus ira Martis & furor, pugnam redintegraret; Sic, obſtinatis vtrinq́; animis, ſæpius ad tertiam circiter vigiliam tumultuatum & pugnatum. Baronum, ac Comitum ſuperuentu, qui benignè, ac comiter appellando, deprecandoq́; ne tantum facinus in Venetos ſocios admitterent, certamen iam multorum cæde, ac vulneribus cruentum, dirimitur. Tanta tamen vtrinq́; detrimenta accepta ſunt, vt omnes antè erratorum vehementer pęniteret. Eo in tumultu, præter gregarios cæſos quamplurimos, Ægidius Landaſus Belga magni nominis Eques, moritur. Tumultò autem paulum ſedato, Dandulus cum Baronibus per integram hebdomadam toto pectore in partium inter ſe reconciliationem incumbere, nec antè conquieſcere, quàm Venetus cum Gallo in gratiam redijſſet. Decima quinta die, quam Iaderę tumultuatum, Bonifacius Monferratenſis Marchio, cui Barones militare Imperium attribuerant, ex Inſubribus; Matthæus item Monmorentiacus, Petrus Braiaquellus, multiq́; alij fortes Viri ex Gallia Illyrium appulſi, in Vrbem ingrediuntur. Altero tanto poſt tempore, Legati qui ex caſtris ad Philippum Sueuum Germanorum Regem, cum Alexio Cæſare adoleſcente profecti erant, Iaderam ad Proceres reuertuntur. eos continuò Dux cum Baronibus domum ſuam, quo omnes conuenerant, intromitti iubet. Princeps Legationis dixit; Philippus Rex, vnà & Iſaacij Angeli Conſtantinopolitani Imperatoris Filius Alexius, Irenes Philippi Vxoris frater, vt ex ipſorum litteris cognoſcetis, nos cum mandatis dimittunt. Primùm Deo Opt. Max. Alexium Cæſarem Philippus dedicat: Deinde, veſtræ fidei commendat, totumq́; vobis de manu (vt aiunt) in manus veſtras, cùm Victoria Iadertinorum, tùm æquitate, ac iuſtitia præcellentes, tradit. Cum Adoleſcente Fortuna certè rerum domina iniquè commutat, vt (quod ipſum cum nos à ſe dimitteret, vehementer oppudebat, & tædebat) vobis prius oneri, quàm honori, & vſui, in hoc Syriaco bello eſſe cogatur. quem felicem naſci quidem voluit, vtpotè Porphyrogenitum, ad tanti Imperij faſtigium natum, nimium quàm diu verſat, vt eum tandem in temporis puncto euertat. At ille infelix, patria extorris, qui vel ipſi Fortunæ

teter-

Digitized by Google

teterrimum, & luctuoſiſsimum ſpectaculum præbet; tamen ſic egregia eſt de vobis, & Chriſtianis omnibus aliquando benè merendi voluntate, vt quanquam neq; aditum neq; cauſam auxilij rogandi iuſtam haberet, Vos tamen iuſtitiæ, & pietatis laude præter cæteros inſignes, noſtro ſupplicio, atq; ore ſibi precari audeat. Quoniam verò bellum inſignitè pium ad Sarracenos, & Ægypti, Syriæq; Sulthanos, impios Hieroſolymorum, & Sacroſancti Sepulchri occupatores vindicandos coniuraſtis, Alexij Angeli Tyranni impietatem cæcato fratre, & eodem cum filio in vincula abrepto nobilem, qui fratris, à quo ille mancipium Turci hoſtis pridem redemptus eſſet, oculorum cruciatu, oculos exaturauit; eiuſdemq; ſordibus, & ſqualore etiamnum quotidie paſcit; ex itinere vos Philippus Rex, veſtri amantiſsimus per Deos orat, vlciſcamini: ſocerumq; Auguſtum, cum filio Cęſare exule, & ſupplice, in auitum, atq; omni iure debitum Orientis Imperium, reſtituatis. Huic immortali beneficio nullam ſatis dignam gratiam, Alexius Cęſar adoleſcens inuenire ſe confitetur; quandam tamen nouam, & ante hoc tempus inuſitatam, & præſenti votiuo bello conficiendo accommodatiſsimam, referre conſtituit. Diſertè enim mandauit, vt Conſtantinopoli veſtra virtute recuperata, ſeq; cum Iſaacio Patre in Regnum reſtituto, vobis polliceremur ipſos, Orientis Imperium, vnà & vniuerſam Eccleſiam Græcam, dicto audientem Romano Sacroſancto Pontifici Max. tradituros: cuius iure, ac mancipio ſeſe iampridem ſubduxerat. Hoc Alexius probè intelligit, vos procul patria, parentibus, neceſſarijs, amicis, & religionis cauſa exulibus proximos, innumerabilem vim pecunię effudiſſe; inde adeò ab re nudos vitam trahere. Idcirco, ducenta millia argenti pondo, liberaliter daturum, commeatuſq; vberrimos toti Exercitui in annum; Deinde peditum decem millium, vobiſcum, ſi vſus erit, auxilium aduerſus Sarracenos miſſurum: qui annum continuum Imperante Bonifacio Marchione mereant. Ipſum præterea Alexium CCCCC. Equites ſub ſignis in Iudæa, Syriaq;, tota vita habiturum; eiſq; ſtipendium quotannis perſoluturum. Huius fidei æquiorem ſponſorem, nec eſſe, nec forè, quàm Philippum Sueuum fratrem ſororium, accepti beneficij inſignitè memorem. cuius nulla in vtriuſq; pectore, vel futura eſt obliuio, ob id præſertim, quod ingrati nomen Iſaacius Pater, & Filius iampridem execrentur: perenniq; amicitia Latinorum, adeò propinquis ex Syria, Palæſtinaq; præſidijs, confirmari ſuas opes, & Aſianorum ſtudia conciliari, Alexius adoleſcens non ignorat. Has conditiones Philippus Germanię

Rex,

Rex, & Alexius Cæſar ſuo nomine, vt fide, & iureiurando ſanciamus, certò animi iudicio voluerunt, iuſſerunt. Id vtriq; in animo eſt planè perficere, ſi ita vobis cordi eſt. Equidem ſic exiſtimo, qui his conditionibus refragetur, vnis pietatis fontibus longè auguſtiſsimis, eum nihil elato animo, & regio, de gloria, & honore cogitare. Antiquitas, Regum nomen ſemper ſanctum habuit, quòd Dei munere, ac dono, terris dati eſſent; qui vt ille nutu, ac mente mundum; ſic Reges populum legibus, atq; armis tuerentur: nunc, ſi quid eorum afflictę Fortunę (vt ſolet) vos ad miſericordiam alliciunt, pietatis laudem, Patre, & Filio in auitum Imperium reſtituendis, ſupplices rogamus ne repudietis. quandiu ij, poſteriq; eorum ſtirpis, Orientis Imperio potirentur, tandiu accepti apud eos immortalis beneficij memoriam duraturam: futurumq; eſſe, vt ſi Venetis, & Baronibus maturè opem ferentibus in Orientis Imperium reſtituerentur, expulſoq; hoſte firmarentur; Alexius Adoleſcens, poſteriq; omnes Venetum Principem, & Gallos, tanquam præcipuos Patronos, ac tutelares Dominos ſtudioſiſsimè colerent. Legatis reſpondent, inter ſe deliberaturos. in diem craſtinum reuerterentur. Poſtridie eius diei, Concilio conuocato, Cęnobiarcha Clareuallenſis, quod Cęnobium in Ciſtercienſium ſodalium religione tenetur, cęteris turbidior, & eloquentior, ſeditioſiſsimo quoq;, eius factionis equitum incitante, cum reliquis qui Exercitum Bonifacij ſacramento rogatum, dilabi atq; euaneſcere volebat, concionabundus omnia in caſtris miſcere, pręcisè etiam negare, ſeſe de Cæſaris Alexij reſtitutione, conſenſuros: quòd Conſtantinopolis iaminde ab Diuo Conſtantino Magno, bonorum omnium qui Chriſtiani nominantur, theſaurus eſſet. non paſſuros Chriſtianorum Exercitum votiuum & Barones, theſaurarium furem eſſe, & prædonem, cùm ad Franciæ ignominiam, tùm verò ad ſempiternum Chriſtiani nominis dedecus; quos certò ſcirent, initio ad Hieroſolymorum, & Palæſtinę recuperationem, ſacramento Theobaldi Campaniæ Comitis addictos, coiſſe. Idq; ſe Barones teſtari: ſummumq; Pont. Innocentium III. vnà Hieroſolyma petentibus benè precantem, iiſdem oppetentibus, præſentem in cęlum aditum, ſolenni carmine, à Deo certè propitio, pollicitum. Altera pars & ea circumſpectior, nec vllo in benè conſulentes odio infuſcata, atq; omni gratia vacua contradicere, in Syria & Ægypto hyeme, nihil memorabile bello proponere: Indicare tot ſignorum deſertores, qui ſine commeatu palati alios portus turpiter petierunt. Illud eruditorum hominum, atq; expertorum fide conſtare,

ſtare, Iudæam & Syriam nulla via, niſi per Babylonem, & Ægyptum, aut Aſiam, prout antea auxiliaribus Conſtantinopolitani Imperatoris copijs, Petri Eremitæ temporibus, inuadendam eſſe. hinc, gradus in Syriam propriè iaci: cui conſilio, niſi tota mente adhæreſcant, omnibus ludibrio fore. Hæ partium ſingularum ſtudio, de induſtria diſſentientium conciones habebantur; nec mirandum. Monachi enim Syndonis candidæ, Sodales Ciſtercienſes, qui in caſtris erant, inter ſe valdè diſsidebant. Verùm Archimandrites, Abbatem dicunt, Lucedij (Lucedium Ciſtercienſe Monaſterium, Diuæ Mariæ dicatum, in Padanis Mediterraneis, ſub Lepontijs Alpibus, inter Seſsitem, & Duriam fluuios interiectum, à Monferratenſibus Marchionibus magnificentia, quàm maxima potuit, conditum) homo incredibili ſapientia, optimarumq; artium ſtudijs excultus, cum pluribus Cęnobiarchis Ciſtercienſibus, qui Bonifacium ex Tranſpadanis, honoris cauſa, in Syriam ſecuti erant, in Baronum ſententiam pedibus ire: idemq; mirum in modum Principes hortari, vt Exercitum in concordia retinerent, nec piam Alexij reductionem, eiuſq; liberalitatem negligerent. Illis neruis & opibus, Conſtantinopolis, modico labore bellum Syriacum profligari poſſe. Contra Clareuallenſis Cęnobiarcha, & qui cum eo ſentiebant, concionabundi in Exercitu conſilium Baronum identidem reprehendere, & vellicare, eorumq; fidem ſugillare, qui iureiurando ſe Hieroſolyma recuperaturos confirmaſſent. Idcirco, rectà in Syriam contendendum, protinuſq; portu exeundum. Tum Bonifacius Marchio, Balduinus Comes, Ludouicus Comes Bleſenſis, Hugo Comes Sancti Pauli, & qui earum partium erant fautores, & adiutores, ſeorſum conueniunt. atq; vti erant cauto, grauiq; ingenio, & eo quidem cum Chriſtianæ pietatis, & decoris cauſa, rerumq; neceſsitas accederet, flagranti, atq; expedito, demonſtrant ſuæ dignitatis eſſe, Alexio Cæſari, prout à Baronum æquitate, & virtute ſupplex, & exul ſperabat, fidem porrigere. Eum, in tàm optima pietatis cauſa, cuius tutores eſſent, deſeri ſine maximo ſuo flagitio, & dedecore non poſſe: nec, ſi Viri modò haberi vellent, Alexium fratricidam, Tyrannum Conſtantinopolitanum, Dijs hominibuſq; infenſum, impunè de piorum manibus elabi oportere: propterea ſe libenter omnes conditiones de Legatis ſtipulari. rectà ad Dandulum concedunt. eò, Legatis accerſitis, & in Principis domum introductis, reſpondent, ſe ex litteris ſigno Alexij obſignatis, omnia intellexiſſe, quæ in Concilio Legati pronuntiaſſent, omnibus libenter aſſentire. Ita Baronibus, & Dandulo,

Lega-

Legatiſq; vtrinq; adſtipulantibus, & recipientibus, reſtitutionis conditionibus diſertè præſcriptis, tabuliſq; confectis, pacta iureiurando ſanciuntur. Tempus nauigationis, poſt vernum æquinoctium, quo maris eſt tempeſtiuitas, conſtituitur: ad quod tempus Alexius Cæſar, ex Germania circiter XI. Kal. Maij, decima quinta poſt Paſcha die in caſtra accederet. Ita, dimittuntur Legati. Francus verò Exercitus, adeò partium factionibus flagrabat, vt iam res, nec modo, nec ratione, ſed vi paucorum, & impotentia agitarentur. Quod tunc maximè cognitum fuit. ſiquidem non plures duodecim pactiones iurarunt. Marchio Monferratenſis: Comes Flandriæ, & Hannoniæ; Bleſenſium, & Carnutum Comes, Sancti Pauli Comes, ac reliqui octo Franci, qui ſe Principibus modo nominatis, ſponte addixerant. Iaderæ Barones hybernare conſtituunt, Vrbem atq; agrum contra Hungarorum Regem propugnaturi; ſed nondum partium ſtudia conquieuerant; Alteri hoc vnum ſtudere, paucorum potentiæ inuidentes, vt Exercitus diſpergeretur; alteri, contra niti, vt incolumis; complures tamen gregarij clàm elabi, & onerarias prǽternauigantium naues conſcendere, quę naufragium fecerunt, quingentis vectoribus ſubmerſis; aliquot maris nauſeam, & diuturnæ nauigationis incommoda reformidantes, per Liburnos, Illyrios, & Dalmatas, Macedoniam, Syriam pedibus petere contenderunt. Quorum partim ab Illyricis montanis latronibus cæduntur, partim cæde elapſi, Iaderam ad Exercitum reuertuntur. Ne ſi vlterius progrederentur, perſimili caſu inter accliues, atq; arduas rupium crepidines, fœdiſsimè ab ijſdem interficerentur. Illyrici enim montani latrones (Martelofios vocant) feritate, pernicitateq; inſignes, ſpeluncis, & cauis arborum pro domo vtuntur: & parua ſecure, clauaq; armati, Illyricis montibus latrocinia exercent, ac viatoribus inſidiantur: quum longiſsimis itineribus, per aſperrimas rupes, paruo tempore emenſis, incautos obruunt, & captiuos trahunt, vt vel breui ſpiculo transfigant, vel ceruices abſcindant, Numidarum more. Cæterum nulla ferè dies interceſsit, quin ea rerum perturbatione, alicuius fuga dolentius audiretur. Exercitum quotidie rariorem, atq; exiliorem fieri deplorabant. Per eóſdem dies, Garnerius Borlandus, Theutonus, homo non minoris calliditatis, quàm audaciæ, in Syriam cogitat. Is, breui in nauem onerariam irrepſit. quæ res homini inſignem ignominiæ notam inuſsit. Eodem tempore ex Francis Baronibus, vir ſummæ authoritatis, Reginaldus Monmirallus, magnis precibus legationem de Dandulo, ac Baronibus, in Syriam impe-

impetrat. Erant eo tempore in Syria, Hieroſolymitani Regni reliquiæ, Chriſtiani nominis Principes, Boemundus III. Antiochenus, Raymundi Pictauienſis filius, & Raymundus junior Tripolitanus Comes, quem recutitum appellarunt, quod in Sarracenorum gratiam, ad Mahometis ſacra defeciſſet, nonnulliq; Barones. hi, præter Antiochiam, & Tripolim, pauca quædam oræ maritimæ Oppida, Iſsicum verſus, quem hodie Agiacium ſinum nominant, ab Damaſci Syriæq; Sulthanorum incurſionibus, non latis admodum finibus, fortiter tuebantur. Ad Antiochenum igitur, & Tripolitanum, Monmirallus periculo territus, Legationis munus petens, honeſtę fugæ ſpecie diuertit, Ludouico Bleſenſi Comite (qui eius frater amitinus erat) deprecatore vſus. Eo, nauem claſsiariam ſumit, iuratq; dextra Euangeliorum libros tangens, qua jurisiurandi religione nihil more Chriſtiano ſanctius habetur, ſe, cum Henrico Caſtellano nepote, Guilielmo Carnutum Vice Domino, Gotthofredo Bellomontano, Ioanne Froeuillano, & Petro eius fratre, multiſq; nobilibus (quos comites ſecum veheret) decima quinta die, qua apud Francos Principes, in Syria Legationis munus obijſſet, in caſtra remeaturum. Verùm fidem juſiurandumq; neglexerunt. non enim periculi metu reuerſi ſunt, niſi in ſequenti anno, poſtquam ſuos Orientis Imperio iam potitos intellexerunt: vt eorum honor ſtatim omnium ſermonibus carperetur, & fodicaretur. Cæterum ſub idem temporis, Exercitui iucundiſsimus nuncius adfertur, claſſem Flandrorum, quam ſuprà, Balduino Comiti jureiurando dato, Belgio ſoluiſſe diximus, ex longa Oceani Armorici, & Cantabrici nauigatione in portum tandem Maſsilienſium appulſam. Ioannes Nigellanus, Caſtellanus Brugarum, Claſsis pręfectus; Theodoricus qui Philippi Namurci, & Louanij Comitis filius fuerat, Nicolaus Mayllius, ad Balduinum Comitem, ſuum dominum, paulò ante litteras dederant, quibus ſignificabant ſe Maſsiliam ad maritimam oram Narbonenſem, curſum inflexuros, vt eo portu hybernarent: ea propter quid ſe agere, quo've prima nauigatione accedere vellet, certiores faceret. Balduinus Comes, de Baronum, & Danduli Venetiarum Principis ſententia (nihil enim inconſulto Dandulo maris, & nauigationis peritiſsimo Imperatore, neq; ea re, neq; alijs faciebat) reſcribit, vt Martij menſis exitu, aduerſum ſe mouerent, & in Peloponneſo Methonæorum portum peterent. Sed homines natura obſtinati, & peruicaces, & ſeipſis fatali ſuperbia elatiores, & pertinaciores facti, è veteri ſua ſententia cum nullo modo dimouerentur, jurisiurandi iampridem

tes, Cruciatorum multitudinem, vt ſigna deſererent, ſeditioſis ſermonibus conſternauerant, ne Cruciati in vnum locum cogerentur, quò iuſto Exercitu conata perficerent, voſq́; eò adactos, vt cum Venetis creditoribus depaciſcendum eſſet: Cui calamitati iam illachrymatus eſſet. vix dum etiam dolorem quem animo maximum concepiſſet, imminutum eſſe. Eadem ferè Baronibus in vniuerſum reſcribit, ad quos breues illas quidem, ſed amoris plenas litteras dat. quibus Balduino, Bleſenſi item, Monferratenſi, reliquoq́; votiuo Exercitui incolumitatem benè precatur. ijs reſpondit, Baronibus, reliquoq́; Exercitui ſe veniam dare, delictiſq́; omnibus ceu filios amanter abſoluere. Iiſdem litteris Comites, ac Barones orat, ne defatigentur, iubetq́; Exercitum in fide contineant, neu vincula concordiæ, quibus coniunctiſsimos inter ſe merere intelligit, laxare velint. ſine iuſto Exercitu Hieroſolymorum, & Palæſtinæ recuperationem, quam Deo per ſua, liberorumq́; capita vouiſſent, deſperandam eſſe. Quamobrem redeuntibus in caſtra Nubilono Sueſsionum Epiſcopo, & Ioanni Nouiodunenſi Theologo, quem magiſtrum Franci appellant, in Deuotos ligandi, ſoluendi poteſtatem tantiſper dedit, dum intra paucos, dies ſuprema authoritate attributa, Cardinalem ad Exercitum legaret. Hyberna Barones Iaderæ exegerant. Inde omnes poſt VI. Id. Aprilis. Reſurrectionis Dei CHRISTI peractis ſolennibus, moturi, rem nauticam diligenter apparant. Itaq́; claſſe inſtructa, paratoq́; & in naues omnis generis commeatu abundè congeſto. VII. Id. Aprilis, poſtridie Paſchatis, Deuoti priores Vrbe egreſsi, motis caſtris, ad portum hoſpitantur. Venetis in Vrbe relictis, qui vt Iadertinos humiliores, infirmioreſq́; redigerent, muros cum turribus complanare cupiebant. Eodem tempore quæ maxima calamitas fuit, Symon Monfortenſis (quem Principibus proximum numerare poſsis) quò deficeret, occaſionem turpiſsimam nactus, neglecto Cruciatæ militiæ ſacramento, caſtris digreditur, & per Illyricos montes clanculum cum Hungarorum Rege, noſtrorum hoſte, concilium init. Cum prius, Guidoni Monfortenſi Fratri, Symoni Nealfenſi, Roberto Maluicino, Druſio Creſſoneſſaro perſuaſiſſet, vt ſecum ad Regem, opima apud quem forent ſtipendia proficiſcerentur. Quinetiam Cęnobiarcha Clareuallenſis, Sodalitati Ciſtercienſi (vt dictum eſt) dedicatus; alijq́; complures ſeditioſi, caſtris propter ingenij leuitatem, præclara malignitate cumulatam, abeunt. Sub eorum abitum, Enquerardus Bonnenſis, ex Bonna olim Vbiorum oppido, multi inter Deuotos equites nominis,

G 2 cum

PAVLI RHAMNVSII VENETI

DE BELLO CONSTANTINOPOLITANO

LIBER SECVNDVS.

EODEM die, qui VII. Idus Aprilis (vt diximus) & à partu Virginis, milleſimus ducente- MCCIII.
ſimus tertius fuit, pacato mari, nactiq́; certam nauigandi tempeſtatem velificantur. Antecurſores iuſsi Corcyræ portum capere, iactiſq́; anchoris nouiſsimos præſtolari. Imperio paritum. ſed paulò antè quam Dandulus Venetiarum Princeps, & Bonifacius Marchio portu Iadertinorum cum reliqua claſſe ſoluerent, Alexius Iſaacij Imperatoris Conſtantinopolitani filius, modico familiarium, ac propinquorum comitatu per Iulias Alpes ex Germania, à Philippo Sueuo Theutonum Rege, in Caſtra Iaderam peruenit. Dandulum Principem, ac Monferratenſem ſuppliciter cum ſalutaſſet, depoſita grauitate, tanquam priſtinæ fortunæ oblitus, ab omnibus hilarè, ſimul & honorificè excipitur. Dandulus porrecta manu Cæſarem complexus, naues quæ ipſi, atq́; eius cohorti prouehendæ ſatis eſſent, adminiſtrat. Adoleſcens pugnæ auidus, & nihil pręter alacritatem pugnacis animi ad paternam

vin-

Digitized by Google

vindictam afferens, Claſſem conſcendit. Mox portu promoti, ad maritimam Ionij oram deflectentes, in quam Adriæ nauigatio ad læuam terminatur, enauigato ſinu, Dyrrachium occiduæ Macedoniæ Vrbem, euehuntur: portumq; Dyrrachinorum ſumma voluntate ſubeunt. Id oppidum, à Romanis, abolito priori Epidamni nomine, quòd inauſpicatum eſſet, deducta Colonia, Dyrrachium appellatum fuit: cum præſertim ab Cherſoneſo, vbi conſtitutum eſt, nomen ſortiretur. Oppidani, Alexium Imperatoris filium ſalutant, atq; vt in officio ſemper fuiſſe, neq; ſe fidem fefelliſſe, aut ab amicitia ipſius Patris Iſaacij diſceſsiſſe confirmarent, cum portum intraret, vrbis claues, ad declarandam antiquæ propenſionis fidem, celeriter obtulerunt. Cæterum quia Dandulæ gentis clypeus, ſiue ſcutum, vt nunc loquuntur, ſupernè album fuerat, infernè rubrum, & idem ſed inuerſum, Marchio Monferratenſis Bonifacius cum haberet, qui cum ſuis Tranſpadanis, Campanorum etiam Franciæ maximam manum, ſuis vexillis ducebat; Henricus Dandulus Venetæ Reip. Dux, quò Veneta, & Franca claſsis inter ſe dignoſceretur, prætoriæ naui eo tempore clypeum ſupernè album, infernè cæruleum prætexuit, ac lilia cærulea in albo, candida in cæruleo ſparſit; idem omnibus ſuis vexillis appinxit: vt vel eo militari ornatu, quale eſſet erga Francos Proceres, & Barones ſtudium, vſurpatis gentis inſignibus, teſtaretur: ea forma omnibus nauibus vexilla Iaderæ affixit. Id verò inſigne poſt, toti Danduli ſoboli gentile fuit, ac nonnullis Dandulis à Sancto Luca, eiuſdem agnatis, & in his, Andreæ Dandulo Principi, eiuſq; poſteris vſurpatum, quæ tota ad vnum familia nunc extincta eſt, cum reliqui omnes eius gentis vetuſtum inſigne hactenus retinuerint, hodieq; geſtent. Interim claſsis, recto curſu Corcyram venit. Corcyra & inſula, & vrbs eiuſdem nominis in Ionio eſt, ad Adriatici ſinus os, Theſprotis aduerſa: ab Acroceraunijs quinquaginta paſſuum millium interuallo diſtante; Oppidum verò eiuſdem nominis ad montis radices, ingentibus propugnaculis peritiſsimè conſtructis, hodie muro ita ad mare ducto circundatum, vt duæ ingentes rupes, in quibus Caſtella conſtituta ſunt, includantur; cum vetuſtę vrbis ſitus eiuſdem ſuburbijs contineatur. Nonaginta ſeptem millium paſſuum totius Inſulæ longitudo eſt, Homeri poemate, & Vlyſsis quondam hoſpitio notæ. Phæacia Inſula antiquis dicta; vini, ſegetum, fructuum omnis generis, ſed olearum in primis ferax. Ex quo Alcinoi Regis horti ob miram ſoli fęcunditatem, frequentiamq; & varietatem pomiferarum arborum, à Poetis fabuloſè celebrati.

brati. Exercitum qui anteceſſerat, Caſtris ad Vrbem poſitis, offendunt. Ibidemq; ipſi tendunt, ſimul Hyppagogis equos in terram curatum deducunt. Vt fama totis caſtris increbuit Conſtantinopolitani Imperatoris Filium veniſſe, atq; in portu conſtitiſſe, eò repente Franci Equites, Tribuni, Centuriones, ac ferè omnes milites, ſpectatum & ſalutatum deſcendunt; tantoq; ſtudio de juuene honorando certatum, vt nihil potentiorum magnificentiæ, humiliorum, & tenuiorum voluntas, concederet. Adoleſcenti Cæſari in medio Caſtrorum tabernacula, quàm ornatiſsima collocant: proximè Bonifacius affinis tendit, penes quem conceſſu Procerum, eo bello militaris Imperij poteſtas erat, quòd eum ſuæ fidei, Philippus Sueuus commiſiſſet: alia etiam de cauſa, ſibi omnino Puerum tuendum ſuſceperat, quòd Conradus Monferratenſis frater, Theodoram Conſtantinopolitanam, Alexij adoleſcentis amitam, duxiſſet. Corcyrenſes tantæ claſsis, pręſentis inſtructiq; Exercitus aduentu perterriti, in arcem recepti, omnibus enim cædem, atq; ignem tectis ni extemplò Imperatoris Filio Alexio ſeſe dederent, Barones renunciabant: deſperata defenſione, quoniam ſuis rebus conſulere non poſſent, animos ad deditionem inclinant, & Alexio Cæſari, Inſulam atq; arcem tradunt. Dum Corcyræ Exercitum recreant, ibiq; dies circiter viginti quinque in magna rerum copia agitant (Inſula enim frugum eſt, vini, oleiq;, ac cæterorum fructuum, vt modo dixi, vel ad delicias, copioſa) factio de qua ſæpe mentionem feci, quæ Bonifacij Marchionis, Baronumq; concilia, & conatus omnes carpebat, quæq; Exercitum miſerè diſsipari volebat, ſua contagione illis ipſis diebus, multò maximam partem Exercitus, contaminauerat. hi, concilio in vallem quandam remotam indicto, quum inexpiabili odio aduerſus Barones deflagrarent, quæruntur ſe maris inſuetos quotidie nouis nauigationibus periclitari, & conſeneſcere: Venetis ex fędis conſilijs, & malignis pactionibus, inhumana feritate, ſatellitum ritu, & Græcis exulibus mercede operam nauare: nec ipſos ſatis in vita ex fatali nauſea, & naufragijs vexari, niſi etiam mortui cruciarentur: nempè inſepultos in mare proijci, cum hominum corporibus humus (vnde illis nomen) tanquam portus debeatur: expectandum omnino, cum ita ſors ferat, dum Bonifacius, Barones, Equites, & Centuriones, velut quædam Græcorum mancipia Corcyra moueant, & in Syriam nauigent. Ipſi interim tot itinerum, ac nauigationum incommoda perpeſsi, diuturnis lachrymis ſuas ærumnas lugerent. Quod nunc peropportunum foret conſilium, ac maximè

ſalutare

ſalutare Gualterium Brenæ Comitem, qui Brunduſij eſſet, rogandum, vt miſeros ad ſe in proximam Apuliam, & Calabriam, quo tranſuerſo Ionio, atq; Adriatico in Salentinorum litus Corcyra, & Græcia nauigatio recta eſt, ſuis nauibus tollat: eo enim tempore Gualterius, quem ſupra dotali iure in Apuliam penetraſſe docuimus, maiorem iam eius Apuliæ partem ſubegerat, quæ Calabria dicitur, & Apulia Daunia, ac felici Campania fermè tota potiebatur, Caſertæ, Soræ, Celani, Aquini, Cereti, & Sancti Seuerini Comitibus, atq; omnibus Regni Neapolitani Regulis domitis, & penè deuictis: ipſos, interim ne inutili, ac ignobili otio tempus terant, Gualterij ſigna ad Hieroſolyma recuperanda ſecuturos: pugnaturoſq; intrepidè vti voto piè concepto ipſis ab initio fuerat conſtitutum. & aut opima parta victoria, aut honeſta morte, perennis famæ decus in terris, & cęleſtis poſt mortem vitæ præmia conſecuturos. Quo iam potentiæ hæc ſecta proceſſerat, vt intelligatur, Principes factionis Villharduinus recenſet. Odetus Campanus Chiamlites, Iacobus Auennes, Petrus Ambianus ſummi nominis Eques, Guido Caſtellanus Cocyacus, Odgerus Sancleron, Guido Chappiacus, Clarambaldus Metis Mediomatricum ortus, Guilielmus Lanoius, Petrus Cocyacus, Guido Peſsinenſis, Richardus Dampetra Burgundus, omnes ſeditionis duces, & ſigniferi, multiq; alij antea pudore partium tectiores, nunc, factioni apertè fauebant. hac parte in dies creſcente, atq; ita, vt iam in maximam multitudinem copiaretur, & nunc conuenticula ſeditioſius agente, Bonifacius, Balduinus, Bleſcenſis, Comes Sancti Pauli, cęteriq; Barones, qui ſua auſpicia ſequebantur, vt tumultuantium intempeſtiuas voces compeſcerent è veſtigio concilium cogunt: conditionem ſuam miſerantur: ijdem commemorant, multorum antè diſceſſu Exercitum ad eam, quam viderent, paucitatem redactum; facilius eſſe ſeditioſorum licentia Exercitum diſtrahere, quàm contrahere. hinc euenire perincommodè rerum cæterarum more, quòd citius apta diſſoluantur, quàm diſsipata connectantur. Nunc tot, talibuſq; viris, ſeorſum ducem, & conſilia capientibus, votiuum Exercitum, manipuli inſtar futurum, omnibus iniurijs proiecti. hanc belli ſocietatem, plenam pietatis, & veræ gloriæ: vt pote quę Iſaacio Conſtantinopolitano in Imperium reſtituto, Palæſtinæ quoq; reſtitutionem, & publicum Chriſtiani nominis decus, publicamq; omnium Chriſtianorum cauſam reſpiceret; igitur rebus omnibus poſtpoſitis, ad retinendam cùm publicæ dignitatis, tùm priuatis nominis exiſtimationem, pacis, & amicitiæ petendæ
cauſa

cauſa, nihil intentatum relinquant. orandos, aliquem diſcordiæ finem faciant. nec vnus aliquis reconciliator ad ſeditioſos mittitur, vniuerſi Barones, mutata veſte, & ſordidati, cum ipſo Alexio Cęſare Adoleſcente, vniuerſi etiam Sacerdotes, Epiſcopi, Abbates, & ſacrati viri qui in caſtris erant, prælata Cruce cum jnfulis, & verbenis in vallem concedunt, vbi Conuentus agebant. Ibi procul, equos ſuſtinent, dum deſcendunt. Illi ex aduerſo, idem ad ſuorum tam miſerabilem conſpectum faciunt, atq; alteri alteris, flentes flentibus obuiam coeunt. Barones ad omnium pedes accidunt, nec ſe prius ſurrecturos obteſtantur, quàm illi ſpoponderint, ſe ab exercitu non receſſuros. Illæ voces audiebantur, ſi minus pietate in amicos, affines, & conſanguineos, quibus ferè totus conſtaret Exercitus, tenerentur; at ſui ipſorum miſericordia mouerentur: tot enim tantaq; nobilitatis lumina, ſi ſemel caſtris ſua pertinacia ſe ſubduxerint, non modò ſpes pulcherrimas de Syria, Iudæa, totoq; Oriente exinaniri, ſed etiam vtroſq; Chriſtianæ religionis hoſtibus prodi. nimirum hæc ciuilis diſcordiæ pretia omnes manent, vt qui Dei Sepulchrum quærimus, inſepulti volucrum, canum, ac piſcium, eſca iaceamus. His vocibus vulgò iactatis, cùm pudore perfuſi, tùm natura optima hominum inter ſe conciliatrice victi, tandem non paſsi ſunt Barones, & Comites, ſuos dominos, ſuos amicos, affines, conſanguineos, & ciues ſupplices iacere. Ad pedes ſtratos attollunt, ac vberius ipſi quoq; collachrymantes, diuino afflati numine, tanquam attoniti, emolliti manus dant, & ſe confeſtim conſideraturos reſpondent. Tum, ſine intermiſsione re ſeorſum inter ſe communicata, vno omnium ore pronunciatur, ipſos in Exercitu ſub ſignis ad III. Kalend. Octobris, diem Diuo Michaeli feſtum, inſequentis Autumni ea lege ſtaturos, ſi Barones Euangelij libris manus admouentes, verbis conceptis iurent, quoties ipſi poſt eum diem in Syriam velificare volent, nauigia in quindecim proximis diebus, bona fide adminiſtraturos. ita vtriq; fidem dant. fęderis recentis fama totis caſtris voluptate debacchantur. ita paulò poſt rebus compoſitis, omnes in naues coguntur. equis, pontibus in hyppagogas impoſitis, & tormentis, machiniſq; in naues comportatis. Pridie Pentecoſtes. IX. Kalend. Iunij, tertio ſupra ducenteſimum, atq; milleſimum à partu Virginis anno, portu Corcyreorum ſoluunt, ne nauicula quidem deſiderata, vnà complures, mercatorum naues commeant, & (quod optandum) ſecundiſsimis ventis vſi, paſsis velis prouehuntur. Hæc Villharduinus noſter, qui omnibus rebus interfuit, pleriſq; etiam præ-

fuit, omnia ſuis Commentarijs ex veritate teſtificatur. Res ſanè ſpectanti magnifica, & admirabilis viſa. Viri magnitudine corporum ingenti, & virtute animi, atq; oris habitu antiquis Gallorum Ducibus, qui C. Cæſaris arma exercuere, perſimiles. Ibi videre erat, prægrandes equos ferreis bardis protectos, ingentia virorum corpora, fulgentibus munita armis, atq; ora bellicum vigorem ſpirantia, quales antiqui Belgæ, Menapijq; fuiſſe ex litterarum memoria referuntur; neq; enim gregarios equites ex clientibus, & obæratis Campanus, Bleſenſis, & Balduinus, ac Sancti Pauli Comes, dum notam Crucigerorum accipiunt, ſed maximè generoſos, & fortibus factis illuſtres, ex omni nobilitate conſpicuos, cum certatim ſtudio, & pietate excellere cuperent, ad votiuum bellum deduxerant. Nam quicquid in Belgico ſolo, aut exquiſiti roboris, aut delecti floris fuit, à Sequana, & Francia peninſula ad Scaldem, atq; inde ad Rhenum, tàm latè, quàm litora lambit Oceanus ad Occidentem ſolem in Attrebatibus, & Septentriones, Sequanis montibus, atq; Arduena ſylua concluditur, id totum, aut iuſſu Principum ſuorum dominorum, nomina dederat, aut ſponte Crucigeris amicis agnatis, atq; affinibus adhæſerat: quando nihil tale in Europa centum ante annos à Bullionis memoria contigiſſet, vt conſenſu vno Belgica omnis Gallia, & proxima Germaniæ pars trans Rhenum, ſuis ſedibus excita, pro Hieroſolymis, Syriaq; recuperanda arma capeſceret. Itaq; tot equorum, armorumq; politia ſplendore iucundiſsima, omnes omnium palmarum ſpes facilè dabat. quacunq; oculis intentis circumſpexiſſes, vela vidiſſes, & ſtratum innumeris nauibus mare, hac illac celoces, veloci remigio incitatæ in altum vndiq; volitantes, quæ claſſem cum inſigni ornatu vexillorum anteirent: ita, vt ab re noua & mirifica, non mediocris voluptas animos omnium caperet. Itaq; nautæ leniſsima vſi tempeſtate tantum remis, veliſq; contendunt, vt Cephaleniam, Zacynthumq; Ionij Inſulas præteruecti, ſupra Strophadas, Gallo capite, quod antiquis Acritas, & Tænario promontorio, quod Metapanium fuit, ſuperatis, Maleas applicent. Id Peloponneſi promontorium, inter Laconicum, & Argolicum ſinum, multum in mare porrectum, propter aduerſos ventorum flatus, naufragijs nobilitatum, etiam prouerbio, ſermone nauiculatorum trito, homines terrere putatur. aiunt enim Maleas deflectenti: domeſticos in obliuionem venire. Sed periculum Malearum, occurſus duarum nauium, quæ complures Deuotos Equites, Centuriones, per Pamphylium, & Charpathium ex Syria in Patriam reueherent,

herent,

herent, ſubleuat: reliquiæ eius claſsis, vt mox compertum fuit, quę Duce Ioanne Nigellano, Brugarum Caſtellano, Flandriæ finibus egreſſa, in curſu Maſsiliam flexerat, atq; præternauigato Adria; inde Orientem verſus vela fecerat. hi, procul claſſem noſtram, numero, atq; ornatu longè pulcherrimam ſpeculati, ſe ſtatim pudore in naues abdunt. ea re animaduerſa, Balduinus Comes Flandriæ, & Hannoniæ, aduerſum præternauigantes, ſuæ nauis ſcapham repentè mittit; ſcitatum vnde gente, & religione, quo've loci vela panderent. qui miſſus erat, Flandros eſſe, ipſorum indicio, renunciat. ventis quocunq; ferentibus vela dediſſe; ſed quidam Centurio ad Balduini nomen naue expeditus, in ſcapham deſcendit, ſuarum ſarcinarum cura certis vectoribus mandata. mihi (ait) in animo eſt, ad iſtos me recipere: videntur enim regna armis quærere. Is recipitur fauſtis Exercitus ſalutationibus. Ita, verum eſt vetus verbum: haud facilè homini in viam redire. ſuperata autem Malea, claſsi Eubœam, vſq; Inſulam, bona nauigatio fuit. Ea Ægæi Inſula eſt, Bœotię auulſa centum quinquaginta millium paſſuum longitudine, ab Attica ad Theſſaliam prætenta: ſuam latitudinem vltra quadraginta millia non extendit, nec infra viginti contrahit: eius circuitus trecentorum ſexaginta quinque millium paſſuum; propter anguſtam formam, longitudinemq; veteres Macram appellarunt. Duo habet promontoria Gereſtum ad Atticam vergens, & Caphareum ad Helleſpontum. multis vrbibus olim clara: nunc, nulla ferè alia præterquam ſola Chalcide, è regione Aulidis ad Euripum, reciproco curſu notum ſita, quæ Inſulę Metropolis eſt, eadem Ariſtotelis morte clara: quanquam Chalcidis nomen toti Inſulę olim fuiſſe ſcriptores tradant. Chalcidenſes ne Alexij animo vlla defectionis ſuſpicio oriretur, aduentanti ſuppliciter occurrunt, & imperata facturos pollicentur. Ex Vrbe Chalcide, quæ valdè opulenta eſt, Barones de Andro proxima Inſula capienda, quæ oculis omnium adiecta, ſpecie & nomine victores inuitaret, decernunt. Eo Bonifacius Marchio, Balduinus Comes cum Alexio Cæſare Hippagogis, ac Biremibus actis, Inſulam capiunt. Andrus, Ægæi Inſula eſt Eubœæ proxima, Cycladarum prior, cum oppido Antandros. patet circuitu nonaginta tribus paſſuum millibus. Equitibus latè loca perluſtrantibus, & populantibus, incolæ Cæſaris filio Alexio ſupplices obuiam pacem petitum veniunt. Data fide, imperata faciunt. Exinde omnes ſedulò in naues conſcendere, & per Ægæum Conſtantinopolim verſus agere. Eo ferè tempore Guidonis Caſtellani

H 2 Cocia-

Digitized by Google

Cociaci, viri illuſtris in curſu mortui cadauer, vt fit, in mare proijcitur. Hoc primum qui mare antè non experti erant, vt maximè inſolens, ita Exercitui luctuoſiſsimum, ac acerbiſsimum videbatur Virum nobilem, eundemq; Matthæi Monmorentiaci affinitate, & bellica virtute clariſsimum, inſepultum, piſces ſuo corpore paſcere. Iam cęteræ naues quę Andron appulſæ non erant, Propontidis anguſtias ingreſſæ, in aduerſum Helleſpontum, Villharduini quoq; ſæculo à nautis Sancti Georgij Brachium dictum, quòd in id mare eius Diui Brachium, (reliquiæ non mediocri religione colendæ) vectoribus naue, excidiſſet, ſecunda tempeſtate Abydum adnauigant. Abydus Helleſponti vrbs eſt, ad Troadem pertinens, Seſto ad triginta ſtadia diſtans ad litus Aſiæ minoris, à Mileſijs condita, qua anguſti maris freto Aſia dirimitur ab Europa. Quo in loco Xerſes Perſarum Rex ſtrato nauibus mare, qua ſeptem ſtadiorum Helleſpontus in arctiſsimas fauces coarctatur, in Græciam tranſijſſe dicitur. Vrbs, in ſummo Aſiæ litore, ſubiecto portu, natura, & ſitu, atq; ædificiorum pulchritudine ſpectabilis. Iactis anchoris portum alacriter occupant, & in terram deſcendunt. Abydeni, repentino claſsis appulſu, Vrbis propugnandæ diffidentia, Alexio Cæſari ſtatim portas aperiunt. Ibi, Exercitus in terram expoſitus, Tribunorum, Centurionumq; diligentia, ſine maleficio & iniuria, octo dies commoratur, dum reliquam claſſem tardius nauigantem operiunt: nemine enim violato, nihil ademptum. Interim, in proximum Lampſacenum agrum, frumentatum eunt; quòd id tempus meſsis eſſet, frumento, quod nauibus aduexerant, penè conſumpto. atq; illis octo diebus tota claſsis incolumis Abydenum portum appellitur. inde repletis omnium rerum copia naualibus ſocijs, cum ſecundi perflarent venti, Claſsis Abydeno portu educta, per aduerſum Propontidem Conſtantinopolim verſus curſum tenuit. Hæc claſsis, tàm firmiſsima, quàm ſpecioſiſsima, omnibus vndequaq; in Propontidem intuentibus, terrori ſimul, & voluptati erat. Nunquam tot nauium, & tantæ claſsis apparatum, à priſcis Græcorum vſq; temporibus, Propontis tulit. Erant naues ingentes omni tormentorum, & machinarum genere onuſtæ, cum Caſtellis supernè ædificatis, latioribus vexillis conſpicuæ; quibus Superantium Venetum præeſſe memorauimus. Viſebantur Hyppagogæ, & latiores roſtratæ equorum agmina deferentes: cum nauigia propè innumerabilia tabulatis contecta, non Francis modò, ſed externis militibus plena eſſent. præter hæc Venetum Biremes longo tractu remigibus

gibus

gibus Claſsiarijſq; refertæ, Danduli prætoriam erectam ad puppem ingentem laternam de more præferentem, iuxta quam Alexius Imperatoris Filius, & Monferratenſis Marchio erant vecti, æqua nauigatione ſequebantur: cum innumerabilis ex Ægæo, & Peloponneſo, nauicularum ſuopte ſtudio voluntateq; Alexium dominum comitantium multitudo quamplurima recenſeretur. Itaq; ſecundis ventis Propontidem adnauigant: vt Diuum Georgium præſentem brachio illo extento, quod nautæ illis in regionibus ſanctiſsimè venerantur, fauere naueſq; ſcopulis prohibere, ex quo votis omnibus tendebant, ſaluas ducere, crederent. ſuperata Propontide, quæ centum ſeptuaginta paſſuum millibus Abydo, ab Helleſponti faucibus ad Boſphori os, & ipſam Conſtantinopolim protenditur, cum appropinquaret Claſsis, admirabili ordine naues expandunt, & dirigunt in conſpectu hoſtium ante Vrbem, decurrentibus cum inſigni ornatu vexillorum Venetis Biremibus ad deterrendos Græcos. Inde ad VI. ab Vrbe lapidem, ad læuam deflectunt exploratis litoribus ad Sancti Stephani, quæ ſtatio applicantibus commoda eſt, ad deſcenſionem ſe comparant. Vicus eſt altioribus muris circumſeptus, oppidulo ſimilis, ab inſigni templo eius Sancti, cui ara poſita eſt, Cęnobij, Sancti Stephani nomen ſortitus, in Thracio litore ad Propontidem conſtitutus, vnde tota Conſtantinopolis, quæ ſublimi in ſpecula, ſupra ſeptem colles magna ex parte conſtituta, æſtimari facillimè poteſt. Mirificè oblectabat vrbis aſpectus, quæ tùm natura & ſitu, tùm ædificiorum magnificentia, omnium nobiliſsima, & potentiſsima eſſet: vt, quæ Vrbium Imperij mater haberetur. qui de eius vetuſtate, opulentia, & pulchritudine audierant tantum, vel legerant, oculis certè ſic comedebant, vt famam veritate minorem facilè prędicarent. Murorum & turrium, quibus veteris Romæ inſtar, ſeptem & ipſa colles complectens, vndecunq; cincta eſt, altitudinem & ſpeciem admirabantur: ſublimes Columnas, ingentes Obeliſcos, immenſos Arcus, maximos Circus, quos Hippodromos appellant, Coloſſos, Aquæductus, maximum præterea templorum numerum Deo, Cælitibuſq; dicatorum; atq; ipſum demum Sophianum templum, Iuſtiniani opus, generoſi operis mole, ſed excelſis potiſsimum plumbeis teſtudinibus, reliqua vrbis ædificia ſuperans, maximum numerum Palatiorum, Thermarum, Baſilicarum regiarum, & Xenodochiorum, quantum nemo niſi oculis ſubiectum, vnquam crederet, intuiti, ægrè inde lumina deijciebant: & Conſtantinopolim non Byzantium Pauſaniæ Lacedæmoniorum Ducis, non magni

Con-

Conſtantini Vrbem, ſed mundi mundum nominarent. tantæ Vrbis conſpectu pluribus non inſtrenuis militibus cor amore (vt ferunt metu lepori) agitato palpitare, neq; id profectò mirum; nullum enim bellum iam inde ab heroicis, vſq; temporibus, neq; maius, neq; difficilius, aut periculoſius vnquam geſtum. Itaq; Barones, & Comites, atque vnà Dandulus in terram deſcendunt, concilioq; in Diui Stephani aduocato, conſultatur de rebus omnibus, quæ grauiſsimi eſſent conſilij: tantum deliberationem quo potiſsimum frumentatum iretur, referam. Dandulus Princeps ſurrexit, nemini dubium eſt (inquit) Barones magnanimi, quin maiorem rerum notitiam, atq; vſum, quam quiſquam veſtrum, ætatis beneficio habeamus, quòd in his etiam regionibus magno noſtro malo, ne dicamus fato, diu multumq; verſati, & locorum opportunitates, atq; vtilitates, & Græcorum ingenia, ac mores, vt ſciremus, & fideliter teneremus, iam inde ab adoleſcentia animum aſſuefecimus. Rem maximè arduam, & periculorum pleniſsimam aggreſsi ſumus, ſed eam conſilio, quo nihil cùm in rebus humanis, tùm bellicis præſertim vtilius, atq; præſtantius dari poteſt, qui ſolus fructus ab hoc ſene non imperito fortaſſe, fideliſsimo certè, ac veſtræ dignitatis amantiſsimo ſperatur, facillimam vobis tradamus; nam labores deliberatè, & concoctè, vobis pro viribus indictos, quin egregiè, fortiterq; pro iſta animi magnitudine, exantlaturi ſitis, nunquam profectò dubitauimus. Primum, ne miles in continentem Thraciam frumentatum eat, cenſemus, quæ vt omnium rerum vbertate, ac copia, ita hominum multitudine abundat. in quo verendum eſt, in tanta pręſertim noſtrorum paucitate, ne prædarum, ac manubiarum cupiditate, miles euagatus, deprehendatur; ac velut nauis in alto veſaniente tempeſtate abripiatur. Vobis præterea manubiarum ſatis, frumenti parum. neq; verò imparatis adhuc laceſſendæ gentes videntur, quando tantum bellum gerentibus commeatus, non niſi multo noſtrorum ſanguine parari poſsit. Inſulæ Propontidis ſunt ſuburbanæ Byzantij, propius veſtris oculis ſubiectæ, eas Protam, Chalcitim, Principis, Oxiam, Platim, Antigonon, ſeu Panormum dicunt, frumenti reliquiq; commeatus refertiſsimæ. primo aduentu, in veſtram poteſtatem venturas pollicemur. vnde re frumentaria abundè prouiſa vrbem poſtea terra, mariq; vno tempore expugnare adoriemur. commeatibus enim diligenter curatis bellum facilius confici. Barones Duci aſſenſere. ita, ab conſilio diſceditur, & ad claſſem reuertuntur. miles in nauibus pernoctat. poſtridie diluculo, quo

Diuo

Diuo Ioanni Baptiſtæ maximos honores habemus VIII. Kalend. Iulias, à Nauarchis Biremes frequentibus exornantur vexillis: ſcutis etiam prætexuntur. omnes arma & ferramenta iubentur præ cæteris expolita ſtudioſè inſpicere, quæ cuiq; apta in tempore eſſent: malos erigi, anchoras euelli; tum ſecundis Dei Benignitate ventis, vt ad inſulas contenderent, vela dari. Ita tres grauiori ventorum flatu propulſæ, ſub ipſius vrbis oculos, vt propugnatorum telis, è propinquo inceſſentium ictus difficulter vitarent, tamen felici temeritate Propontidem enauigant. nam, in tam paruo traiectu, qui muros, turreſq; compleuerant, tantus Græcorum numerus apparebat, vt nuſquam vrbis quenquam hominem relictum putares. Sed his Deus mentem eripuerat, qui conſilij modò de inſulis petendis dati, perinde obliti eſſent, ac ſi ei non interfuiſſent, aut id ne ex leui quidem auditione accepiſſent. In Aſiam ſubitò ad continentem dirigunt, portuq; Chalcedoniorum recta ſuccedunt, ad Palatium Imperatoris fratricidę Alexij, cui nomen eſt Chalcedonium, ad Boſphorum, contra Conſtantinopolim Aſię litore poſitum, qua Boſphorus quadraginta ſtadiorum interuallo Chalcedonem, & Byzantium interfluit, vndiſq; rapidioribus in Propontidem deſinit. Id veterum Græcorum Imperatorum Prętorium, operibus magnificum, regijs ſumptibus, & ſupellectile ad luxum, & delicias pluſquam Imperatoria, ædificatum, & Aulæis pretioſoq; rerum omnium apparatu luculenter inſtructum. Eo Comites & Barones exeunt, & totus Exercitus. hiq; magnam partem erectis tabernaculis circummetati, biduum ibi fuerunt, ſoli nauiculatores in nauibus manſere. Chalcedon, Bithyniæ Ciuitas nobilis, nunc Chalcidonia, vulgò dicta, à Saturni filio Chalcidone, Apollinis templo, atq; oraculo quondam inſignis à Megarenſibus condita, qui ob id cęci appellati ſunt, quòd opportunè oppoſitum Byzantium litus non caperent; iterum & ſæpius vaſtata; primò à Perſis; iterum à Valente Imperatore muris ſpoliata; deinde à Gotthis euerſa, quam poſt Cornelius auitus aliqua ex parte reſtituit, ſexcentorum amplius patrum Synodo, Marciano imperante nobilitata. Vicus admodum diues, & rerum quæ bello vſui ſunt, pleniſsimus. Eo anni tempore ſegetum demeſſarum acerui in agris congeſti erant, quo celeriter vulgò frumentatum itur, quòd frumenti, ac reliqui commeatus inopia noſtri laborarent. atq; ibi Barones, & Veneti cum vniuerſa Claſſe in proximam lucem manſerunt. poſtridie mane in naues ſe recipiunt, Equitatus parte in terra relicta, qui claſſem litus lambentem antecederet,

ſet, ac tertio die, quam Diui Stephani portu mouerant, qui dies eſt V. Kalen. Iulij, nauigant, ac ſecundo vento in ſuperas fauces aduerſi Boſphori, trium ſupra Conſtantinopolim paſſuum millium nauigatione ad Palatium Scutaricum ad Damalim, delati ſunt; alterum Græcorum Imperatorum Prætorium: Chalcedonio, ædificiorum pulchritudine, laxitate, & magnificentia propè par. hunc locum vbi excitatum eſt Scutarium, antiquis Dianæ fanum fuiſſe, & à veteribus promontorium Damalicum, ſiue Bouem appellatum, volunt: idq; in Chryſopoli antiqua, ad Thracium Boſphorum conſtitutum. Boſphorum porrò à Boum meabili tranſitu dictum: quoniam non latius diſtent litora, quam vt tranari bobus interfluum mare poſsit, quando ab Io Inachi filia, quam fabulosè in buculam à Ioue conuerſam ſcriptores tradunt, tranatum ſit. etenim Boſphori, vbi fretum anguſtiſsimum eſt, duobus locis, non amplius quingentis paſsibus, duarum terræ partium litora diſcedunt. alitum quippe cantus, canumq; latratus inuicem audiuntur, vocis etiam humanæ commercia, inter duos orbes manente colloquio, niſi cum id ipſum auferunt venti. adeò tenue illic interſtitium eſt, quod Europam ab Aſia diſterminat. Interea equitatus, qui Chalcedonio palatio hoſpitatus erat, vrbem Aſiatico ſinuoſo in litore obequitando, vt recognoſceret, ad Scutarium peruenit, atq; in campo ad litus molliter accliui iuxta Boſphorum, tabernacula ſtatuit: Francicus Exercitus editiore in tumulo ad Orientem verſus, colles Ponti conſedit. Scutarium porrò, vicus eſt Bithyniæ, qui idem Chryſopolis olim fuit, Chalcedonis Emporium: vbi, Græcos tradunt qui meruiſſent ſtipendia in Cyri expeditione Perſica, manſiſſe dies ſeptem, vendentes prædas, quibus eſſent potiti, non mœnibus quidem circundatus, oppidi inſtar, ſed Vicus laxè habitatus, multorum ędificijs non continuis. ambitu milliaria complectens circiter duo, partim in valle, partim duobus in promontorijs, vallem cingentibus conſtitutus: quorum vnum quod in Boſphorum prominet, Damalicum appellatur. Portum profundum habet, in ſinum mediocriter curuatum: ſed longè maiorem habuiſſe olim ferunt. occupantem imam Vallis planitiem, cum Athenienſes triginta biremes illic in præſidio tenerent, & eſſet Chalcedoniorum nauale. ferunt Philippum Conſtantinopolitanum Imperatorem Chryſopolim exædificaſſe, vt templum Deo Opt. Max. conderet, palatiaq; ad excipiendum Imperatorem, Imperatorioſq; Liberos, hortoſq; ſtruxiſſe, & piſcium viuarium, piſcinaſq; inſanis ſumptibus ædificaſſe. Sed quoniam ad hunc locum

deuentum

deuentum eſt, vbi poſthac de Conſtantinopolitana Vrbe ſæpius dicetur, non alienum ab inſtituta ſerie erit, de tantæ Vrbis ſitu, & magnitudine, quæ veteris Romæ æmula, omnium Europæ vrbium ſemper clariſsima fuerit, pauca recenſere. Byzantium igitur, quam poſtea à Cæſare Conſtantino inſtauratore, qui trecentis amplius annis poſt natum CHRISTVM magnificè ſtruxerat, & munierat, Conſtantinopolim appellant (quanquam ipſe Conſtantinus nouam Romam vocari mallet, ſed Principis gratia factum, vt ſuum, non vrbis Romæ nomen obtinuerit) à Pauſania Spartanorum Rege conditum ſcriptores referunt, eſt Vrbs adeò opportuno loco ſita, in Thraciæ, atq; adeò Europæ finibus, ad Thracij Boſphori fauces, vt Megarenſes illi, quorum antè meminimus, Chalcedonis conditores, quam è regione Byzantij fuiſſe diximus, oraculo Apollinis, cęci ſint iudicati, quòd tam locuplete ripa omiſſa, vbi poſtmodum Byzantium condendum foret, quò omnia ferè piſcium genera è Ponto in Propontidem præcipiti agmine, & naues nulla ventorum vi, nullo remorum impulſu, ſecundo Boſphoro deferuntur, ſterilem ędificandæ Vrbi locum captaſſent. Piſces etenim, ex Euxino per Boſphorum in Propontidem illati, vbi ad Chalcedonenſe litus incurrere, territi candicante ſaxo, quod à vado ad ſumma pelluceat, aduerſum Byzantij Boſphoreum Promontorium, Chryſoceras appellatum, adeò præcipiti petunt agmine, vt vno reti viginti nauigia facilè compleantur; vnde omnis captura Byzantij, eſt Chalcedonenſibus penuria. Vrbs ipſa, tribus partibus alluitur mari, quarta continenti Thracię iungitur. quandoquidem ab Aquilone, ſinu, cornu nuncupato, quem in Europam inſinuat Boſphorus Thracius: ab Oriente cingitur Boſphori extremis faucibus; à meridie Propontide; ab Occidente terra Thracia. forma illius eſt triangula, ſed lateribus diſparibus, cuius baſis eſt pars continentis ad Occaſum vergens; vertex autem, pars pertinens ad Ortum, ideſt ad initium peninſulæ, ſed lateribus inæqualibus. Latus enim ſpectans ad Occaſum, lunatam curuaturam ab angulo ſinus admittit; deinde poſtquam longo ſpacio proceſsit, ex Aquilone ad Meridiem flectitur. Latus verò ad Meridiem vergens, admittit flexum, ea latitudine, vt ſi ab angulo rectam lineam extendas, ſinum maris intercipias, plus minus duobus ſtadijs latum. quod autem ad Septentriones, & ſinum cornu nuncupatum latus pertinet, ſi ab angulo vno ad alterum linea duceretur, totum ſinum cornu, & partem vrbis Galatæ, interciperet. ſic enim litus curuatur, vt eius duo extrema cornua arcum quodam modo efficiant, duos arculos in

medio flexu habentem, adeò introrſum recedentes, vt duo extrema cornua arcus ſe includentis, impedimento non ſint, quò minus quis ex alterutro cornu proſpiciens, cernat vtrumq; cornu. magis igitur Conſtantinopolis tricornis, quàm triangula. tantæ vrbis ambitus, duodeviginti paſſuum millia complectitur. Sed in collibus, & editioribus tumulis accliuis conſtituta, aduenientes longiſsimè ſpeculatur, & viciſsim aduentantibus, vel procul occurrit. Vrbis mœnia partim lapidibus quadratis, partim coctilibus conſtant; ſed qua Vrbs in continentem Thraciam proſpicit, muro triplici, crebris turribus, atq; ingenti foſſa, munita eſt: qua verò mari alluitur humilioribus quidem quam ſint terreſtres, ſed iiſdem turritis, & craſsioribus circundatur. Maris circuitu vacantes muri, ſex portas habent. Conſtantinam videlicet, Adrianopolitanam, ſupra ſupercilium ſeptimi collis, Auream, Selymbriæ, & ſeptem turrium. ex parte ſinus Ceratini, Blachernæam, quam hodie Xiloportam dicunt, Cynigos, ſiue Palatinam, inde Phanariam, Agiam, Iubalicam, Farinariam, Lignariam, Seminariam, Piſcariam, Neorij portam, atq; Demetrij. ex parte Propontidis totidem fermè portis exornatur. habet Vrbs ad Septentriones Ceratinum, quem diximus, ſinum quinquaginta ſtadia, à Boſphoro ad Occaſum protentum: ad cuius aditum breui interuallo, hinc Byzantium; inde Pera: quam à breuiore traiectu, verbo Græco appellatam exiſtimant. Et cum ſe ex aduerſo intueantur, vtrinq; validiſsima Catena deducta, qua introrſum ſinus arctiſſimus eſt, impoſitoq; ad vtrunq; locum præſidio, ex quo, non modò tormentis bellicis ſaxa emitterentur ex vtroq; litore, ſed etiam machinis ignem liquidum profunderent Græci, aditum noſtris Alexius Tyrannus ademerat. Igitur noſtros Scutario in litore Vrbem æſtimantes, quaq; oppugnandi, & quatiendi cauſa Exercitum, & claſſem deducerent, ab Vrbe ſpeculatus Alexius, Exercitum educit, & Imperatorijs tabernaculis pro Galatæ mœnibus erectis, in Boſphori vlteriore Thracio litore extra Peram noſtris opponit, eo conſilio, vt nos appulſu, & in terram exitu prohiberet. Franci nouem dies commorati, reliquos Exercitui ad ſubleuandam inopiam commeatus diſpertiunt. atq; hic totus votiuus Exercitus. Iiſdem ferè diebus turma equitum longè optimorum tabernaculis ſpeculatum procedit. præmiſsi deſignatores, qui tabernaculis loca antecaperent. exierant autem, vt proxima explorarent loca, hoſtiumq; ſimul caſas & vicos occuparent, vſq; ad collium radices, vaſtatoq; agro & præda facta, præſidij cauſa pro caſtris agitarent. Sic eius turmæ prin-

princeps Odetus Campanus Chiamlites, Guilielmus eius frater, Odgerus Sancleron, Manaſſes Inſulanus, Craſſus Comes, ex Tranſpadanis, cliens Marchionis Monferratenſis, octuaginta Equites viros mirabiliter ſtrenuos, ducebant. hi in excurſione ſex millium paſſuum, hoſtium tentoria ad collium radices ſpeculati, aperiunt. ibi Megalodux Imperatoris Alexij (Græci Megaducam Imperij appellant) agmen equitum ad quingentos ſilentio continebat. noſtri re intellecta, aciem inſtruunt: quatuor phalangibus inſtitutis, eo conſilio, vt cum hoſte, ſi eius copia fieret, prælium committerent. Græci noſtros conſpicati, aciem inſtruunt. & aliquantum progreſsi aduerſum nos in conſpectu conſiſtunt: noſtri, ad hoſtis conſpectum teneri non potuerunt, quin innato animi ardore prælium faciant. pugnatur acerrimè. primo impetu Græci in fugam conijciuntur. hos noſtri Equites tria millia paſſuum conſectati ad prædam, in caſtra redeunt. hic equorum, mulorum, phaleratorumq; magno numero opimiſq; ſpolijs ditati, claris ſuorum plauſibus, armorumq; ſtrepitu excipiuntur. prædas & manubias inter ſe diuidunt. altera à prælio die, Alexius Tyrannus, vt Baronum, & Danduli Principis animum pertentaret, & quod plerunq; frequentibus colloquijs euenit, ad abdita eorum conſilia, exploratius penetraret, Nicolaum Rufum origine Inſubrem Italica vtentem lingua, quod à Dandulo, & Venetis, Baronibuſq; id idioma Franco eloquio proximum acciperetur, ad Comites, & Barones trans Boſphorum in Scutarium mittit, qui ſuam cum Baronibus cauſam agat, ſed amicè primo, atq; leniſſimè, ſi fieri poſſet, negotium pertractet, neq; eorum vires quas ſatis amplas eſſe præſenti claſſe cognoſceret, exagitaret. Palatium ingreſſus noſtros communicatione de conſilio capiendo occupatos, offendit. Omnes Alexij Imperatoris nomine ſalutat, & eiuſdem litteras Bonifacio Monferratenſi reddit, ad quem militaris Imperij poteſtas pertineret. litteræ in omnium oculis recitantur. erat autem hoc præter cætera litteratè ſcriptum. Alexium Imperatorem Nicolao Rufo ſingularem rerum ſuarum fidem habere. idcirco ipſos orare, vt ei, perinde, ac ſibi, crederent. Rufus, quæ vellet, in concilio dicere iubetur. Exponit Alexium Angelum Imperatorem exploratum habere, Barones omnium, poſt reges, optimos, & potentiſsimos, inclyta Gallia ortos & oriundos; qua, nulla regio, in terris magis opulens, magiſq; morata eſt. eandem de Veneto Principe opinionem concipere: ea de cauſa ſe mirari Venetos & Gallos, fines ſui domini violatum aggreſſos: ſe ad Exercitum quæſitum veniſſe, quo facto

dictove offenſi, intempeſtiuè dominum bello laceſſerent. pręſertim eos, qui ſine controuerſia Chriſtiani eſſent, eadem religione cum ipſo conſtricti, quæ more maiorum legitima diſceptatione per ſacras Synodos, & Chriſtianæ profeſsionis Antiſtetes in vnum locum euocatos, de ſuis controuerſijs, non armis contenderet, aut dimicaret. ſcire ſe, vno omnes conſenſu Barones, iampridem Cruce inſignitos, ad tranſmarinum bellum, in Iudæam, & Syriam traijcere, conſtituiſſe; Hieroſolyma & Sepulchrum ſanctius repetitum, non Conſtantinopolim Vrbem, ad infamis auaritię nomen, turpiter oppugnatum, veniſſe. Imperatorem Alexium adminiſtrandi Imperij non adeò imperitum, aut ignarum Chriſtiani muneris, vt ipſi exiſtiment, pari pietate in animum induxiſſe, beneficijs cum Baronibus, non maleficijs certare. ſi quid ipſius indigentes eſſent, & rerum copia premerentur, ipſum non modò commeatus, ſed etiam ſuarum fortunarum, quæ Chriſtiano orbe eſſent ampliſsimæ, partem maximam libenter impertiturum, ſi ſine maiori iniuria, ſuis finibus protinus excederent. ſtatuiſſe iniuriam iniuria (quæ eſt ſummi Auguſti clementia) non repellere, quamuis hoc, & poſsit, & debeat. nam, ſi ſatis Conſtantinopolitani, atq; Orientis opes Imperij Baronibus cognitæ eſſent, pro explorato haberent, eum non tantum ad apertam vim, parem eſſe, ſed ſuperiorem etiam futurum. Illud quoq;, Exercitum vigeſies copioſiorem, niſi ſuſum, Græcia vnquam diſceſſurum. Conon Bethunius Belga, Guilielmi Bethunienſis Aduocati, frater. atq; idem Balduini Flandriæ, & Hannoniæ Comitis cliens, ſummæ authoritatis, atq; prudentiæ Eques, quum ad reſpondendum ſurrexiſſet, Procerum conuentu maximo, Baronum, Duciſq; Veneti nomine, hæc verba habuit. Imperatorem Ruſe (inquit) mirari dixiſti, quòd Barones pręſertim nullo ipſius facto, ſed ne dicto quidem læſi, vltro ipſi arma intuliſſent, atq; in ſuum Regnum inuaſiſſent. quo (Ruſe) hæc ore dicta in hoc adeò clariſsimorum Principum conſeſſu videris? Non tibi ſatis cauſæ eſt armorum inferendorum, Bonifacij Marchionis, vt cæteros mittam, illuſtris affinitas, cuius frater Conradus Theodoram Conſtantinopolitanam amitam Alexij adoleſcentis, quem inter nos ſedentem conſpicis, vxorem habuiſſet? nihil ne Philippus Sueuus Germaniæ Rex, Alexij frater (Irenem enim Alexij ſororem duxit) quem belli ſocium omnium potentiſsimum exorauimus? ſi Imperium Conſtantinopolis, legibus ipſi delatum, aut his rationibus quibus ſacroſancto iure, inter Chriſtianos regna acquiruntur partum docuiſſes, non incoloratè

coloratè fortaſsis iniuriam armorum expoſtulares; ſed tamen veritas ipſa, neq; propinquis Bonifacio, & Philippo ius ſuum adimeret. ſed tuus, vt appellas, dominus, inaudito antehac ſcelere, inexplebili auaritia, Dijs, atq; hominibus inuiſus, impietate poſt hominum memoriam maxima, Imperium adeptus eſt: nam cum is, non ſolùm à Turca hoſte communi, pia fratris pecunia liberaliter redemptus eſſet, ſed Seuaſtocrator factus, honoribus etiam omnibus ampliſsimis, & reditibus, domi, militiæq; auctus, tantùm non Imperatoris appellatione honeſtatus, Imperatorijs opibus, Imperatorem ipſum, & fratrem, nihil tale meritum inhumaniter oppreſsit. atrocitatem rei ex veritate dicere parantem lachrymæ impediunt. neq; enim regno ſceleratiſsimi hominis cupiditas ſatiari potuit, quin nouam, & ſummam crudelitatem adiungeret. Imperatori & Fratri (quod ipſa morte acerbius videtur) oculorum lucem à natura datam, ademit. Eandem Imperatoriam Coronam, atq; ipſaſmet fraternas veſtes, collachrymantibus præ miſericordia Conſtantinopolitanis Ciuibus, nefandæ impietatis teſtimonium, induit. Eundem confectum penè maximorum dolorum cruciatu, vexat, atq; etiam in carcerem rapit. atq; hic tuus bonus Rex, impietate dirus, & humani generis prædo, non ſolùm in Iſaacio Fratre, verùm etiam in Fratris Filio vnico Alexio, ad ſpem tanti Imperij lege nato, ſæuitiam inſatiabilem edidit. Nam Adoleſcentem in carcerem teterrimum coniecit, vt paulò poſt ſqualore, atq; angoribus conficeret: quem tamen Dei immortalis conſilio, de tui domini ergaſtulis elapſum, ſella inter Proceres auguſtiſsima ſedentem vides, ad tui Imperatoris (vt ſpero) breui perniciem non dubiam. Eum igitur potius mirari debemus, Auguſti Patris, atq; Alexij Cæſaris Regnum tyrannicè occupare, teq; eò impudentiæ iam prouectum, vt diceres tuum dominum more Chriſtianorum, ad Eccleſiam, tanquam in ius vocandum fuiſſe. Tyrannum ſcilicet aliquem, ſummæ perfidiæ, & crudelitatis, humani generis hoſtem atrociſsimum, tanquam tuum ciuem habeas, quo cum iure ciuili, decertes? in Chriſtianis etiam connumeres? qui per ſummum ſcelus, & impietatem, regnandi libidine, fratrem luminibus orbauit? nulla (mihi crede) tyranno cum Chriſtianis ſocietas eſt: neq; eſt contra naturam, ei tanquam veteri, impioq; hoſti, & vltima ſupplicia merito, ſpolia aliena detrahere, atq; eripere; quem honeſtum eſt (ſi poſsis) necare. declarant hoc, veterum tui Domini ſimilium exitus tyrannorum, vt iam Barones, & Veneti, in vitio ſint inexpiabili, niſi illius capite, hoc omne genus deteſtabile, & impium, cum

poſsint,

poſsint, ex hominum ſocietate exterminent. Ea tamen ſunt manſuetudine, & clementia, vt tuum Dominum, per te, ſi æquum eſt, rogatum velint, ne iudicium armorum, ac Martis expectet: veniam potius ab Iſaacio Fratre ſtatim petat: eum in Imperium reſtituat. nec enim in cauſa, quam peroraſti, ſed in huiuſce Principis adoleſcentis fide, ſpes ſalutis poſita. Barones, Ducemq; Dandulum, omnem operam, atq; ſtudium Iſaacio Imperatori, Filioq; Cæſari placando, daturos pollicentur. his deprecatoribus non ſolùm veniam impetraturum confido, verùm etiam tantum facultatum, vnde ſe, ſuoſq; victu, & cultu ſua gente, ſiue Angela, ſiue Comnena digno, alere luculenter poſsit. tui igitur Domini partes erunt, vt primo quoq; tempore, ille ſibi Iſaacium cum Filio reconciliandum, atq; in integrum (quoad eius fieri poteſt) reſtitutum velit: tu verò ad tutiora reuerſus conſilia, ne breui, ſtultæ pertinaciæ, crudeli ſupplicio pęnas des, vt è veſtigio abeas, neq; ad nos, ſi ſanus es, niſi reſtitutionis cauſa poſthac redeas. Ita Rufus prægraui reſponſo Caſtris protinus excedere iuſſus, & cum pudore redargutus, ad Alexium dimittitur. Barones Alexij peruicaciam, & Oratoris Rufi audaciam ſtomachati, vehementiſsimè commoti ſunt: moxq; murmur tota aula eſt auditus, qualis apud indignantes, & offenſos Proceres eſſe conſueuit. Inde conſilio, priuſquam armis, omnia experirentur; nam in Syriam, ſi ſuos retinere vellent, nauigationem maturandam videbant; Alexium in ſublimi Biremis parte locatum vrbem circumuehere, ac ciuibus pro muris exhibere conſtituunt. Huiuſce rei cauſa Biremes omnes repentè armant. In vnam Dandulus, & Bonifacius Marchio cum Alexio adoleſcente conſcendunt: in reliquas Barones, & Equites. Ita placere expanſa, atq; directa in hoſtem Claſſe, Alexium Iſaacij Imperatoris filium, vt Conſtantinopolitanos ad defectionem elicerent, Græcorum oculis, qui frequentes męnia propugnabant, ſubijcere. his noſtrorum vocibus omnia perſonabant. en, omnium veſtrûm iuſtum Dominum. en, cuius gratia veſtram libertatem propugnatum, non oppugnatum, venimus. Ad ea, Conſtantinopolitani nullam ſignificationem miſericordiæ dare: nemo ex Græcis ſe commouère: nulluſq; omnino, vel à timore, vel à ſeditione, vti futurum putabant, & ſperabant, in vrbe tumultus oriri: propterea quod ſi ſe indicaſſent, ſummum in cruciatum venturos videbant. deinde boni, & hi alicuius fortunæ, & rei homines, cuſtodes ſibi affixos verebantur. Noſtri re infecta, Scutarium ad Damalicum promontorium in caſtra remigrant. Imperij enim reſtitutione deſpera-

ta,

ta, niſi quam armis facerent, nihil commodum cum Tyranno deci-di poſſe. Ex quo omnium animi ad bellum extemplò capeſcendum inclinati. poſtridie peractis ſacris, & Deo Cęlitibuſq; ritè vocatis, euulgata profectione, omnes Scutarij in campo armati, in equis, inter ſe colloqui, atq; militari more, concilium armatum habere. res verò ſpectatu digna, omnes citius jmperio ad aciem præſto eſſe. in tantis porrò non modò contentionibus, ſed etiam altercationibus, tamen illud ſalutariter pro tempore deliberatum, vt copiæ omnes luſtrarentur, atq; in ſex omnino quadratas acies diſtribuerenrur. Primam aciem, Balduinus Comes Flandriæ, atq; Hannoniæ duceret, quod eorum maximum numerum haberet, qui ſcorpionibus, qui baliſtis manuarijs intentis, quales apud Gallos in more ſunt & vſu, tela mitterent; qui ferè ſemper in prima acie collocari ſolent. Secundam porrò eius frater Henricus, Matthæus Valencurius, Balduinus Bellouiſus, multiq; egregiæ nobilitatis, notæq; virtutis Equites, ducarent, quos ſuæ quiſq; patriæ finibus eduxerat. Hos cum tertia phalange, Hugo Comes Sancti Pauli, Petrus Ambianus eius nepos, Euſtachius Canthellus, Anſelmus Leodienſis, multiq; alij fortes, & egregij Equites, Ducum conterranei, ſequebantur. Quartam Ludouicus Bleſenſis, & Carnutum Comes, de ſuis ambactis, clientibus & familiaribus, quos pugnæ equeſtris ſcientes, & præſentis magnitudine animi non contemnendos, ſecum magno numero habebat, conſcripſit. His, vel illis, vbi res poſceret, auxilio futurus. In quinta ferè cunctæ nobilitatis Gallicæ flos cenſebatur. In his Matthęus Monmorentiacus præcipuus, & pleriq; Campani nobiles, Odetus Chiamlites, Villharduinus noſter Campaniæ Mareſchallus, Odgerus Sancleron, Manaſſes Inſulanus, Milo Brabantius Priuinus, Macharius Sanmanechaus, Ioannes Fiſnones, Ioannes Chappiacus, Clarambaldus eius nepos, Robertus Ronceius, qui ſingularem militiæ vſum habere dicebantur, curabant. Hanc etiam permulti Senones, Meldæ, & Aureliani Equites referſerant. Sexta quam (maximam ex omni numero, veluti ſubſidiariam) Bonifacius Marchio Monferratenſis, ab vltimis Allobrogibus, qui Lugdunenſes ad Rhodanum attingunt, contractis auxilijs fecerat, Transpadanis, Inſubribus, Thuſcis, Theutonibus, Ciſrhenanis, Tranſrhenaniſq; refertam, poſtremum agmen tutiſsimè claudebat. Hæc ratio belli fuit, vt, ſi deſcenſione ordines prohiberentur, ad Danduli Venetiarum Ducis Imperium, qui maritimarum pugnarum erat apprimè peritus, nauali prælio non diſiecti paſsim, ſed ordinatius dimicarent:

ſin

ſin terreſtri prælio decernendum eſſet, in ſuis ordinibus diſpoſiti, commodius, atq; animoſius hoſtem adorirentur. Itaq; Exercitu luſtrato, naualibus turmis inſpectis, dies conſtituitur, qua omnes in naues ſe reciperent, mox ad ſignum traiecturi: atq; hic, tanta animorum alacritate obtemperatum, vt omnibus vincendum eſſet, aut oppetendum. Epiſcopi, Sacerdotes, & reliquus Clerus qui rei diuinæ cauſa Exercitum ſecuti erant, concionem ſtolati (vt in tali re neceſſarium) habent, de confitendis more Chriſtiano peccatis, deq; teſtamentis in procinctu faciendis, ac vita cum morte piè commutanda, quòd Deus optimos quoſq; in prælijs pignerare ſoleat. Franci etenim, Belgæ, Theutones, Ciuitatum Antiſtites, Cœnobiarchę etiam ex ſacris reditibus valde opulenti, patrio more, tanquam Regni Proceres, ſummo ſtudio certatim alere equites, & nobili exemplo in Syriam ductare aduerſus Sarracenos ſolebant; cum valdè decorum putarent Religionis cauſam, à ſacratis maximè Ducibus defendi. Itaq; pietatis honore, Deo, Cœlitibuſq;, caſta mente habito, delecti omnes arma induunt, equos phaleris conſternunt, exornantq;, &, vt imperatum erat, naues conſcendunt, qua profluens Boſphorus ſedatior eſt. reliqui militum numeri non ita prælio idonei, in naues onerarias imponuntur; ſimul Biremes Venetæ inſtruuntur; tanta animorum alacritate ab omnibus obtemperatum, vt ipſis perſuaſum eſſet, aut vincere, aut oppetere. Traiectioni dies lætus illuxit. Imperator Alexius animo vehementer perculſus, atq; anxius, inſtructa acie, noſtros propè Galatam (ea Pera eſt) iam diluculo expectabat, quo deſcenſionem prohiberet. Noſtri, protinus claſsicum canere, ſinguliſq; Biremibus ſingulas Hyppagogas admaturandæ traiectionis cauſa alligare. traiecto Boſphoro, non longè ab Hermæo promontorio, vbi ex Aſia anguſtiſsimus Boſphori traiectus eſt in Europam, quo loco Darius Xerxis Pater in Græciam moturus, copias ponte tranſuexit, ad Galatæ maritimam planitiem appellunt. alij alios, ſtudio pugnæ in litus anteuertere, atq; ita, vt eques Hyppagogis eductus ſine jmperio in prima ęſtuaria armatus inſiliret, tanta velocitate, vt vmbilico tenus maritimis vndis ablutus, brachia tantum, atq; humeri ad ſuſtinenda arma liberi eſſe poſſent. huc ſagittarij intentis arcubus, baliſtarij, libratores, Centuriones effundi; reliquus miles pari animi ardore conſequi. Alexiani quidem primùm litore, ſpeciem prohibentium oſtentare, ſed ad noſtrorum haſtas vibrantium aſpectum (in hoſtes enim repentino quodam velut fulmine, impetu animi, & pugnæ ardore

dore incitati incurrerant) terga turpiter vertere. neq; enim noſtrorum clamorem diutius perferunt, quin in fugam nullo contracto certamine protinus ſe darent: & repente tota vndiq; litora Græcorum agminibus nudarentur. Ita noſtri ſuperato Boſphoro, portum fortiter occupant. Eò nauicularores celeriter equos pontibus in litus educunt, atq; actutum acies, vt præſcriptum erat, ordinatim ingrediuntur. Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ Comes, ſuorum primam aciem ducit. Cęteræ, ſuo quæq; ordine conſequebantur. Caſtra Imperatoris Alexij (vnde ille Conſtantinopolim verſus, cum fama accepiſſet Francos eò ruere in maritima ora, relictis tabernaculis exceſſerat) non procul à Cornu Byzantio, inuadunt, & diripiunt. Sed, vt ſitum cornu Byzantij (quem Peræ ſinum hodie dicunt) cum locus ita poſtulare videatur, referamus, Boſphori ſinus, Cornu antiquis nuncupatus, iuxta Byzantium duobus promontorijs, qui ſinus, fauces, & initium faciunt, clauditur. Vnum à meridie, in quo Conſtantinopolis maritimus angulus ſitus eſt, appellant Boſphorium, cui nunc conuerſa Græcorum fortuna, Othomanorum regia clauſtra inſident: alterum verò ex aduerſo à Septentrionibus, Metopum olim dictum, hodie Turcæ Acram Spadoninam vocant. Sinus ipſe, ab oſtio vſq; ad intimum receſſum, ab Oriente in Occidentem vergit: longitudine, trium paſſuum millibus, latitudine verò, qua arctiſsimus eſt, paulò plus tribus ſtadijs, cornu ceruino perquam ſimilis, quando in plures ſinus perinde ac ramos, ſcindatur. hic ſinus omnes portus maris commoditate applicandi præſtat. in cęteros enim omnes portus, vi remorum, aut ventorum applicatio fit. in Ceratinum ſinum, ſine ventis, ſine remis, naturalis & perennis Boſphori curſus, naues inducit, & reducit. Omnibus anni temporibus, omnis generis piſcium piſcationi commodiſsimus: qua præſertim vadoſus eſt, ad intimum ſinum, & incuruatur ad Septentriones, vſq; ad Oſtia Cydari, & Barbyſæ fluminum, paluſtris eſt, & lutulentus; frequentibuſq; inſulis exaggeratus, quas habet amplius quadraginta. huius in ſinus altero in Septentrionem litore, Conſtantinopolitanæ vrbi aduerſo, ſita eſt, Sycena regio antiquis, Græcorum vulgò Galata Ciuitas ſiue Pera, rectius nominanda Peræa, ideſt trans ſinum poſita, partim in colle, partim in planitie colli ſubiecta, quem duę valles efficiunt, vna ab Oriente, altera ab Occidente. Collis deorſum à meridie in Septentriones procedit. vnde fit, vt vrbs ſit prona triplici procliuitate, à Septentrionibus ad meridiem, altera ad ſolis ortum, tertia ad occaſum. totum litus quod maritimam oram circundat, &

Cornu accubat, portuoſum eſt, naues admittens. portas habet maritimas ſex, quarum tres traiectum frequentem habent ad Conſtantinopolim. Turris erat Galatæ, Caſtellum Galaticum vocant, qua ad Ceratini ſinus medium, vbi anguſtiſsimus eſt Boſphorus, in ſtadia paulò plus tria coarctatur, benè munita, qua pertinens catena ad ipſam Conſtantinopolitanam Acropolim, naues intercludebat, cum aliâ portus ob ſecundum Boſphorum adiri non poſſet. noſtro æuo adhuc Galatæ porta eſt, quæ appellatur Catena, ex eo quod ab Acropoli ad eam vſq; portam, catena extenderetur. De ea expugnanda inito concilio, nocte iuxta portum Galatæ, quod oppidum Villharduinus Iudaicum vicum ſuo tempore Leſthanor appellatum ſcribit, non ignobili fortaſſe argumento à Laſthene Megarenſi, qui proximo Laſthenio ſinui nomen dedit, nuncupatum, quam proximè arcem tendunt: conſtitutis cuſtodibus, qui excubias in ſtationibus, vndiq; agerent. poſtridie hora tertia animosè turris oppugnationem aggrediuntur, ſi primo impetu capere poſsint. Alexiani ex vrbe nauibus deuecti, Galatis certatim opem ferre. quæ res totum Exercitum ad arma excijt. Ibi Iacobus Auennes præſentis animi Eques, remoto equo, cum ſua turma aduerſus Græcos fortiter pugnans, graue vulnus aduerſo ore accepit. penè de eo actum fuiſſet, niſi Nicolaus Iamlainus eius turmalis, ex equo opem domino opportunè tuliſſet. vnde coronæ ciuicæ honorem promeritus, magnam laudem à toto Exercitu, Auenne Equite, & Gallo ſeruato, conſecutus eſt. noſtri conclamatione ex omnibus partibus caſtris euocati, concurrunt. quorum præſentia compluribus partim cæſis ſubmerſiſq;, partim etiam captis, reliquos Græcos in fugam conijciunt, ac terga vertere turpiter cogunt. Cęterum auxiliares, qui ex vrbe ſinum præterue̕cti, in turrim inuadere nitebantur, ſic à noſtris per impreſsionem opprimuntur, vt porta claudi non potuerit, quin effractis valuis, & ipſi vnà ſubirent; multiſq; cęſis, ac præ turba eliſis, & exanimatis, eodem ferè temporis puncto, arx Galatarum cum præſidio capitur, portuſq; Conſtantinopolitanus à Venetis, & Francis occupatur. cùm hac de re, tùm de Conſtantinopolitarum mœrore magna voluptas Exercitum cępit. continuò Epiſcoporum decreto, Deo Diuiſq; pro victoria totis caſtris ſupplicatum. Inſequenti die, claſsis Ceratinum in ſinum, ceu in portum tutiſsimum, accepta eſt. Cæterum hic diu multumq; inter Venetos, & Gallos deliberatum de Vrbe, mari, an terra, obſidione, atq; vi oppugnanda. Venetis explorato Vrbis ſitu placebat mari, & quidem ſcalis è nauibus inuadere,

uadere, atq; inde catapultis, baliſtis, tollenonibus, & maioribus tormentis grauiores impetus futuros. circumductis enim in ampliſſimam coronam onerarijs nauibus, & ante eas Biremibus, magnam conuexæ vrbis partem, quam cornu cingit, ſe facilè complecti poſſe ſperabant, fabricatiſq; pontibus quos ſuperſtantibus armatis ex gradarijs tollenonibus, ſeu colligatis nauium antennis, muro ſubmitterent, continuò vrbem adorirentur. Francis conſtabat, vrbem terra aggredi, tormentis, machiniſq; murum petere, & introrſum irrumpere: ſe, naualis negotij, & maritimarum pugnarum rudes; quarum eſſent in primis vſu periti Veneti: ſe à maioribus, equo rerum omnium ad bellum aptiſsimo, Gallorum conſuetudine, vti didiciſſe. præterea melius in equo, quam in naui hærere. Res approbationem conſenſumq; hunc habuit, vt Veneti mari, Franci terra oppugnationem agitarent. Claſſe igitur, equitibuſq; recreatis, quinto die, Exercitus motis caſtris, rectà per Sycenas valles & Vineta, ad extremam ferè Ceratini ſinus partem, Blachernio Palatio proximam contendit, & prout antè Scutario in campo præceptum erat, procedit: ita compoſito agminum ordine, dum ſub ſuis quiſq; ducibus, & vexillis incedit, vt duodecim paſſuum millibus (tantum enim circundato ſinu ex continente ad vrbem iter eſt) parati ad pugnam, instructa acie, aduerſus omnes inſidias, incurſuſq; Græcorum, iter facerent. Ante Vrbem, non procul à Blachernia porta conſiſtunt: ibi Prætorij vexillum erigitur. Claſsis verò vniuerſa celeriter commouit, & portum præteruecta, in conſpectu noſtrorum conſtitit; idq; ad intimum ſinum, qua Boſphoro aquis dulcibus ſenſim infuſo, portus ferè circumcluditur. Illac Hydrales fluuius (quem hodie Turcarum accolarum quidam Belgradum, à Vico proximè ipſius ripas ſito: quidam Camerarum à fornicibus, quibus Conſtantinopolim ducebatur) cum Barbyſe, nunc Chartarico ab officina oſtijs fluminum propinqua, vbi chartæ explanantur, vel Pectinacorio appellato, ſe coniungit, & in ſinum Ceratinum influit. qui fluuius latè patens, frequentibus aquis auctus, lapideo ponte, qua tantum tranſiri poteſt, à Græcis Imperatoribus iunctus fuerat, quem hoſtis paulò antè exciderat. Is, Baronum iuſſu, militum labore diem, & noctem continenti, verùm alacritate ſingulari, vtpotè quibus Barones præſentes, ac indefeſsi adhortatores eſſent, tumultuario opere reficitur: quo noſtræ acies prima luce, ex conſuetudine progreſſę, propius vrbem effuſæ, inde auſo obuiam egredi nemine, tabernacula conſtituunt. Id, quod noſtros in ſummam admirationem traduxit.

ſatis enim conſtabat ex captiuorum ſermone, ſingulis Gallis ducentenos Græcos (tanta hominum multitudo, qui arma per ętatem ferrent, vndiq; in vrbem circumfluxerat) opponi potuiſſe. Itaq; Barones, inter Regiam Blachernæ, interq; Diuorum Coſmæ; & Damiani Ædem, à Græcis Coſmidium eo ſæculo appellatam, caſtris poſitis, & erectis tabernaculis, ante vrbem tutiſsimè conſederunt. Id Cęnobium vaſtæ amplitudinis, cum viridarijs, altioribus muris circumductum, Ædem eorundem Diuorum in ſe continebat, quę ad extremum ſinus Ceratini, litori proxima, in loco arduo, & vehementer ſublimi, à Iuſtiniano liberaliſsimo Imperatore ſaluti reſtituto, Deo Diuiſq; pietatis cauſa fuerat conſtituta. Eum locum, tanquam Pretorium regalis fortunæ, inſtar arcis, editiore tumulo conditum, vulgò Boemundi caſtellum nominabant. Inde, Conſtantinopolis ſitum ad continentem ſpeculati (ea vrbis pars ad Occidentem vergit) ſex millia paſſuum ingentibus muris complecti videbant: quod illis ſpem ſimul & metum mouit. ſuam enim paucitatem vnius tantum portæ ex ſex, quæ à continente, in Thraciam ducunt, obſidione diſtineri poſſe, non ſine periculo cernebant. nam præter Blacherniam, quæ ab angulo vrbis ad ſinum incipit, quam eandem Conſtantinam dicunt, Adrianopolitana deinde ſuccedit; mox tertia, quæ eſt ſupra ſupercilium ſeptimi collis, deinde Aurea, poſtmodum Selymbriæ, ſiue Rhegij, & poſtremò ſeptem turrium, totum Occidentale latus claudunt. Dandulus Venetiarum Princeps, lunata claſſe ad ſemicirculi formam in ordines inſtructa, Imperatoriam in ipſius medio conſtituit, Dromonibuſq; in cornua conſtitutis, maritimam Vrbis oppugnationem ad Petrium adoriri, machinas & tormenta inſtruere, ex ſingularium nauium, & biremium prora, Syphones ſublimes ęre obtectos, ad ignem in hoſtes iaculandum apparare, ſupra Syphones, pſeudopatium ingens aſſeribus, & boum tergoribus circumtectum, in quo pugnantes conſiſterent conſtituere: molarium præterea lapidum, & manipularium grauis ferri, cuſpidatorum malorum, ingentem copiam, vndiq; cogere, ſcalas erigere, & iam murum verberare. Barones in Caſtris inter ſe cohortati, atq; cum animo ſuo reputantes, cum his ſibi dimicandum eſſe, qui longiſsimę pacis, & deliciarum luxu molles circumfluerent, quoſq; ex ſuperiore fuga, in hominis figura, cor leporis gerere explorauerant, baliſtas, fundas, tollenones, cæteraq; militaria tormenta diligenter curant. Nunquam antea ab vlla memoria, tantum obſidionalium tormentorum, ad vnam oppuguationem colla-

tum

tum fuit. Nam, à terra præter arietes, onagros, turres ligneas, & teſtudines CCL. à mari CCCCC. tormentis, vno vndiq; tempore, Conſtantinopolitanus murus eſt vehementiſsimè percuſſus. Minorum verò tanta vis fuit, Scorpionum, & Catapultarum, vt præ fragore, ac ſtrepitu, in caſtris, & nauibus, quidquam exaudiri non poſſet. His rebus à noſtris comparatis, propugnatores murorum ſagittis arcu, ſaxiſq; baliſta miſsis, inferiores petere, & affligere, ollas fumante calce, & parato Græco igne liquido plenas, in Venetas naues, & caſtra deijcere, ac noſtros diſturbare, omnia ſumma vi conniti. prorſus à noſtris nihil reliquum fieri: ita, vt ſemper vna aliqua ex ſex aciebus, dies & noctes ad Blacherniam vrbis portam, ibi enim ſtatiua habebant, excubias, vigiliaſq; continuarent, quo ſibi ab hoſtis eruptionibus cauerent. Contra Alexiani in Vrbe feſtinare, neceſsitati proſpicere, rebuſq; omnibus Gallos arcere, & fatigare, modò machinis labefactare, modò eruptionibus, cum Blachernia porta ad quam conſederant, tùm verò Adrianopolitana, vel Selymbriana, inopinantes percellere, vt quotidie ferè totis caſtris ſepties ad arma conclamaretur. Blachernium Palatium in angulo vrbis, in continentis parte, quæ ad Thraciam vergit, iuxta portum conſtitutum eſt, ab Anaſtaſio Cæſare conditum ſcriptores tradunt, & Palatium Blachernium, atq; idem nouum Comnenorum, atq; Angelorum Auguſtorum temporibus dictum, quod non multis ante ſęculis conſtructum eſſet. Blachernarum autem nomen, ob id, loco, vbi ſitum eſt, inditum ferunt, vel à quodam Rege qui ibi regnaſſet, vel quòd ibi ſinus paluſtris eſſet, proptereaq; obrutus illis temporibus, quum Pulcheria, Arcadij filia, Marciani vxor, pia Imperatrix ea vrbis parte, magnum Deiparę templum erexiſſet. nam Græci vulgò in hanc diem paluſtrem locum, ob vadorum aggerationem, quam deferunt oſtia fluminum, Blachas appellant. Ibi enim maris marcidi extremus Ceratini ſinus, locus paludis appellabatur, quòd ijs ſtagnis lutulenta fluminum ſeceſsio ſubſideret. non enim maris vadum arena, ſed cęno & luto tectum eſt, quod ab ijſdem fluminibus in Ceras ſinum erumpentibus defertur. In tantas noſtri anguſtias cibariorum penuria adducti erant, vt ad perquirendos commeatus, vix extra quatuor baliſtæ iactus prodire liceret. quæ res moleſtiam non mediocrem noſtris importabat, in maxima penè rerum omnium inopia poſitis. Siquidem præter farinam, quam ex Chalcedonenſi frumentatione comparauerant, parum erat ſuillæ, & bubulæ ſalitæ, ſed nihil omnino carnis, à lanij cultro recentis, niſi quam equi con-

conciſi ſuppeditaſſent. ac diligenter, commeatuum quicquid in caſtris erat, ratione inita, compertum fuit, id Exercitui vix tres hebdomadas duriter tolerando, ſatisfore, quanquam paucorum Exercitus erat, & eo grauiore periculo, quod tanta vrbs, tamq́; copioſa, à tam paucis ex omni memoria circumſeſſa non fuiſſet. Eodem tempore Veneti è turribus ſuper naues impoſitis, omnium generum machinis Græcos aggrediuntur: eòq́; feſtinantius, quò ipſis glorioſius eſſet, ſi qua vna re Gallis, bellatoribus eximijs anteuerterent: Vrbemq́; primo impetu antecaperent. Barones, vt Exercitum ſi minus ab inopia, at ex labore, quem cauendis Græcorum irruptionibus die, noctuq́; capiebat, reficerent, caſtra per gregarios interim munire inſtituunt, foſſaq́; & vallo circundant, & irrupturis hoſtibus opponunt. Idquod Francos ad id tempus duabus de cauſis neglexiſſe videmus; laboris primum inſuetos, & operarum hominum infimorum faſtidientes; deinde per ſe præfidentes, vt alia vi, quam cęli ruina ſe oppreſſos iri, nunquam reputent. His igitur rebus Gallus Blachernia terreſtri Vrbis porta, penes quam caſtra poſuiſſe memorauimus, repentinos hoſtium impetus ſuſtinebat, & reprimebat: quos tamen ſemper noſtrorum virtute depulſos, ſolus murus tutabatur: ſimul & tutius quietem corporibus dabat, vt refectis viribus, cum vſus erat, redintegrato in noſtros prælio, decertaſent. Quadam die Burgundiones pro vallo excubabant. hi Græcorum maximum numerum, e Blachernia porta ad ſe erumpere conſpicati, celeritate, & fortitudine iuxta admirabili, vix confirmatos, & in ordinem redactos adoriuntur: atq́; in vrbem, priuſquam certamen tentaſſent, in longè turpiſsimam fugam coniectos, magno ipſorum detrimento compellunt. ſubq́; ipſam Blacherniam portam fugientes, ne retentare conglobareq́; ſuorum acies poſſent, tanto animi ardore inſectantur, vt quum ingentia ſaxa à Gręcis, in grandinis morem deijcerentur in noſtros, & Burgundiones acriter incumberent, Guilielmus Chiamlites lapide de muro in brachio ictus, magno omnibus luctui eſſet, quòd Eques præſenti conſilio, & manu efficax haberetur. eodem caſu plures noſtrorum ſaucij, plures grauiter vulnerati perierunt. Burgundiones interim multis ea pugna captis, atq́; in his Conſtantino Laſcare Theodori fratre, equo hærente, viro ea tempeſtate apud Græcos inſignis virtutis, & famæ, Imperatoria affinitate clariſsimo, quem Gualterius Nigellanus ſuum mancipium iure belli fecerat, ſeſe ad ſtationes recipiunt. Cæterum antequam pugna dirimeretur, Euſtachius Eques ſpectatæ virtutis, atq́; idem

Hen-

Henrici fratris Balduini Comitis, cliens, quem Marchionem appellabant, à chirotecis trilicibus, à caſſide, & ſcuto de collo pendente benè paratus, eò ad conflictum communis martis accurrit tanta celeritate, atq; animi magnitudine (ſiquidem ſolus perpetratæ dimicationis gloriam tulit) vt quemadmodum hoſtium propriam fugam, ita ſuorum victoriam feciſſe diceretur, vt non modò fugati hoſtis, ſed probatæ virtutis opinionem, in caſtra reportaret. Et cum nullum ferè temporis punctum remitteretur, quin vel leuibus prælijs dimicaretur, Græci ſemper aliquid detrimenti accipiebant: cum tamen Francos miſerè coarctatos, tanquam planè captos glorioſè iactarent. Re quidem vera anguſtè continebantur, atq; ab omni commeatu intercludebantur; vt vix ſatis temporis quieti, curæq; corporum neceſſariæ daretur. Noſtri tamen in ſtationibus facilè cauebant, ne qua ſubitò irruptio vniuerſæ rei perniciem adferret. quinimo, ſi quando hoſtis quacunq; portis egreſſum ſpecularetur, confeſtim eò aduolabant. adeò, vt ne vnus quidem in dimicatione ad noſtras munitiones perueniret, nedum foſſam tranſiret, aut vallum reſcinderet. Ijſdem diebus irruptione ex Blachernia porta in Gallos facta, vbi Græci inſignem ea die cladem accepere, Guilielmus Giſnenſis concidit. Id incommodum fortis viri morte acceptum, Matthæus Valencurius, ex Namurcis, magni animi Eques, reſarcijt: qui amiſſo equo in ponte ante portam, incolumis tamen duplicatam laudem, & de hoſtis fuga, & de pontis tranſitu, in caſtra retulit. Sed ad eandem Blacherniam portam, quam ſupra Blachernio Palatio proximam fuiſſe memorauimus, vnde crebriores hoſtium irruptiones fiebant, Petri Braiaquelli virtus admodum enituit: qui proximus hoſti excubitor cum eſſet, & gloriæ auidus noua alia ſuper alia facinora edebat, gratiam & gloriam, haud immeritam cuſtodiæ caſtrorum ferens. Ita decem dies in ſumma rerum anguſtia, & maximo Gallorum incommodo, aſsiduè velitatum. Proxima Iouis die, XVI. Kalen. Auguſti, rebus omnibus, antelucano tempore apparatis, Galli terra, Veneti autem mari ad Vrbis oppugnationem ſe comparant. Quatuor itaq; ex ſex, quas ſupra memorauimus lectiores acies deliguntur, quæ ad pugnam prodirent, reliquis duabus, veluti ſubſidiarijs, opportunè diſpoſitis, ne noſtros pugnæ intentos à tergo hoſtis offenderet. Bonifacius Marchio Monferratenſis manu quæ numero maxima erat, planitiem cuſtodiebat. Campani, item Burgundiones, ſimul & Matthæus Monmorentiacus cum ſuis excubias agebant, præſidio Caſtrorum relicti. Balduinus Comes

mes Flandriæ, vna & eius frater Henricus, Ludouicus Comes Bleſenſis, Hugo Sancti Pauli Comes, caſtris egreſsi, cum ſuis copijs, oppugnationem alacriter aggrediuntur, biniſq; ſcalis ad feneſtram ſuperioribus murorum pinnis ſubiectam (Barbacanem vocant) in vrbis angulo mari proximo, applicatis, nobiles quidam Galli, duoq; cum his Centuriones, genere quidem humili, ſed eo ſaltu ſatis clari, maxima vi murum tranſcendunt, Britannis ac Danis propugnatoribus, ab Imperatore Conſtantinopolitano mercede conductis, qui arcubus ligneis ex diſciplina Britannica ſagittabant, fortiter loco pulſis, Franciſq; militibus ad quindecim numerum ſcalas aſcendentibus, iter faciunt. Omnes cominus cum Græcis pugnant, initumq; eſt certamen paribus primo animis, ac viribus, ac plures hincinde aduerſo ore deformiter vulnerati; ſed poſtquam noua manus militum Græcis ſubſidio aduenit, & murum conſcendit, noſtroſq; raros, & præterea neminem ſubſequi animaduerterent, ſubita ſpe elati, paucos facilè regredi compellunt, omnibus perturbatis, diſsipatiſq;, compluribus vulneratis, & duobus captis. quorum aſpectu Imperator Alexius fratricida valdè exhilaratus eſt. Interea Dandulus rei naualis peritiſsimus Imperator, tubarum, & tympanorum ſigno ſæpius dato, mari nihilo ſegnius agere, percuſsis muris Ceratino in ſinu, Claſſem inſtructam ad Petrium promouere: ita vniuerſæ claſsis diuiſis ordinibus, vt Biremes inuicem ſuccederent, & muris appellerentur, tenſiſq; baliſtis, atq; infeſtis arcubus Græcos laceſſerent. Maiores verò, & onerariæ naues, celoces etiam, & Hyppagogæ ſtatariæ, nempè ad anchoras in aciem ante muros conſtitutæ, erectis tollenonibus, vibratiſq; ingentibus ſaxis, ex caſtellis prorarum, & puppium, & ab excelſis ſummi mali carcheſijs, iugiter operam nauarent. ita omnibus tormentis defenſores ſatis pro loco pugnaces muro ſubmouere. Naues, Biremes, Hyppagogas, ad terram propellere, ſimul & his, quæ ad mali ſummitatem caueas haberent, ſcalas applicare, vt iam cominus certaretur. caueæ enim ſummis alligatæ malis, multos propugnatores continent, è quibus deni, & ſæpè pro nauigij magnitudine, viceni homines, ferro & ſaxis, atq; miſsilibus propugnant. Ita claſsis acie inſtructa, vt turribus, atq; editioribus ex locis naues ab hoſtibus facilè numerari poſſent, ad tres manualis baliſtæ iactus, Ceratino in ſinu Vrbem oppugnabat. tanti vndiq; clamores editi, tanto crepitu, adeòq; horribili machinarum, & tormentorum molares lapides ad auras ſupernè iactantium, fragore cuncta reſonabant, vt cęlo mare, cę-

lum

lum mari miſceri videretur. mare etenim, quod ipſo Ceratino in ſinu tranquillitatem, alioquin leniter profluentis Boſphori, introrſum oſtendit, fluctuoſius concitatum, Peræ litoribus feruenti ſpuma iactabatur; quum cęlum, ſuperfuſa tot excitatis fragoribus atra caligine, pugnantium oculis penè eſſet ereptum. quę res nautas eo incommodo territos, aliquantum conturbauit, atq; vt iam Biremes ad terram appellere dubitarent, effecit. hic liquidò cognoſci potuit, quantum ſit momenti in Imperatoris virtute, & ſapientia poſitum. Dandulus, quanquam ſenex, & cæcus, attamen ingenio ferox, præter ſenum naturam, quibus omnia alia magis, quàm bellum placet, ſic animo militari capiundæ Vrbi excubabat, vt nihil ei inopinatum accideret: nullam quoq; rei benè gerendæ occaſionem prætermitteret. proponit præmia ſingulis, qui ſpectatæ virtutis facinus ediderint: atq; omnes ad præſtandam gnauiter operam hortatur. ſed, vt ſuos paulum reſpectare, atq; hęſitare animaduertit, neq; in terram appellere; indignans, & ſtomachans, quòd Venetæ gloriæ multum ſplendoris, ea turpi cunctatione detraheretur, in puppim Prætorię (vt erat) fulgentibus protectus armis, conſcendit; & ad accendendos animos, ante ſe alati Leonis vexillum præferri iubens (is Leo Diuum Marcum, Venetorum numen tutelare exprimit) quam clariſsima poſſet, voce exclamans, remiges, & propugnatores nominatim appellat, terræ quamprimum exponerent. qui non obtemperaret, ei capitale fore. Ita, Principis grauitate, ſapientia, authoritate, dignitate, voce; nautæ, gubernatoreſq; commoti, Ducem, & ſeniorem, & cæcum geſtantes, ante Vrbem in terra ſtatuunt, ſimulq; Diui Marci Vexillum præferunt. Tantus primùm pudor, deinde ex conſcientia ardor animi, ad Duci ſatisfaciendum, claſsicos milites, reliquoſq; Trierarchos inceſsit, quòd Prætoria nauis prima ad terram appulſa ſit, vt omnes ſuo ſanguine erratum protinus luendum ducerent. omnium namq; oculos in ſe conuerterat, cum aperta galea viuidus ſenex, ac ferox adhortaretur ſuos, voce terribili, & ſeuero vultu intuens, minus fortiter pugnantes increparet. Itaq; Veneti ſpecimen virtutis, aliud ex alio Principi ſuo, conſcenſis ſcalis per nauium rudentes, & in altum eductis, vt longè ſupra męnia eminerent, certatim edere non deſtiterunt. Villharduinus Mareſchallus, Imperatori Dandulo, Claſsiq; Venetæ, Diui Marci Vexilli in turri Conſtantinopolis ante omnium oculos propoſiti, in ſuis Commentarijs Gallico ſermone conſcriptis, teſtimonium dicit. Idq; ſe de XL. Viris didiciſſe, qui ſuis oculis idem vidiſſe

confirmarent, ſed à quo potiſsimum Claſsiariorum Venetorum duce, in turrim primum illatum fuiſſet, neſcire. Certè quidem vulgò Græcorum in conſtanti fama erat, cuſtodes territos de ſtatione fugiſſe, ſimul ac Venetorum Vexillum à Venetis ad ſe formidandis copijs inferri proſpexerunt. tantum porrò cuiuſq; Veneti, & Remigis, & Claſsiarij, vel Trierarchi ſtudium erat, gratiæ à Dandulo Duce ineundæ, vt non dubio periculo turribus propinquarent, murumq; ſubeuntes demolirentur: quo armatorum acies, patente aditu in Vrbem irrumperent. omnibus in mentem veniebat, Diuum Marcum Orienti infenſum facilè Venetias euocatum (nam eius Diui corpus, Iuſtiniani Participatij Principatu, Alexandria in Vrbem aduectum) vt Venetos omnibus dubijs temporibus, certo tutelari numine conſeruaſſet, ſic eoſdem præſenti fauore tueri, vt Iuniore Alexio in Imperium cum Patre reſtituto, inſignis Veneto nomini ex eo bello, apud omnes gentes gloria pararetur. Ita, ad Petrium (Vicus Vrbis eſt Ceratino ſinui proximus) viginti quinque turres Veneti XVI. Kalend. Auguſti capiunt, & præſidio firmant. Dandulus victoriæ nuncium ad Barones ſcapha ſtatim miſit, ſe viginti quinq; turribus potitum: quas ſine alterius adminiculis facilè tueri poſſet. Ea re, Barones gaudere, ſimul & mirari. nec ita ſolutè nuncio credere, niſi cum ab eodem Dandulo, equos, phaleras, ac multiplicem opimam prædam, nauibus ad ſe importatam cernunt. tot tantarumq; Vrbis turrium occupatio, & in Vrbem irruptio, Alexium Tyrannum virium ſuarum conſcium, perplexum angebat, & ad fugæ conſilium incitabat; eò tamen magnas repentè ſuorum copias immittit, quæ Venetum diſijcerent, aut illi viam in interiorem Vrbem intercluderent. noſtri, cum ſe tantæ multitudini impares viderent, tantum incendiorum inter ſe, & Græcos intermiſcent, vt ſui conſpectu illis adempto, incolumes ſe in turres antecaptas facilè reciperent. Inde, ad Gręcos, ignis continenti vento, quum fortè magno noſtrorum adiumento flaret, tantus ferebatur, vt eorum oculos, Venetorum & Francorum in turres receptus, planè falleret. ferunt eius ſæculi ſcriptores, nullum vnquam, vel obſeſſæ, vel bellica clade afflictæ vrbi, vno illo acerbius, ac luctuoſius ſpectaculum extitiſſe. exurebatur enim continenti incendio, quicquid à colle Blachernio, vſq; ad Euergetæ monaſterium pertinet; quod trium milliarium ſpacium complectebatur; flamma vltra Deuterum elata: miſerias ſuas Gręco populo, tota Vrbe magnis eiulatibus deplorante. Interim Tyrannus Aurea, Selymbriana, & ſeptem turrium terreſtribus portis, omnes

nes copias paſſuum duorum millium interuallo, ab his quas noſtri obſidebant, Duce Theodoro Laſcare genero Vrbe educit, quo inopinantibus pauorem inijceret. Eius Exercitum innumerabilem fuiſſe credibile eſt, qui omnium fama, & Græcorum ſermone mundus ipſe vocitabatur. Itaq; patentibus latè campis inſtructam aciem, expanſo, & circundato equitatu, in Francos ingredi iubet. Ipſe Imperator, vt ſuorum voluntatem promereri videretur, ſublimis in equo fulgentibus armis protectus, quem ab Imperatorio pileo, & purpureo villoſo ſerico, ad acutæ pyramidis inſtar turbinato, omnes vel procul noſcebant, medijs legionibus longè conſpicuus, huc illuc celeriter aduolans, diſtricto gladio ſuos cohortans, & phalanges permouens, ea die omnia, ſolertiſsimi Imperatoris, & militis munia implere conabatur. Franci, vt primum ad ſe veniri conſpexerunt, extemplò omnibus partibus, ad arma conuolant; ita quiſq; arma confeſtim expedire, tela tentare, & ſpem victoriæ aliquanto maiorem capere, nempè ſpectaturi quos ſæpenumerò vicerant. Quamobrem è veſtigio in ordines ſuos quæq; manus reſtituunt. Eo die, Henricus frater Comitis Flandriæ cuſtodias agebat, vnà ex Namurcis Matthæus Valencurius, Balduinus Bellouiſius Hannonius, cum ſuis quiſq; equitibus, ac manipularibus, qui in ſecunda acie conſtiterant. In hos, Alexius Tyrannus omnibus ſuis copijs, tribus Vrbis portis, vno tempore egreſſus, rectà pergit. ſimul caſtra oppugnari iubet. Contra Franci in valli morem firmiſsimo munimento caſtris hærentes, ſatis habere hoſtem exitu prohibere. Sex igitur Francorum turmæ, neceſſariò, vt in tanta paucitate eductæ, in acie, pro caſtris ſtare, ne hoſtium multitudine circumuenirentur. Sic aciem Villharduinus ſuis Commentarijs fuiſſe refert. In fronte ſagittarij, & baliſtarij locantur; ſed ita, vt magis alæ, quam frontis ſpeciem pręberent. nam frontem propemodum equites oſtentant, qui more Francico, aciei omnis caput, & pedes habentur. Pone equorum tergis, ſcutati, vel clypeati: poſt hos armigeri adhærent, pedibus pugnaturi, deinde Centuriones. His, valida & pugnæ parata manus adiungitur, quæ ex equitibus, ad ducentos conſcripta, pedeſtri tantum prælio deſtinatur. qui contra Alexianorum Equitum, peditumq; nimbum Conſtantinopolitanis campis effuſum, varia armatura effulgentem videbant, manus in cęlum tollentes, noſtrorum miſereſcere, eoq; Deum palmam noſtro paucorum Exercitui, vt Tyranno ſceleribus tantis feroci, & præclaro, iuſtas pęnas, & debitas precari. Ita conſiſtunt pro caſtris, idq; ſapienter: ne, ſi ſe campo effudiſ-

ſent tam pauci, hoſtium innumeris copijs, vno omnium cruentiſsimo prælio, circumuenirentur. apparebant campi, hoſtium copijs tecti, & gradu militari, in noſtros vadebant. Francorum in acie ſex tantum phalanges, Græcorum verò numero ad ſexaginta, & ſingulę ſingulis noſtrorum numero pares. ſed noſtri ita pro tempore inſtructi conſtiterant, vt nullicundè, niſi à fronte inuadi poſſent. Iam intra teli iactum vtraq; acies conſtiterat, & miſsilibus rem gerebant, cum Dandulus ad declarandum ſuum in Gallos ſtudium, turres deſerit, ſuoſq; ad vnum omnes ſub Diui Marci Vexillum laborantibus ſuppetias laturus, cogit. demonſtrat duo imprimis homini benè à natura informato ſemper declinanda eſſe, temeritatem, atq; dedecus; quod qui his maculis vel tinctus ſit, is Dijs hominibuſq; inuiſus habeatur. hęc eo die fugere, an ſequi velint, in ipſorum manibus eſſe. quibus, quò minus parcerent, eò tutius eas peſtes à ſuo capite amolirentur. animaduertant, Gallos ſibi coniunctiſsimos in acie collatis caſtris cum ſummo periculo ſtare, & quidem in Tyranni conſpectu, omnium hominum, quos terra ſuſtinet maximè impij: Græcis pariter, ac Ciuium omnium multitudine armata Vrbe effuſis. Se cum Gallis, vt ſcirent, belli ſocietatem iuraſſe, quos ſine impietatis ſcelere, deſerere non poſſent. increpans eos qui ad naues reſpicerent, quod ſaluti Dijs hominibuſq; infenſi conſulant. Ad extremum orat, ne committant, vt Galli gloriosè mortuorum nomen, Veneti turpè fugientium, & infidelium obtineant. Ita, ſplendidum thoracem quem induerat, palma crebrò pulſans, ſibi vti pio certè, & impigro Venetæ Reipub. Principi, & Imperatori conſtare, cum Deuotis, aut gloriosè vincere, aut victo honeſtiſsimè emori. Imperat, vt ſeſe in terram Claſsiarij Deo auſpice tranſmittant, quo votis vocato, nullam vnquam ignominiam admiſerint. Igitur non procul à Blachernis, cum auxiliaribus Venetorum copijs, in terram deſcendens, ad Exercitum contendit. Græci, vt modò poſui, innumerabiles, cum ferè toto die oculis noſtros comederent, & ſuo more non manu, ſed procacitate linguæ noſtros ad pugnam euocarent, cum noſtri pro caſtris conſiſterent, & ſapienter quidem, ne quid enim à tergo noceretur, caſtra occurrebant, & loco tamen æquo, prælij poteſtas fieret, ducenteni tamen cum ſingulis prælium committere, atq; in ampliſsima planitie in fronte pugnare refugiunt. Ad extremum Imperator ſiue ſuis diffidens, ſiue conſcientia Deum præſentem hoc prælio, ſceleris vindicem veritus, vrgente fatali neceſsitate, Theodoro Laſcari genero, ferocis ingenij iuueni, committendi cum noſtris prælij

maxi-

Digitized by Google

maximè auido poteſtate ſublata, pedetentim regredi cœpit, ſuoſq; omnes incolumes cum aduesperaſceret in Vrbem reduxit. Noſtri equites, pugnæ ardore, Græcos caſtrenſi gradu inſecuti ſunt, ſed quòd nuſquam illi reſiſterent, & eruptione improſperè tentata, conuerſo itinere ad Palatium, quod Caſtelli inſtar cum viridarijs perpetuo muro præcinctis, Philopacium exterius appellatur, ſe reciperent, in caſtra redeunt. Omnes credere, Deum Gallis, & Venetis victoriam eo die ex animi ſententia conficere: aut, eos diuina mente homines eſſe, qui ſine ſudore, & ſanguine, innumerabiles Græcorum myriadas cum ſuo Imperatore fugarent, ita ne poſthac rebellarent; idq; meritò gaudere. Imperator Alexius deſperatis rebus, in Vrbem reuerſus eſt. noſtri, defatigati in caſtra redierunt, exuendis armis, curandiſq; corporibus prima veſpera operam daturi: ſed id cura militari parcius, quòd inopia commeatus laborarent. primis tenebris Alexius cum ſe in Palatium recepiſſet, per ſe pauidus, & ex merito inſidias vndiq; timens, deſtitutuſq; à Ciuibus ad fugam ſe parat, quaſi de induſtria Vrbis afflictæ, & perditæ ſe abſente exitium acceleratum vellet. Itaq; compilatam omnem Imperatoriam Gazam, ſecum aſportans, fugæ conſilium cum paucis mulierculis, & cognatis turpiter communicat: omnes amicitiæ ſpecie hortari, & monere, vt fortunæ cederet, extemploq; profugeret. Ergo Irene filia, & decem auri centenarijs, cum alio ornatu Imperatorio, & pretioſarum gemmarum, atq; vnionum loculis in nauem impoſitis, ne his demum hoſtis potiretur, Euphroſina Imperatrice familiaribuſq; in Palatio relictis, quum in mora (quod dicitur) periculum videret, ſub primam noctis vigiliam, ſummo ſilentio, Debeltum, Euxini Vrbem contendit, deductiſq; omnibus qui voluntarij fugæ comites eſſe voluerunt, aduerſo Boſphoro nauigans, clam Vrbe fugit, cui octo annos, menſes tres, dies octo amplius imperauerat. neq; enim diuturna ſunt Imperia ſcelere quæſita. Hoc incontinenti rumore diſsipato, Ciues, qui ſatis improſperè virium ſuarum periculum fecerant, partim obſtupeſcere: qui, nullius culpæ ſibi conſcij videbantur, Euphroſina Imperatrice cum cognatis in carcerem coniecta, ad Iſaacium Imperatorem, effracto carcere ſalutatum protinus aduolare, fauſtiſq; pariter acclamationibus (vt in tali re adſolet) exceptum, rectè ſublimem ſuis manibus, vt in Blacherniam aulam geſtarent, contendere, dominumq; Imperialem trabeam induere, eumq; gemmata thœbena capiti impoſita, in ſolio Auguſtali conſtituere. eo repentè populariter ex tota Vrbe ad rem, tam nouam vndiq;

Digitized by Google

diq; accenſis facibus, vel intempeſta nocte concurritur. nemo tam vecors, atq; adeò ferox, quin hoc vno facto Deum Imperia, & Regna omnia largiri, & regere cenſeret. Iſaacius Comnenus commutata fortuna, modò inops, cæcus & catenatus, hilaris nunc, eorum aduentu quos conſpicere non poſſet, terrarum orbis Principum ampliſſimus, vniuerſum populum hoſtem & amicum, eadem horula expertus eſt. Ita, cuius cauſam, homines neq; conſilio, neq; vi dijudicare potuerunt, Dei nutu, & quidem ſine puluere, & ſudore, quòd præſtantius eſt, finem habuit. Extemplò familiares ſuos ad Exercitum mittit, qui Alexium filium, Barones, & Dandulum Venetiarum Principem, de Tyranni fuga certiorem facerent: ſimul ſe in priſtinam fortunam reſtitutum. Accepto patris nuncio adoleſcens excitatus, ſtatim Marchionem Monferratenſem ad ſe vocat: Marchio, eodem ad Alexij tabernaculum, accenſis funalibus, Barones vndiq; accerſit. eos rem omnem voluntate pueri edocet. ita, quæ de Deo non ſperare, ſed ne optare quidem auderent, libentioribus animis accipiunt. eoq; Deo ipſi Opt. Max. cæteriſq; Diuis publicè congratulatum, atq; ſupplicatum eſt; quòd ſine ſanguine, ac tantæ Vrbis direptione victoria pararetur. Quod juuenem è miſerrimo, repentè fortunatiſsimum, ac florentiſsimum effeciſſent: vt iam veritate verius, illud prouerbium habeatur, cui Deus adſit, ei neminem hominem obeſſe poſſe. Ita, noctem inſomnem, nuncij vltroq; aduolante lætitia penè incredibili, omnes cumulauit. Iam cęlum inalbeſcebat, cum frequentes Græci, gens prona in adulationem, cognita Tyranni fuga, in caſtra ad Francos magnas inuſitatæ lętitiæ ſignificationes, manuum plauſu, & crebra geſticulatione corporum, ſecundiſq; acclamationibus edere, & Iuniorem Alexium dominum ſuum ſalutare. vt diluxit, Exercitus more in armis ſtetit, nec ſe Gręcis hominibus libenter credulum præbebat: ſed in horas tàm certi, & locupletes authores certatim aduolabant, vt Barones cum Duce Veneto, quomodo victoria vterentur, in medium conſultare non dubitarent. Decernuntur è veſtigio, graui ſuſcepto conſilio, quatuor Oratores, Matthæus Monmorentiacus, Gotthofredus Villharduinus, Franci, cum duobus Venetis Patricijs Danduli Ducis nomine, qui ſi de re compertum haberent, continuò cum Iſaacio de conditionibus, & pactis explendis, agerent, quas Alexius filius, authore Philippo Sueuo Theutorum Rege genero, Baronibus, Duciq; Veneto iureiuraſſet, vt eaſdem ratas haberet, coram pertractarent, aliàs Barones, ſe filij poteſtatem ipſi non facturos. Legati, aditu ad Imperatorem,

per

per præconem petito, inter Macherophoros, quod ſatellitium, Griffonum vulgo Græcis nominatum, ex Anglis, & Danis, antiquo Græcorum Cęſarum more conſcriptum, in ſtationibus erat, ab Vrbis porta, pedibus ad vicinum Blachernium Palatium deducuntur. Ibi Iſaacium carcere eductum Auguſtali ornatu, & calyptra inſignem, vnà Vxorem Margaretam Auguſtam, Alexij nouercam in primis venuſtam, Hungarię Regis ſororem, ſalutant. Aula omnis gentilium & propinquorum Iſaacij, proborum Ciuium, & principum Virorum, Seuaſtocratorum, Protoſeuaſtorum, Contoſtephanorum, Chartulariorum, purpuratorum gratulantium, & illuſtrium Feminarum pleniſsima: quæ auro textile, & ſerico verſicolore, pictas ſtolas indutæ, multoq; auro, margaritis, gemmiſq; lucentibus exornatæ, ſpectantium oculos perſtringebant. Qui modò Dominum armis inſequebantur, eos ipſi momento temporis omnia obſequentes vidiſſes. multiq; ex ijs qui Imperatoris Alexij partes prius ſequebantur, aſtuta diſsimulatione accurrentium turbę admiſcentur: tanto concurſu, vt ea Ciuitatis in Auguſteonum Palatium frequentiæ pompa, intermixto lachrymis gaudio, magni triumphi ſpeciem adæquaret. Legati, ſe ab Alexio Filio, Dandulo Principe, & à Baronibus miſſos dicere, & arcanò cum paucis colloqui velle. In conclaue introducuntur: quo Imperator cum Margareta Auguſta, & epiſtolarum ſcrinijq; Auguſtalis Magiſtro, quem Cancellarium dicunt, & quodam internuncio (Dragomanum Græci vocant) conceſſerunt. Itaq; Villharduinus cum Collegis ante illos ſtans, pauca in hunc fermè modum locutus eſt. Quantum Alexio Filio tuo, Imperator Auguſte, tibiq; adeò Venetus Princeps, ac Franci Barones opitulati ſint, nobis tacentibus, ſatis res ipſa loquitur. vt iam nemini dubium ſit, quin fidem datam, dictis factiſq; abundè liberarint. reſtat, vt is pactis maneat, tuq; præſertim qui belli confecti commoda prior ſenſiſti, optima fide, & iureiurando nobis ea confirmes. Idq; Filium de te noſtra voce flagitare, Deos, homineſq; teſtamur. Duci Veneto, Baronibuſq; omnino deliberatum eſt, Alexium non ante huc dimittere, quàm initæ ad Iaderam pactionis, ritè confectis tabulis conceptas conditiones, te integra fide prętiturum, iuraueris. Quas (inquit Imperator) conditiones? proloquar verò, inquit Villharduinus. Eccleſiam Græcam Romano Pontifici Maximo, atq; Eccleſiæ Latinæ obedientem fore, cuius de manu, & iure, iampridem ſeſe, per iniuriam, an indignationem dicam, an potius vtrunq;, ſubduxit. Alexium Filium, teq; adeò, Romanos Pontifices, vti veros CHRISTI

Vica-

Vicarios, & ſacrorum Principes, veneraturum. Secundo loco argenti pondo ducentena millia, rei nummariæ inopia preſsis Baronibus Alexium ſoluturum, vt tantorum ſumptuum incommoda compenſemus, & militibus ſtipendia ſeditioſè flagitantibus præſenti pecunia perſoluamus. Deinde aduectitium commeatum in annum continuum omnibus Crucigeris, vel infima fortuna hominibus, cuiuſcunq; modi ſuppeditaturum: peditumq; decem millia, ad augendas Baronum copias, ſuis nauibus Memphim aduerſus Ægyptium Sulthanum, nobis auxilio ſubmiſſurum; qui annum continuum, imperante Monferratenſe Marchione mereant. Ne verò aliquam Chriſtiani milites ex quotidianis ferè Sarracenorum incurſionibus calamitatem accipiant, Alexium quingentos equites ſub ſignis in Iudęa, Syriaq; ad Hieroſolymitani Regni præſidium, tota vita habiturum, eiſq; ſtipendium numeraturum. Habes Imperator conditiones, de quibus Alexius Filius, Philippuſq; Sueuus, Theutonum Rex, tuus gener, ac idem ſponſor, iuſiurandum iampridem dedit, eáſq; publico diplomate, & quidem ſigno ſuo pendente, idem Alexius teſtatus eſt. in hæc eadem vt conſentias, tabuliſq; conſignes, Dandulus & Barones flagitant. Rem ſanè perdifficilem (ait Imperator Iſaacius) Oratores poſtulatis, cui, diuturnis bellis ærario maximoperè exhauſto, recens Imperio potiti, ſoluendo non ſumus. quanquam ſi triplex Imperium quale hoc Conſtantinopolitanum, Filius vobis donaret, plura tamen vos promeritos liquidò iudicaremus. Itaq; quod immortalis collati beneficij magnitudo ſuadet, vt gratiſsima voluntate agamus, quæ Alexius Filius promiſit, ea omnia rata habemus, tenemus, & ex formula ęquiſsimi iuris comprobamus: Eademq; cum ingrati nomen abominemur, & exhorreamus, dare, facere, bona fide iuramus. Cæterum de meo in Barones, & Dandulum Ducem animo, ita illos exiſtimare velim; amorem meum, qui quidem erga illos eximius antea ſemper fuit, hac in me, filioq; meo in Imperium reſtituendo, & ornando mirifica voluntate, ita auctum, multiplicatumq; eſſe, vt Baronibus, Venetoq; Duci, nemo mihi Imperioq; Orientis, aut coniunctior futurus ſit, aut certè carior. Quarum rerum diplomate conſcripto, aureo quidem ſigno de veterum Gręcorum Imperatorum more pendente ablato, Legati in caſtra reuertuntur. Igitur in Vrbe, Deo, omnibus templis apertis, protinus congratulatum, qui Gallo & Veneto, victoriæ quidem inſignia, ſed Iſaacio Patri, Filioq; præſertim victoriam tribuiſſet. Barones, Iſaacij Auguſti reſponſo mirum in modum gaudere, Alexiumq; Filium, ad ipſum

Digitized by Google

in equis, ſolenni pompa è caſtris cum ornatiſsimo Trierarchorum Venetorum, Gallorumq; Præfectorum, & Centurionum, equeſtri comitatu, vt quibus viribus pollerent, Græcis oſtenderent, in Vrbem deducere: à quo omnino regiè excepti ſunt. Bonifacius Monferratenſis Marchio, affinitatis memoria, & honoris cauſa, cum Equitibus Tranſpadanis pompam anteibat. Adoleſcens pernobili incedens equo, inter Venetorum Primores, & Gallorum Equites, qui ornatui maximoperè ſtudentes, fulgentibus armis conſpicui, vetera victoriarum ſuarum inſignia, galeati aureosq́ torques, atq; prægrandes criſtas deſumpſerunt, medius incedebat. Ita Vrbem Adoleſcens Auguſtus, triumphanti ſimilis inuectus, magna frequentia, gratulationeq; populi ſuſceptus eſt, cum tota Vrbs portis repentè egreſſa, intranti obuiam occurriſſet. Sed cum Pater, & Filius ſeſe mutuo complexu tenuerunt, penè alienata præ gaudio mente, lachrymas fundere, ac tenere ſe dubitare, quòd inter ſe tanto interuallo non vidiſſent, & è ſumma calamitate nunc feliciſsimi conſpicerentur. Verùm Alexius Adoleſcens inprimis omnium oculos in ſe conuertit, quem decoræ frontis, & iuuentæ honore conſpicuum, è miſerrimo beatiſsimum repentè factum lætarentur: contraq; Tyranni fratricidæ, patrui ſpoliatam ſortem, cum florenti Patris & Filij Fortuna conferebant. Luculenta nimirum, magni numinis Dei in vtramq; partem exempla. homines in puncto temporis, vel ad gloriam euehentis, vel deprimentis, atq; conculcantis. In Caſtris, Epiſcopi, minores Præſules, Cœnobiarchæ, & reliqui Sacerdotes, hymnos præcinere, victoriamq; vni Deo acceptam referre, quæ humana ope pari non potuiſſet. ab eodem, parem in Palæſtina, & Syria Fortunam ſacro bello deuotis militibus petere. Poſtridie Imperator Iſaacius cum Filio, Comites, & Barones rogat, vltra ſinum Peræa in vrbe, ſibi tabernacula locari velint: quòd periculum videretur, ne ſi in vrbe hoſpitentur, inter ipſos, & Græcos tumultuaretur: propterea à Græcis ſeorſum ſtationes haberent, ne ex promiſcuo congreſſu, conciones & rixæ ſubinde orirentur; quæ res Vrbem, aut funditus euerteret, aut labefactaret. Illi, ſe Imperatori ita addictos eſſe reſpondent, vt omnino parere ſemel ipſis imperatum ſit. Dimenſo apud Galatas loco, tendunt: omni commeatu, diligentia Auguſtorum, abundè prouiſo; quinimò cæteris omnibus rebus, quæ ad ornatum, luxumq; ſatis eſſent, noſtri à Græcis decenter excepti. Equites, peditesq; Vrbis inſpiciendæ, ampliſsimorum Circuum, Hippodromorum, Regiarum domorum, Templorum

M pul-

Digitized by Google

pulchritudine, præter cæteras nobilitatę deſiderium cępit. quibus in templis, Reliquiæ Diuorum aſſeruabantur, vndiq; à Græcis Imperatoribus, eò ad honorem comportatæ, quantę nuſquam Vrbium Græciæ ornamento eſſet. Iam nihil Græci, Franciq; & Veneti diſſidere, ſed omnia communibus auſpicijs in medium deliberare. Hoc interim ſpatio, communiter decernitur, vt Alexius Adoleſcens, die quo Diuo Petro ex vinculis in libertatem reſtituto, Chriſtianis mos eſt Kalen. Auguſti, ferias agere, reſignante Iſaacio Patre, inauguretur, quæ cęremonia noſtris eò maiorem lætitiam attulit, quò ipſis Auguſti Kalen. incidiſſet, quò felici die, vt Auguſtus Cęſar, olim nutantis Romani Imperij nomen, Actiaca victoria confirmaſſet; ita Diuus Petrus Chriſtianis vinculorum ſolutione pluſquam diuina, feſtum diem dedit. In cuius victoriæ memoriam gnara poſteritas, continuato more eum diem deinceps poculis, ad menſam genialiter confidens, celebrare conſueſſet. Sed quoniam ad hunc locum eſt deuentum, operæpretium erit, quod ad rem pertinet, in hiſtoriæ ſtudioſorum gratiam, paucis enarrare ritum, quo olim Orientis Imperatores Conſtantinopoli in Diuæ Sophiæ ſolennibus cęremonijs inaugurandi, gemmatam coronam induerent. Fanum eſt in Vrbe Diuinæ ſapientiæ verbo, Diuæ Sophiæ appellant, omnium, quæ Conſtantinopoli ſunt, vt auguſtiſsimum, ita & religione ſanctiſsimum, ab Imperatore Conſtantino, magni Conſtantini filio, ligneo primùm opere concamerato ædificatum: mox à Theodoſio magno, cum ob Arrianorum ſeditionem conflagraſſet, cameris cylindricis textum: nouiſsimè demum in eam, quam hodie, videmus formam, à Iuſtiniano Imperatore pari religione, ſed magnificentia longè maiori, vtpotè lateritio concamerato opere luculentius reſtitutum. Templi vaſtitas, & magnitudo ea eſt, cum in longitudinem ducentorum quadraginta pedum, latitudinem ducentorum, & tredecim, à ſuprema verò teſtudinum conuexura ad imum ſolum, centum quadraginta duorum pedum latitudinem protendatur, vt ampliſsimarum teſtudinum faſtigia, crebraq; pinnacula, ad octingenta, & amplius ſtadia, per Propontidem Byzantium nauigantibus, inter eminentiſsima Vrbis ædificia occurrant. Vniuerſa moles coctis lateribus conſtat, nulla lignea materia interpoſita, ne in poſterum incendijs pateret. Parietes ab imo ad ſummum marmoreis cruſtis conteguntur. pauimentum teſſellato diſtinctum opere, tabuliſq; marmoreis non parui pretij pulcherrimè ſubſtratum. Columnarum verò quæ multiplici ſerie non veſtibulum modò, ſed & à fronte & à

lateri-

lateribus omnia conuallant. Porphyritici lapidis, Thapſici, Parij, Spartani, tantus eſt numerus, vt in reliquo terrarum orbe vix parem reperias. Ædis ſuperior pars introrſus, ipſaq; teſtudinum conuexura, puriſsimo fulget auro, teſſellis vitreis aureis, non moſeaci operis ratione hodie peruulgata, ſed antiqua illa recondita amuſsi, dimenſis egregiè, vndiq; intexta. Eo in templo, recens Imperio potitos inaugurare conſueuerunt: more per octingentos amplius annos iampridem à priſcis Imperatoribus ducto. Sed, vt apud Latinos nihil eſt Sacroſanctum, nihil Auguſtum, niſi quod Pontifex Max. ſanxit, quod in Romanis Cęſaribus euenire hodie perſpicimus; eos quamuis ſententia Senatus, aut ſuffragijs electorum Auguſtorum acclamatos, & deſignatos, non tamen prius Auguſti, aut Imperatoris titulum ſumere, quam ritè à Romano Pont. Max. coronatos: tum enim primùm reiectis Cęſaris deſignati titulis, appellationibus Auguſti, & Imperatoris vtuntur, cum more per quos oportet, vbi, ac quando oportet, Romani Imperij corona ipſorum capiti impoſita eſt. ſic, in Vrbe Conſtantinopoli Patriarchę ſoli jus erat, diem diademati imponendo deligere, diademaq; nouo Imperatori ponere, niſi pater vetus Imperator præſens adeſſet, qui vnà cum Patriarcha coronam Imperatoriam (calyptram Græci vocant) filio imponeret. De ſanciendo igitur ſolemni ex Græcorum monumentis, quorum proximis annis mihi copiam fecit Aloyſius Barbarus, Petri filius Venetus patritius, græcè & latinè doctiſsimus, pauca, ſed ea digna memoratu exſcribam, quo Latini homines ritus, moriſq; Græcorum rudes, Imperialis inaugurationis notitiam aliquam habeant. Pridie igitur eius diei, qui capiendo diademati præſtitutus eſt, futurus Imperator Auguſtus in magnum Palatium, Conſtantinopoli Auguſteonem nominant, celebritate Senatorum, & nobilium Aulicorum, domeſticorumq; quanta maxima poteſt, deducitur. Inde ſequenti dilucuculo, hora diei ſecunda, in Sophiæ Templum, initijs Imperialibus conſecratum, gemmata veſte deſignatus Imperator deſcendit. Gręci Proceres auratis trabeis, vel purpura, vel lato clauo, incedentis latus ſtipant. Ibi, quam de rebus diuinis habet perſuaſionem, apud Patriarcham Conſtantinopolitanum, hoc ritu, ſolenni ſacramento profitetur. ſi literarum peritus eſt, ſumpto calamo idipſum manu ſua in tabulas refert, præfatus ſe in CHRISTO Deo fidelem Imperatorem, & Auguſtum Romanorum eſſe. ſin verò Cæſari adhuc Cæſar pater ſuperſit, (vt erat Alexio Iſaacius) patris nomine præpoſito, ſacramentum filius exorditur. Auſpicatur autem Imperator

Digitized by Google

ab Symboli Apoſtolici recitatione, quod ad calcem accuratè deſcribit. Imperito autem literarum, Patriarcha voce præit, quod ſequatur. Apoſtolicas etiam & diuinas omnes traditiones ſancit: nominatim verò ſeptem Conciliorum Oecumenicorum, & Prouincialium decreta: itemq; priuilegia, ideſt iura ſingularia, & morem ſanctiſsimæ Dei magnæ Eccleſiæ, necnon quæ Sancti Patres rectè, & ordine ſuæ quiſq; Diœceſi præſcripſerunt. Præterea, omni tempore, vt Chriſtiani Imperij propugnatorem Auguſtum decet, Eccleſiæ conſtantiam, fidem, pietatemq; præſtiturum: pro cuius authoritate, maieſtateq; defendenda, ipſum quaſcunq;, licet grauiſsimas, contentiones ſubire, & ſuſcipere paratum, curaturumq; (vt filios amanter decet) quæ ad Eccleſiæ amplitudinem pertineant, vt Chriſtiana Religio ad firmiorem dignitatem inſtaurata, clariore nominis ſui authoritate potiatur. ea deniq; omnia cogitaturum, quæ ſuam veterem pietatem in Dei Eccleſiam, & Patriarchas Conſtantinopolitanos benignitate, atq; humanitate teſtentur. vt quantum in ſe ſit tanquam Pontificiæ dignitatis aſſertor, & vindex, non modò Chriſtianam Religionem defendiſſe, ſed etiam auxiſſe videatur. Adhæc operam daturum, vt vectigalia, reditus, incolumitas, & fortunę omnes Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ augeantur; nullumq; ipſo imperante detrimentum capiant: deniq; illud cogitaturum, & animo habiturum, vt Imperio adminiſtrando, à rectis iuſtitiæ, & veritatis finibus nunquam recedat: Poſtremò ſe, Patriarcham ipſum, atq; Eccleſiaſticas perſonas, & bona, qua filios in parentes eſſe pietate par eſt, ſua obſeruantia amantiſsimè complecti, omniaq; illis, quæ quidem ad Eccleſiaſticum honorem, dignitatemq; Conſtantinopolitanæ Sedis confirmandam pertinebunt, quoad ſuæ rationes patientur, libentiſsimè polliceri. In formula & illa verba ſunt, eaſdem ſibi omnino execrationes, & anathemata fore, quæ Sancti quondam Patres deuouerint, & ſacrarint. toto deniq; corde, atq; animo ipſi Symbolo ſe fidem habere iurato promittit, & pollicetur. Eius rei ergò, ſacroſanctam ſe Dei Eccleſiam Catholicam, atq; Apoſtolicam, Deumq; ipſum Opt. Max. peiurantium vindicem teſtari. mox die, menſe, indictione, anno, quo hæc agerentur conſcriptis, ſeipſum qui in CHRISTO Deo, fidelis eſt Imperator, & Romanorum Auguſtus, Patriarchæ, & diuino Patrum concilio penitus tradens, ſubſcribit. His peractis, ad Conclaue Thomaites appellatum, quod Auguſteonem Palatium ſpectat, reuertitur: vbi vniuerſus populus Exercituſq; adſtans, Imperatorem acclamare conſueuit. Hic ante-

quam

quam Imperator ab Exercitu perſpectus acclametur, miſsilia veteris congiarij loco (ea Græci nodos appellant) qui ſunt inuolucra, numiſmata tria aurea, argentea quoq́; totidem continentia, ad multarum myriadarum numerum, ex Cæſaris voluntate, de ſuperioris Augusteonis gradibus, in vulgus iactant. quibus rebus confectis, ſcuto aureo impoſitus nouus Auguſtus ſublimè attollitur: ibiq́; ſtans, Exercitui, & populo acclamantibus, exhibetur: & quidem ita, vt totus ab omnibus, de plano ſpectari poſsit. In fronte ſcutum, ſpecie ſuſtentatium, ſubeunt, vetus Imperator, noui pater, ſi ſupereſt, aut quiſquis reſignarit, & Patriarcha: aliàs ſcuti partes, aulicorum Magiſtratuum honoratiſsimi quiq́; ſuſtinent, Deſpotæ, Seuaſtocratores, Prothoſeuaſti; quorum penuria, primarij ciuitatis Senatores id munus obeunt: ſin huic neq́; Pater adeſt Imperij reſignator; qui dignitate Princeps eſt, Patriarchæ ſocius adiungitur. Poſtquam verò populus, vnà & Exercitus ſeſe eum pro Imperatore habere non ſemel lætis vocibus conclamarunt, è ſcuto humi ſtatuitur, atq́; hominum celebritate, quàm maxima poteſt, ex apparitoribus maximo clamore atq́; plauſu, in Diuæ Sophiæ templum deducitur, vbi mitratus Patriarcha, vnà & linteati ſacerdotes obuiam occurrunt, atq́; Imperatorem ad rem diuinam in tabernaculum, quod è ligno pro tempore excitatum eſt, aureoq́; panno atq́; holoſerico vndiq́; tectum, aſcendentem comitantur. Ibi amiculum Sacerdotes in formam propemodum ſacci inijciunt: deinde diadema, ab Epiſcopis dedicatum, eius capiti imponunt. quandoquidem eo loco nihil quod antea conſueuerat geſtare, ſed vel corolla, vel alijs rebus, vt libuerit, caput pro tempore velare, liceat. Abſoluta interim re diuina, & cęleſti pane ab Patriarcha communicato, ante ter ſanctiſsimum hymnum, Patriarcha ex adytis tabernaculum aſcendit, & cum eo, principum Eccleſiæ honeſtiſsimus quiſq́; in infulis & ſtolis. Silentio verò magno, per vocatores Patriarcha interim Auguſtum vocat. Vt ad pulpitum acceſsit, & conſcendit; Patriarcha ad Imperatorem capite aperto auſcultantem, aliàs clara voce, aliàs ſubmiſsius, ſolenne eius precationis carmen effatur, quo Deum propitium, Auguſtis inungendis inuocare ſolent. Imperator, velamento capiti detracto, quod paulò antè impoſitum fuiſſe diximus, reliqua multitudo, quæ circunſtat, nudatis capitibus ſtare. Exin Imperatoris in caput, in crucis modum, ſacrum vnguentum inſtillat, ter effando, quàm clariſsima voce, Sanctus. Chorus qui circumſtat Symphoniacus, ter acceptam vocem obloqui, ac reliqua templi multitudo idem reddere. Continuò Calyptra

rudi

rudi multorum ſæculorum vetuſtate venerabilis, quam magnum Conſtantinum quidam geſtaſſe ferunt, paucis gemmis, atq; vnionibus exornata, non de ſacra menſa, quod quidam putant, ſed de loco infra ſacrum tribunal excepta, à Sacerdotibus, ad pulpitum defertur, & noui Imperatoris capiti, per patrem Imperatorem, vnà & Patriarcham imponitur. Dum autem coronam imponunt, ter exclamat Patriarcha, dignus. qui proximè adſtant in pulpito Sacerdotes, & Chorus Symphoniacus obloqui, & acceptam vocem dignißimum geminare. Idem vniuerſus populus per ædem facere. deinceps Patriarcha iterum precationes recitat, & Auguſtum inunctum Deo, Cęlitibuſq; ſuppliciter commendat. quibus peractis, acclamante populo, Imperator alia quam aſcenderat, pulpitum deſcendit, dextra quidem Crucem, ſiniſtra verò oblongum Euangeliorum volumen, manu geſtans, & in pompæ morem, templo exit. Imperator Auguſtali trabea, margaritis atq; vnionibus longè conſpicuus præit, armatis legionibus hinc inde ſtipatus; diaconi verò, & ſacerdotes, aurea, atq; argentea ſacrorum vaſa deferentes, ſubſequuntur. templum de more circumeuntes; Solea porta ſuperata, Patriarcham in Sanctis foribus ſtantem reperiunt. capita autem ambo inclinantes, Patriarcha intus, Imperator autem extra, ſpecie gratulantium ſtantes, ſeq; inuicem ſalutantes, diuerſis diſcedunt. Patriarcha templum, Imperator verò maximo tubarum tympanorumq; concentu perſtrepente, Græcis proceribus, Seuaſtocratore, Prothoſeuaſto, Deſpota, cæteriſq; aulicis Magiſtratibus, totoq; Exercitu comitante, magnum Palatium aſcendit. & in eo conclaue ſiſtit, in quo recens Imperio petitos, & diademate redimitos, ab vniuerſo populo celebrari mos eſt. Ibi, Epulum coronationis ſupra luxum elegans, atq; opiparum, cunctis Magiſtratibus Imperialibus, & Senatoribus exhibetur: magno auri, atq; argenti pondere quamplurimis abacis expoſito, dum inſigni apparatu, & ſingulari comitate, qua tamen Regia Maieſtas nulla ex parte corrumpitur, Imperator publicè cum Proceribus epulatur: quando interim nihilo ſegnius domeſticis Imperatoris miniſtri, per reliqua Auguſteonis conclauia, inferioriſq; Palatij partes, & proximas plateas, Vniuerſum Exercitum, atq; vrbanam plebem collectam, cibariorum omni genere inſtructis menſis, inſano ſumptu lautè, & luculenter excipiant. Alexius Adoleſcens ita coronatus, pecuniam primis ſuſcepti Imperij diebus, per Quęſtorem Imperialium pecuniarum (cuſtodem Græci appellant) cępit dependere, quę ſingulis Comitibus, Baronibuſq; pro rata nauli Venetijs

Digitized by Google

netijs olim Dandulo Principi repræſentati ſolueretur. Idem nullum ferè diem inuiſendi Exercitus, Danduli Principis, Baronumq; ſalutandorum intermittere: ac præ ſe ferre, & prædicare, tàm diuina illorum erga ſe merita conſtare, vt cum omnia egerit, fecerit, quæ velit, tamen ne minimam quidem eorum partem aſſequi confidat. Quadam die, penè priuato habitu domum Balduini Comitis Flandriæ, & Hannoniæ, familiariter venit: eodem Dandulus, cæteriq; Barones amicè vocantur. apud quos Imperator placidè, & benignè, ſimul hæc ferè verba fecit. Se Dei numine, & Baronum, Duciſq; Veneti labore & vigilijs, legitimo Patri, & legitimo Imperio, reſtitutum: quo beneficio, nullum maius ante, cuiquam ope humana ab omni ſæculorum memoria partum fuiſſet. Verùm ſuborta inuidia creſcentis fortunæ ſemper comite, paucos Regno fideles eſſe. ei verò Regi omnes infideles, quem priſtina fortuna de gradu facilè deijci poſſe, docuit. Græcos præterea, tùm iniquo animo ferre, ſe Galli Venetiq; quos peſsimè oderant, beneficio Imperium habere, tùm illud omnium indignisſimè, Græcam Eccleſiam nouæ Romæ, à Veteri Roma iamdudum omni Imperij honore nudata, iura petere: Ea de cauſa, ſibi ad Clericorum populariumq; voluntatem Imperium, quoad eius vires conſtabilitæ ſint, moderandum eſſe. His, vt finem ſtatueret, & cum Latinis, rectè ſentientibus conueniret, Græcamq; Eccleſiam Latinæ dicto audientem, vt redderet, ſedulò operam dediſſe. Sed hæc, ab ſuo Conſtantinopolitano Patriarcha, Græciſq; Sacerdotibus, multa & maximè liberali indulgentia diſsimulationeq; earum rerum, quæ tot errorum cauſam reſpiceret, accuratè impetranda: multa deniq; lenitate alliciendos Græcos. Sic enim, ab tot, quibus impliciti eſſent erroribus, Græcos auerti poſſe: ſic, quòd maximè expeteret, diſſolui eorum peruerſam de rebus diuinis perſuaſionem. Sed hęc nimirum, abſq; aliquo temporis interuallo, à ſe fieri non poſſe dictitabat. proinde, ſi manerent, multa atq; ea ampliora, auguſtioraq;, quàm promiſiſſet, reſtitutæ libertatis, & Imperij munera, communis concordiæ cauſa conceſſurum. In his difficultatibus Regni, atq; aſperitatibus, ſi diſcederent, juuenem ſe relinqui & deſeri, ſimul ac portu ſoluerint. illos, ſolos eſſe qui tantis incommodis ſua præſentia medicinam facere poſsint. Se quoq; ſcire, iam diem appropinquare, quo tranſmittere in Syriam, & Palæſtinam inter ſe conſtituerint. Societatem belli, quæ cum Venetis ſit, die, quo Diuo Michaeli cęleſtes honores habemus, ex pacti ſcriptione, ad III. Kal. Octobris,

ſolutum

ſolutum iri. ſe, intra tàm breue tempus ſatisfacere non poſſe. Idcirco orare Barones, vt ad Kalen. vſq; Martias ſecum hyemare velint. Hanc gratiam de Venetis non deſperare, vt ſtipendio totius hyemis in claſſem numerato, eam in id tempus non prorogent, vt ex die Diuo Michaeli ſacro, in annum, Claſſem communibus auſpicijs regant. Gallis verò, ſe omnia in diem Paſchatis ad VII. Kalend. Maij, affatim ſuppeditaturum, iam tum mari ad nauigandum tempeſtiuo. quæ, niſi pro ipſorum humanitate exoret, à Græcis externorum odio flagrantibus, non ſolùm Imperio, ſed ſuo etiam capiti, non mediocre periculum imminere. Cæterum intra id temporis, ſe ipſorum ope Regnum communire poſſe ac ſtabilire. Proinde, fidem (quę ſibi omnibus rebus charior eſſet) ex ſingulis prouincijs vectigalibus exactis, facilè liberaturum. quis enim dubitet quin ciuitates, quæ à Græcis rebellibus occupantur, ſub Veneti Franciq; nominis vmbra, quieturæ ſint atq; imperata facturæ? adhæc, naues paraturum, in quibus ſecum in Syriam traijciat, aut ipſos milites auxiliares in Syriam remittat, vtendasvè Gallorum ductui permitteret, ſicuti ſua fides poſtulat. His, Barones pro tempore reſpondent, deliberandum eſſe, quòd ea res non ſui præiudicij eſſet, ſed Exercitus; quanquam acutiores præſentirent, Alexij preces, oſtentui eſſe. Inde ille in Vrbem reuertitur. Poſtridie Concilium aduocant. Refertur de Alexij poſtulatis. Barones, Comiteſq; ad vnum omnes, maior pars Equitum, Tribuni, Centuriones, Alexio præſertim æqua petenti, indulgendum cenſent. Sed factio quæ Exercitum ſub vexillis ſtare dolebat, & Corcyræ ingentes motus excitauerat, diſcordias etiamnum obſtinatius quærere: Iuſiurandum Corcyrenſe teſtari, naues publica fide promiſſas poſcere, ſibi deniq; nihil quicquam certius, quàm Syriam petere & Palæſtinam. quorundam ad militum pedes procumbentium, eiulatus, & voces audiebantur, ne per Deum ſæuiſsima hyeme in Syriam ſeſe importuoſis litoribus perditum irent; Franciæ luctum, Syriæ & Sarracenis gaudium allaturi. vt æſtiuos dies bello, omnium gentium more dari, ita hybernos quieti. quandoquidem vaſto, & ſæuo mari, nequaquam ante Calen. Aprilis, niſi inſano auſu, claſsis committi poſſe videretur. Præterea Venetos in animum induxiſſe, Alexium Cæſarem nulla in re, deſerere. Verùm ſi ad inſequentem Martium menſem morarentur, ipſos non modò Alexium ſuis rebus firmatis, in Imperio relicturos, ſed argentum ab eo commeatuſq; nauticos (quòd eſſet apprimè vtile) abundè ſecum ablaturos, & quòd commodum eſſet, Damiatam tùm demum

traie-

Digitized by Google

traiecturos, copijſq; in Sarracenos, & Memphitidis Sulthanum ductis, totaq; Ægypto, & Babylonis agro præda acta, dites futuros: ſiquidem votiui milites ab III. Kalend. Octobris, qui communis belli terminus eſt, ad Paſchales dies inſequentis anni, qui foret quartus ſupra ducenteſimum, atq; milleſimum, neceſſariò ſecum futuri eſſent, hyemis aſperitate retardati. hanc vnam eſſe Palæſtinæ acquirendæ viam, quam Exercitus concordia faceret. Ita diſcordia Diuina ope ſedata, in Alexij Cæſaris petitionem, qui multa donando, largiendoq; Baronum, ac militum animos propenſè redemerat, atq; deuinxerat, decretum fit. Ea de cauſa Dandulus Venetiarum Princeps vnà & Veneti, ſolennibus tabulis confectis, benè auſpicatò, commune bellum, ab III. Kalen. Octobris, qui dies Diuo Michaeli conſecratus eſt, in reliquum annum facere iuratò promittunt. Idem Barones Deuotorum Duces, interpoſito iuramento polliceri. Tam felicem partium conſenſum, Matthæus Monmorentiacus, vir fortis, atq; idem antiquiſsimæ ſtirpis nobilitate, ac animi magnitudine dux præclarus, illud modò Gallorum Equitum columen, morte ſua, debita lætitia priuauit. Luctus enim publicus, vnius hominis vita vniuerſam ſalutem contineri, fortaſſe ęquo ambitioſius indicabat. Ergo, funere quàm ampliſsimo, cuncta nobilitate exequias decorante, elatus, Conſtantinopoli in Hoſpitaliorum Equitum Diui Ioannis Hieroſolymarij, ſitus eſt. Nec ita multò poſt, Alexius Imperator, Græcorum, Baronumq; ſententia, cum parte copiarum Vrbe egreſſus, Imperij Ciuitates peragrat in fidem recepturus. ei ſe Comites præbent Bonifacius Monferratenſis, Hugo Comes Sancti Pauli, Henricus Balduini Flandriæ, & Hannoniæ Comitis frater, Iacobus Auennes, Guilielmus Chiamlites, Hugo Colonienſis; Barones deniq; complures honoris cauſa ſequuntur, quorum nomina, ideò Villharduinus non recenſet, quòd nihil ad hiſtoriæ cognitionem conferrent. Caſtrorum præſidio Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ Comes, Ludouicus Bleſenſis, magnuſq; Deuotorum numerus relinquitur. Imperatori quocunq; Thraciæ, Macedoniæ, Ponti, Bithyniæ deniq; adeunti, Ciuitates ſupplices obuiam procedere. Vnus Ioanniſſa Rex Myſorum (is inferiorem Myſiam tenebat, quæ Valachiæ, & Bulgariæ prouincias complectitur) ſuperbo contumaciq; ingenio, cuius opes, atq; audaciam finitimi magnoperè timebant, non deditionem, non officium vllum facere. Sed quoniam dehinc ſæpius de Valachis, & Bulgaris dicendum erit, qui Myſiæ inferioris populi ſunt, & funeſtas clades Francis intule-

N runt,

runt, prout ſuo loco dicetur, non alienum ab inſtituto operis futurum reor, antequam de Ioanniſſæ Regis aduerſus Græcos Imperatores odio dicamus, ſi pauca de Myſiæ nomine, & regionis ſitu, vti multis hoc tempore fortaſſe ignota, quàm fieri poterit breuiter, referamus. vt, cum quibus atrox, ac calamitoſum geſtum ſit bellum, quiq; noſtrorum vires in Thracia vehementer attriuerint, poſteris prodatur. Valachia & Bulgaria finitimæ regiones ad Iſtrum ſunt. vno olim inferioris Myſiæ nomine contentę. nam Myſia omnis veteribus, in duas partes, duaſq; prouincias diſtinguitur. altera, quam Seruiam dicunt, Antiquis Myſia Superior fuit, in qua eſt Dardania, hodie à Boſna Illyridis fluuio, in Sauum influente, Boſsinam vocant. quę Auorum noſtrorum memoria Regibus paruit. nec amiſit nomen; hodieq; Boſnæ Regnum vocatur. cuius oppida permulta; ſed celeberrimum, quod Hungari Sinderouiam dicunt, Regum Boſnæ, non ita pridem, ſedes. ad Meridiem Macedoniæ proxima, & Scardois montibus; ab Occaſu Dalmatia; ab Ortu autem Thracia; in Boream autem, & Septentriones, Dacia, qua non procul à Tauruno, quod Belgradum vocant, ad Danubij, & Saui confluentes pertinet, terminatur. Altera verò huic proxima, Valachia, à Flacco Pręſide Romano, qui illuſtri virtutis argumento nomen ſuum prouinciæ reliquit, Flaccia appellari cępta eſt, & corrupta paulatim voce, in Valachiam abijſſe perſpicimus. Hæc, antiquis Myſia inferior fuit, atq; eadem Ioanniſſæ Regnum, ad veteres Triballos, Scythas, & Getas pertinet. Siquidem deſcendentibus Bolgę amnis accolis, & Myſiam ex Aſia migratione facta ingredientibus, hęc Myſiæ pars ab amne Bolga ingenti fluuio Aſiaticæ Sarmaticæ, quem Rhà veteres, Tartari autem recentiores Hedilum nuncuparunt, mutato ſenſim Bolgæ vocabulo, Bulgaria dicitur. Is Fluuius, apud Scythas, ortum habet, loco trans Iſtrum verſus Septentriones, Volga dicto, è magnis, vaſtiſq; paludibus, qui candidi lacus appellantur, & gentibus antequam Iſtrum traijcerent, atq; inferioris Myſiæ partem Thraciæ proximam penetrarent, Bulgarorum nomen dedit: cum à prima origine Bulgari pariter, ac Valachi, inferiorem Myſiam incolentes (tanta eſt in rebus mortalibus viciſsitudo) Scythæ omnes fuerint. huic inferiori Myſiæ, in quam Bulgari ex Sarmatia habitatum conceſſerunt, & Flacciam, & Bulgariam appellarunt. fines ſunt à Meridie Thracia, atq; Hæmus mons; ab Ortu, qua maximè patet, Euxinum; vbi Danubius ſex oſtijs in Pontum Euxinum effunditur: ab Occaſu Dacia; à Septentrione Europęa Sarmatia.

Tran-

Digitized by Google

Tranſalpina ad Moldauiam Regio, trans Hæmum, hæc, à noſtris hodie dicta eſt; & Bogdania, quaſi Bulgaria nunc à Turcis, ſiue Carabogdana minor vocatur. Regio agrorum, & paſtionum amplitudine abundans: & quæ armenta, & militares equos perpetuo prouentu, vna omnium feliciſsimè alit. Myſi igitur inferiores, qui ex vetuſtis quondam Tryballis conſtant, Illirij, Poloni, Sarmatæ, eadem ferè inter ſe lingua vtuntur, ex quo facilè conijci poteſt, vnum atq; idem ferè hominum eſſe genus. Chriſtianis ſacris, Græcorum ritus vaniſsimè ſequentes Bulgaros, cum Crumo eorum Principe initiatos ferunt, Michaele Theophili filio, & Theodora matre Conſtantinopoli Imperantibus. quæ certo fœdere cum ijs inito, vt pacem ſeruarent, & Chriſtianam Religionem colerent, Thraciæ regionis particulam, qua aſperrima eſt, in Boream, & Occaſum, ad incolendum conceſsiſſe fertur. Nam, cum Hæmi anguſtijs Bulgari premerentur, Crumus eorum Rex per Legatos ſedem in Thracia poſtulauit, perpetuam pacem Græcis Imperatoribus, & belli ſocietatem, aduerſus Barbaros pactus. annuit Imperatrix Theodora, & quicquid inter regionem, quæ ferrea dicebatur, ac prius Romanos, & Bulgaricos fines diſtinguebat, ac Deueltum ad Euxinum interiacet (ea Thraciæ regio eſt ad Septentriones, cui nulla frugum fertilitas eſt, ac ne cœlum quidem admodum clemens) perpetuum deinceps Græcis Imperatoribus belli ſeminarium, conceſsit. Eam regionem Bulgari cum accepiſſent, vernaculo ſermone Zagoram appellarunt. Ternobo Hæmi Vrbe, Ternouizzam dicunt, totius Zagoræ, & inferioris Myſiæ Regia conſtituta; ac cum Imperatoribus Græcis ſocietate, atq; amicitia firmata, fœdus percuſſerunt. nunc continuato nomine, Zagoriæ præfecturam Turcæ vocant. Ita, Valachiæ, & Bulgariæ, in inferiori Myſia Reges, Conſtantinopolitantis Imperatoribus finitimi, per multos annos, de finibus continenter bellum geſſerunt, cum ſæpius leui de cauſa variæ controuerſiæ ſubinde orirentur, quæ vtroſq; magnis cladibus in bellum armarent: donec Baſilius Porphyrogenitus, qui poſtea Bulgaroctonus appellatus eſt, Samuele Bulgarorum Principe, non Thraciam tantum, & Macedoniam, ſed Græciam ipſam, & Peloponneſum vaſtante, ad Sperchium amnem, hodie Agriomelam appellatum, ingenti clade ſuperato, pluribus caſtellis incenſis, & dirutis, Bulgarorum in Valacchia opes euertit, & vehementer afflixit. Apud eos regnauerant Petrus, & Azan fratres, ex priuatis ciuibus Imperium adepti, corollam auream, & rubros calceos æmulatione Græcorum Augusto-

rum induti, belli artibus clari, & hæreditario iure, Græcorum Imperatorum hoſtes erant. Siquidem cum Thraciæ Vrbibus animum adiecißent maxima quotidie Græcis Imperatoribus detrimenta, auxiliaribus Scytharum copijs, eruptione in Thraciam facta, inferre non ceſſabant: quando Myſorum, & Bulgarorum dominatum, vti olim fuiſſe ferebatur, prolatis finibus in vnum coniungere ſtatuiſſent. Ab Petro, qui Azani ſucceſſerat, & ad Priſthlabam Hæmi Vrbem regnauerat, Ioanniſſa, quem diximus, fratrum poſtremus, Regnum accepit; vir ingenio militari, ſed maximè turbulento, crudelitateq; ſimul, atq; perfidia infami. Is Iſaacio Angelo Conſtantinopolitano Imperatori Alexij patri, fraterno hęreditario Azanis iure, hoſtis erat, tùm quod montium anguſtijs, & Caſtellis fretus, quæ plurima in Hæmo habebat, præruptis ſaxis inędificata, Gręcos Imperatores contemneret; tùm verò, quod per cauſam abacti pecoris ab Iſaacio, dum Hungaræ vxoris nuptias ſecundò celebrat, apertè ſecum frequentibus prælijs bellum exerceret. Ioanniſſa igitur Myſus genere, manu promptus, collectitio Scytha milite, Iſaacio patri, patruoq; Alexio Fratricidæ, iam viginti annos bellum conſtanter intulerat. Thraciæq; Regni magnam partem ademerat, quando maximis rebus geſtis, Petro fratre mortuo, Rex à ſuis appellatus: idem ſecunda fortuna ditiſsimus, adhæc ſuperbus, & inſolens, occiduas Imperij regiones, quæ ex Propontide, & Helleſponto ad Hæmum vergunt, ferè omnes in ſuam ditionem redegiſſet, ex quo, magno Græcorum Cæſarum detrimento, ſibi opes, & regnum opulentiſsimum parauerat. Sed, dum Imperator Alexius, Imperij Vrbes peragraret, Græci & Deuoti nominis Latinorum factio quædam, qui in Vrbe otij incertum, an negotij cauſa agebant, ſeditionem inter ſe concitant, atq; quorundam nefariorum conſilio, coniectis facibus, incendia in Vrbe iam ſecundò faciunt. Id incendium, ſub mediam ferè noctem, cum exortum eſſet, atq; nocturni tumultus faciem oſtenderet, adeò vaſtum, atrox & immenſum fuit, vt cum omnibus tentatis remedijs reſtingui non poſſet, mulierum vlulatu, virorum, puerorumq; ambuſtorum clamoribus horriſonum, atq; terribile videretur. Matronæ enim, nubileſq; puellæ, & ſacratę virgines trepidæ è clauſtris, flammarum ſtrepitu, & cadentium tectorum fragore, ſe in publicum proripiebant: atq; pudoris oblitę, ab obuio quoq; vt ſe trans ſinum veheret, luctuoſis vocibus exorabant. Ita enim latè ſerpebant incendia, vt non aqua, non alia re, niſi ruina reſtingui poſſent, ſed latè ad Vrbis vaſtitatem graſſarentur. Barones, qui ſe

Peræa

Peræa Iudaico oppido, quam Peram diximus, ex altera Ceratiui ſinus parte continebant, neq; per tenebras noctis ad ferendam opem aduolare poterant, ripa Vrbem flagrantem conſpicantes; vnum dolebant, ſe pulcherrimam vrbem, eandemq; opulentiſsimam, ab incendio, & flamma ex tanto interuallo liberare non poſſe. Incendium opinione maius, quo celeberrimorum Vrbis templorum, quo ędificiorum omnis generis, quo integrorum Vicorum, domus omnes, ipſiq; mediusfidius parietes, atq; ab ipſo portu ab Aquilone in Meridiem inde, per interiorem Vrbis partem aduſq; Diuæ Sophię, & amplius duorum millium ſpatio, ad inferiorem Propontidem regiones conſumptæ. Nec cuiuſquam ope tantus ignis, non dico extingui; ſed, ne reprimi quidem potuit, quin integros octo dies continentia ędificia, populantibus incendijs latiſsimè graſſaretur, vt ſola materiæ defectio, eius reſtinctio fuerit. multis hominum millibus conſumptis, è media flamma erepti cum paruulis liberis, atq; coniugibus, partim ſemiuſtulati ad quindecim millia, noſtrorum Deuotorum ope, in aduerſam Perąm ſcaphis enatantes, conſtituuntur. Huic tam luctuoſæ Vrbis conflagrationi, omnes Latini, diuiteſq; inquilini, qui Vrbem Conſtantinopolitanam inhabitabant, vndecunq; gentium collecti, incendio commigrare aliò coguntur, omnibus ſuis ſarcinis, cum vxoribus & liberis, in naues impoſitis, portu Ceratino ſuperato, Peregrinos petierunt, quorum ope & manu incolumes traijciunt. hęc calamitas Francos, & Græcos multum inter ſe alienauit: nec ſatis eius authorem, apud quenquam incuſare poterant, quòd hoc tàm graue detrimentum omnes contingeret. Ad ſummum hoc incommodum, mors Abbatis, Diuæ Mariæ Lucedij cumulus acceſsit, vnde Barones magnum dolorem animo conceperunt; ſed omnium maximum Bonifacius Marchio, quem Abbas amicitiæ cauſa ex Tranſpadanis (ibi enim Lucedij cum eximio templo Cęnobium ſitum diximus) peregrè ſecutus erat, vt non immeritò eius ſapientia frui Marchio gauderet. Is enim ſuauitate morum, & ſanctimonia, atq; optimarum artium ſtudijs, in tantam prudentiæ opinionem, & gratiæ venerat, vt non tantum apud Ciſtercienſe ſodalitium, in quo authoritate planè princeps plurimum eminebat, ſed apud omnes Barones in caſtris, nuſquam ferè quiſquam infimus, medius, ſummus repertus fuerit, qui hominis authoritatem refugerit. Ex quo omnium vno ore, diſcordiarum ſedator nominabatur. Perluctuoſum omnibus innocentis viri funus, qui viuens cum humeris Rempub. Cruciatorum portaret, eius morte Exercitus vniuerſus

extrema

extrema omnia metuebat. Alexius Adoleſcens Imperator, rebus ex animi ſententia compoſitis, & Imperij vrbibus, atq; oppidis, in deditionem acceptis, ſecunda peregrinatione vſus, cum Bonifacio, & Baronibus, die qui Diui Martini nomini feſtus eſt, & idem more genialiter vulgo agitur, Conſtantinopolim redit, totaq; Vrbe obuiam effuſa, maximo Deuotorum, ac ſuorum Ciuium, omnis ſexus, fauore, & plauſibus excipitur. Imperator quidem in Blachernium Palatium ſe recepit, quod hodie Conſtantini dicitur. Bonifacius verò, reliquiq; Barones, in hyberna vltra Ceratinum ſinum, Peram ad ſuos conueniunt.

Digitized by Google

PAVLI RHAMNVSII VENETI

DE BELLO CONSTANTINOPOLITANO

LIBER TERTIVS.

IMPERATOR, re foris ex animi ſui ſententia feliciter confecta, Imperij opes ſatis conſtabilitas ratus, quorundam aulicorum felicitati omnia aſſentantium ſermone facilè immutatur. Itaq; ſolùm quo in gradu poſitus eſſet, identidem prædicans, ſed per quos in eum prouectus eſſet penè oblitus, ſemper aliquid in dies de honorandi Exercitus conſuetudine, atq; officio remittebat. Barones verò, Danduluſq; Venetiarum Princeps, cum eius adeundi indignitatem diu pertuliſſent, de pecunia per Legatos admonent. Ille procraſtinationibus, minutioribuſq; in dies penſionibus, græca fide ludere, & proinde Francis, & Venetis difficiles aditus prębere. rurſum, ijdem honeſtiſsimos Equites mittunt, qui ipſum de fide appellarent, hos quoq; minutis penſionibus ducere, frigidaq;, & plena pudendæ dilationis reſponſa reddere. Sed, ad extremum, noſtris nomen vrgentibus, impudenter inficiari. qua ex re, magna moleſtia Bonifacius Marchio afficiebatur; qui, vt in eum ſupra cęteros fra-

fraternæ affinitatis memoria gratiſsimus extitiſſet, ita adhuc amiciſsimus eſſe cupiebat; nec eum ab Danduli, Baronumq́; beneuolentia, in quam illum inſinuaſſet, leuiter diſcedere. Ita Bonifacius frequens in aulam ad Alexium ventitare; Franci, Venetiq́;, in illum merita commemorare, quanta homini ab homine nunquam ex omni ſęculorum memoria contigiſſent. Idcirco Imperatori ſuadere, honori ſuo, vt conſuleret, & ingrati ſuſpitionem potius omnibus Imperij opibus declinaret: dixerit enim maledicta cuncta, qui eum ingratum dixerit. Vt iam nimio præſtet diſpendioſum, quàm ingratum dici. Illum laudabunt boni, hunc etiam ipſum culpabunt mali. Sed vir ſapiens, & idem amicus, nihil juuenis animo Græco aſtu occupato, perſuadet. Barones, poſtquam ſe fraudatos liquidò vident, nec ius ſuum per diſceptationem obtinere poſſe, grauiter commoti, conſilio cum Dandulo Principe inito; per vim repetere conſtituunt. Extemplò ſex Legatos fęciales, Cononem Bethunium, admirabilis eloquentiæ laude clariſsimum, Gotthofredum Villharduinum, Campaniæ Mareſchallum, Milonem Brabantium Priuinum, Gallos; totidemq́; Venetos lectiſsimos Patritios, quos Princeps in conſilium adhibebat, Danduli nomine in Vrbem mittunt; qui inficiatorem obteſtarentur, bellumq́; (ſicuti ęquitas, iuſq́; gentium, poſtulat) indicerent: quanquam ſuos vix ſatis omni iure tutos, inter gręcos homines aſtutos, & infides rebantur. Itaq́; loricati gladios ſumunt, admotis repentè equis, terreſtri itinere, inter ſpem & metum Ceratino ſinu circundato, Vrbem ingrediuntur. Et ſcalas conſcenſi (Palatium enim Blachernium, quod Conſtantini vocant, ad vrbis portam pertinet) Bethunius cuius ſapientiæ, & facundiæ à cæteris conceſſum, in Regiam Blachernæ cum collegis introductus, apud Alexium Auguſtum imperiali in ſella ſedentem, iuxta Iſaacium Patrem, eiuſq́; vxorem, Alexij nouercam, quam Hungariæ regis ſororem, paulo antè memorauimus, ab Iſaacio ſecundò ductam, magno procerum conſeſſu, aduocatæ concionis inſtar in Corona ſtans, ſic, vt circumfuſa totius aulæ turba audiretur, orationem huiuſcemodi habuit. Baronum, hodie, Danduliq́; Ducis Veneti iuſſu, huc tibi clarigatum, & res noſtras repetitum venimus, Imperator Alexi: immortalem Deum, hominesq́; te ipſo audiente teſtantes, niſi pactiones iuratas ſerues, te indignum facinus conſciſcere. neq́; enim eius animi ſunt, vt tibi vel minimum beneficium commemorent, nedum inſigne obijcere, aut exprobrare velint. Pactiones memoria omnium gentium tenentur: Illæ publicis litteris auro ſignatis, conſignatæ

ſunt,

ſunt, Deo primùm, mox etiam fratre tuo Philippo Sueuo Germano teſtibus. Et quanquam ſæpenumerò de fide interpellatus, necdum tamen, neq; pudore, neq; iure liberaſti. atqui non petunt Barones, & Dandulus, vt fidem, niſi illorum ærumnis, atq; periculis ſeruatus præſtes: ſcis enim quo periculo aduerſus Alexium patruum, pro tua patriſq; ſalute, atq; potentia conflixerint. Ad iniquas porrò conditiones dolo inductum te, quì quæri potes? qui in omnium rerum egeſtate, quas ne priuatis quidem fortuna negat, exul, ſupplex, inops, pulſus regno, & ex calamitate ad Barones profugus, ijs Iaderam Legatos, cum Philippi Sueui Fratris litteris, ſupplicatum miſiſti, vt te per immortalem Deum, perq; Imperialem genium misererentur: hanc tandem non ſponte traijcientibus, ſed rogatis, & tuis precibus impulſis, abrupta turpiter iuriſiurandi fide, ſumma animi inconſtantia, ac leuitate gratiam refers? quos ſine vlla ſpe præmiorum, & emolumentorum, ſedes in Gallia reliquiſſe, & quod vnicum votum fecerant, Palæſtinam atq; Syriam, deſeruiſſe, cuius tandem aut impudentiæ, aut dementiæ eſt putare? quæ igitur iniuria eſt, iure pacta, iure belli vendicare? ſi fędus, & amicitiam præoptas, iniquum eſt de pecunia cęteriſq; conditionibus recuſare; quas Pater, tuq; adeò his quas in medium prolatis tabulis vides, fide ac ſacramento ſanxiſtis. ac, ſi tibi Baronum, Danduliq; ope in Imperium reſtituto ſemel perſuaſum eſt, turpiter abiurare, violare juſiurandum, fidem prodere, ac pactorum conuentorum obliuiſci æquum, & regium putas, iam te nec Imperatorem, nec amicum, habemus. & quoniam ſic à maioribus didicimus, magis virtute quàm dolo contendere, neq; inſidijs niti, neminemq; bello, niſi ante indicto, atq; aperto laceſſere; Ideò tibi Baronum Duciſq; Veneti nomine (tametſi inuiti hoc faciunt) quàm clariſsima poſſum voce, ipſum bellum denuntio. æquitatem noſtrarum poſtulationum, ſi te, Patremq; audieris, ſi in conſilium adhibueris, vtriq; probatam iri ſpero: opto quidem certè, quò noſtrorum amicitiæ, quos tua ſalute, quam rectè illorum fidei commiſeras, expertus es, fructus ſperatos aliquando capias. Græci Proceres Oratoris fiduciam admirati (nam Conon cuncta graui concitatoq; ſermone, ore flagranti protulerat, eo exitu, vt Baronum & Danduli intimos ſenſus ardentiſsima facundia denudaret) inter ſe inſuſurrare Cononem Maieſtatis Imperij, Deiq; cuius augurijs conſtituta auguſtior eſſe debeat, contemptorem eſſe: quod in ipſius caput fortaſſe malè vertat. Itaq; Alexius grauiter commotus, cæteriq; Proceres, qui illi aſsidebant, quandoquidem nemo ab omni ſæculo-

rum memoria Orientis Imperatori intra domeſticos parietes, bellum contumelioſis verbis denunciaſſe diceretur, cum infenſi, ſeueriq́; oris habitum omnes oſtenderent, turbido vultu noſtros Oratores, quos paulò antè mirificè coluerant, ne verbo quidem, honoratos dimittunt. Illi, per hunc modum indicto bello, prolatoq́; Baronum decreto, reiectis Alexij excuſationibus, conſcenſis equis reditum ad ſuos in caſtra ſedulò admaturant; nec antè animum, non dubio perfuſi mortis periculo, metu ſoluunt (quò enim ſuſurri, qui ipſorum in pectus altius deſcenderant, reciderent, valdè laborabant) quàm ſe de Græcorum manibus Blachernio Palatio, atq́; ipſa Conſtantinopoli elapſos, circumſpiciunt. adeò præſens periculum ſibi euaſiſſe videbantur. nihil enim propius fieri videbant, quàm vt vel occiderentur, vel in vincula protinus conijcerentur. Ita periuro bellum committitur, pluribuſq́; locis ſubinde vtrorumq́; concurſu facto, Græci ſemper magnis incommodis acceptis, in fugam conijci. Elapſo Autumno, quo minutis prælijs continenter certatum fuerat, iamiam hyems penetrauerat, quo tempore miles quieturus videtur, niſi laceſsitus. Itaq́; Græci cum virtute parum valerent, ideoq́; ferè ſemper acie abſtinerent, per brumales Solſtitij longiſsimas noctes, Venetam Claſſem artificio quodam oppugnant: in ſpem enim venerant, noſtris inopinantibus magno noſtrorum detrimento, noctu incendi poſſe. Nauigia igitur maxima, decemſeptem numero, arida omnis generis materia, accenſis carbonibus, incendiario oleo, ſtupa, pice, ſulphure, & bitumine, vinariorumq́; doliorum maximo numero implent: deinde ex ſententia ventum ad nos perflantem nacti, ſecundo Boſphoro profluente, qui in Ceratinum ſinum influit, in ea, de media nocte, liquido igne, quem Græcum ex gentis inuentione dicunt, iniecto, qui vel inter fluctus ardere conſueuit, vela, vnde flatus erat, dederunt. quo tanta inde latè refulgens flamma repentè emicuit, vt quum Boſphorus qui Cornu ſinum influit, nitido vndarum æquore lucis ſplendorem exciperet, repercuſſuq́; diffuſum ad Sycenam, vſq́; ripam diurno lumini perſimilem euibraret, intempeſta nocte, & ea nubilo cęlo perobſcura tota Conſtantinopolis circumiectuſq́; Ceratinus ſinus, atq́; aduerſa Chalcedon flammis in altum elatis, collucerent. Porrò autem ardentes naues, in Deuotorum Claſſem non procul à noſtris iuxta Galatæ ripas in anchoris ſtantem ferri. tum rei inſolentia, horrendi clamores, totis caſtris excitabantur, vt repentè ad arma, tanquam in diurno tumultu, vndiq́; conclamaretur, atq́; accurrentium auxiliorum accenſæ faces, appropin-

quan-

quantiumq; Baronum funalia ſpectarentur. Veneti, qui magnum rei naualis vſum habebant, tàm ſubito, quàm felici conſilio, nihil incendij flammas veriti, ſumptis facibus, ad Biremes, & nauium ſcaphas, celeriter aduolant; falces ferreas confixas longiſsimis contis capiunt, &, cum penè vndiq; flamma torrerentur, maximaq; telorum multitudine premerentur, iniectis pontibus incendiarias conſcendunt naues, haſtiſq; ferreo vnco præfixis, harpagones vòcant, tanto niſu, quanta humana vis ſufficere poteſt, in ore, atq; oculis hoſtium, portu paulatim trahere, atq; extra ſinum Cornu, in inferiorem profluentem Boſphorum committere. Iidem in continentem fumum flammaſq; ſeſe conijcere, tanto certè animo, vt penè his frui viderentur. ſiquidem ea ſuccenſa, atq; amiſſa claſſe, ſimul ſpem Palęſtinę, Hieroſolymorumq; & domum reditus, amittebant. Gręci maximo clamore inſecuti, quaſi parta iam atq; explorata victoria, nauigijs conſcenſis, noſtriſq; oppoſiti, Venetos reſtinguendis ignibus diſtrictos, eminus ſagittis, & telis petebant; nec ſolùm igniuomos globos, & ſaxa eodem iaculabantur, ſed etiam collatis nauibus, pluribus vulneratis, magnis detrimentis affligabant, ſcaphaſq; ne à noſtris occuparentur, ſuorum corporum pondere in profundum demergebant, quòd homines vrinandi ſcientes tutò poſſent emergere. tota ſuburbana Conſtantinopolis litora, Galatæ oppoſita (nam eo tractu quantum Vrbs mari alluitur, oblongum, nec ita latum litus extenditur) Græcorum refertiſsima, quos fortuna ſuæ calamitatis artifices, & ſpectatores, duplicato dolore, fecerat. Maximus vtrinq; clamor, cęlum terra, cęloq; terra miſceri videbatur. Vna tantum Piſana nauis oneraria, & ea varijs mercimonijs onuſta, quæ fortè in anchoris ſtabat, incendio abſumpta fuit; nulla noſtrarum deſiderata. Cęterum Veneti deſperatis pridem rebus incolumes ſeſe celeriter, ex incendiarijs nauibus explicantes, in terram ad noſtros ſe receperunt. Ita, Græcorum ignes, tanto artificio apparati, Venetorum virtute in nihilum recidunt. Nec verò Galli Equites ceſſare, qui ſomno dudum inſuetis clamoribus experrecti, in armis erant. Itaq; acie ex conſuetudine inſtructa, ne nocturno pręſertim tumultu Græcorum agmina noſtros Equites inuaderent, excubijs accuratius intentis, plana ſub Vrbe occupant, qua hoſtem ad ſe ingreſſurum ſuſpiciebant. ea de cauſa actis ſumma cura vigilijs, diſpoſitiſq; ad Galatæ ripam, & portas armatorum cohortibus, reliquam noctem inſomnem omnes ſub armis in lucem ſtetere. Poſthac Græci duces, qui ante in noſtros irruperant, ſpem pacis omnino exciſam videntes, inſidias

Alexio Auguſto parant, vnum aliquem in eius locum conſilio manuq; promptum allecturi, ne res Conſtantinopolitana Latinorum aduentu labefactata, turbari, aut vllis affici detrimentis ex opportunitate adoleſcentis, atq; adeò imperiti Principis poſſet: quum miſeri Ciues toties capta, & direpta Vrbe, extremam cladem ſubirent. Alexius quidam Ducas, cui ob coniuncta ſupercilia, & veluti oculis imminentia, Murtzufli cognomentum, quod vernacula Græcorum lingua ſuperciliosum exprimit, ab ęqualibus erat inditum, & Alexio Auguſto author fuerat, belli aduerſus Francos, & Venetos ſuſcipiendi, vnus ex multis aptiſsimus viſus eſt, qui facinus admitteret, quòd Prothouaſtiarij dignitate, & inſignibus calceis ornatus, in altiſsimum dignitatis gradum, per Alexium Iuniorem euectus, ipſi inſignitè carus eſſet: vt iam in Auguſti cubiculum, intempeſta etiam nocte, per cuſtodias, ei familiaris aditus pateret. Concilio communi, modus inſidiarum, ſimul & dies, circiter finem Ianuarij conſtituitur. quarta poſt vigilia, quo tempore Alexius altè ſomnum capiebat, Ducas Murtzuflus, Spadone, fiſci præfecto, exquiſitę auaritiæ homine, conciliatore, cum reliquis coniuratis, adapertis ſenſim foribus, in cubiculum per ſatellites introductus, per ſimulati colloquij ſpeciem, quò ipſum ex tumultuantium Ciuium manibus eriperet, Imperatorem è lecto in tenebricoſum carcerem abripi iubet, & calceos purpureos in pedes repentè induit. hoc calceamentum futuri Auguſti inſigne erat. Idem mox palam à coniuratis Imperator ſalutatus, in Diuę Sophiæ etiam infertur, atq; ibi Gręcorum Auguſtorum more inauguratur, Imperium per ſummum ſcelus adeptus. Sed Iſaacius Pater, rumore de Filio Cęſare in carcerem coniecto, & Murtzuflo parricida Imperatore creato, vehementer perculſus, VII. reſtituti Imperij menſe nondum exacto, in ægritudinem incidit, quæ ipſum paulò poſt acerbiſsimis curis agitatum, męrore animi, nondum quinquagenarium è medio ſenſim ſuſtulit, cum ante expulſionem annos nouem, menſes octo imperaſſet; obcæcatus verò carcere annos octo, menſes tres exulaſſet. Fuit Iſaacius, vt Græci eius ſæculi tradunt ſcriptores, flammata facie, ruſo capillo, mediocri ſtatura, valido corpore, ac lacertoſo; &, ſi ad animi virtutes ſpectes, non contemnendus Imperator. Interim Murtzuflus Ducas, Imperio ad hunc modum potitus, Alexio venenum bis ter've prębuit: ſed dolo parùm procedente, quòd feſtinatione, nec ſcienter, nec ſuo tempore miſceret, vel quod adoleſcens, tùm ætatis robore, tùm antidotis venenum præuertiſſet, ipſum VI. Idus Februarij (ſex enim

menſes,

menſes, & octodies imperarat) ſtrangulat. Continuò fama ſpargitur à coniuratis adoleſcentem Imperatorem, non ſine maximo Alexij Ducæ mœrore, vi morbi interijſſe. Regio itaq; funere elatum, ſumma in ſpeciem pietate iuſtis perſolutis, in vetus Græcorum Auguſtorum monumentum, ad Apoſtolorum, ſtatuit; ac more luxit: ne, cui Imperium, & vitam abſtulerat, ſupremos quoq; honores abſtuliſſe videretur. Sed vt nihil homines ſciant, ſuſpicenturve facinus, quis Deum, mundi oculum, cęlare poteſt? magnam vim famæ, in vtramq; partem, vel ad veras res, vel falſas, nemo eſt qui neſciat. Quæ modò adoleſcentem Imperatorem ſuo fato interijſſe, ſed falsò dixerat, eadem dolo Ducę Murtzufli necatum, conſtanter vereq; prædicat. Ad caſtra noſtrorum protinus de morte Alexij certus nuncius adfertur. Barones, ac Dandulus, confeſtim tuba Concilium aduocant. Eodem Epiſcopos, minoreſq; Pręſules accerſunt, præcipuè verò quos ſummus Pontifex Innocentius legarat, in Exercituq; Sacris pręeſſe, ac vices ſuas implere iuſſerat, atq; ex his vnus ætatis honore, & eloquentiæ opinione cęteros antecedens, grauiſsimam de iure belli ſententiam apud Barones, & Dandulum dixit, eoq; attentius auditus, & promptius, quòd militum feſtinatio non ſolùm belli, ſed etiam celeritatis auidiſsima, ius belli gerendi à fęcialibus expectabat. Ille hortari, ad Dei parricidarum vindicis ſignum, torpeſcere non oportere. quibus iam licet, vel in hoc terrę ſolo, vel in cęlo eſſe beatiſsimis. aliàs verendum de iuſtitia, huius belli dubitatio ne iniuſtitiam ſummam habeat. parricidia enim, vbiq; gentium, capite ſanciri. Vt verò ius gentium ſileatur, quòd parricidam peræq; apud omnes morte boniſq; mulctat, bellum quod gererent, iure belli, tàm æquum eſſe, quàm quod æquiſsimum. Siquidem pietas eſt prima, quæ impietatem è medio tolleret. ſcirent ſe, armis ſeruum perſequi, qui dominum, iuſtum Regem, quem diuinis auſpicijs Barones, Danduluſq; in ſolium reſtituerant, Dei in terris effigiem, è medio per ſummum ſcelus ſuſtuliſſet, vt ſolus regnaret. Eum enim ſolum eſſe Imperatoris, & Regis nomine dignum, qui id voluntate Dei, cuius iuſtum interpretem Romanum Pontificem Max. non Conſtantinopolitanum Patriarcham crederent, auſpicatò acceperit. Idcirco nihil addubitandum, nec cunctandum, quin importuniſsimo Tyranno, atq; hoſti, cum quo nullum eſſet ab aduerſa religione commercium, ſceptrum protinus extorquerent. quem ipſi alieni Græcum propter Regium nomen ſaluum & florentem Imperio viuere volebant, inuentum eſſe ſeruum veneficum, qui cum

acer-

Digitized by Google

acerbiſsima morte afficere voluerit. Itaq; viderent, ne reges poſthac, & Imperatores, ſi à bello tam pio animus ipſorum refrixerit, nuſquam, quod in ipſis eſt, tuti, nuſquam ſacroſancti futuri eſſent. Nec eos latere, cum in Conſtantinopolitanos arma inferrent, cum hominibus ſectarijs bellare: id quod lex, & fas iubent. Si Chriſtianæ Religionis cultus, ſi Latinæ Eccleſiæ dignitatis propagatio, & Romani Pontificis Max. maieſtas omnibus cordi, & pedibus manibuſq; conandum. Vulgò notum eſſe, vt Patriarcha Conſtantinopolitanus Oecumenici nomine, de quibuſdam Græciæ conuenticulis emendicatò, ſectam iampridem fecerit, quorum leges ſequeretur. Conſtantinopoli enim Græcorum Imperatorum ope, qui poſt Conſtantinum regnauerunt, vehementer adaucta, cum fortunæ beneficio inclareſcere fama, & Imperatorum res in Oriente gerentium ſedes eſſe cępiſſet, factum eſſe, vt paulatim Eccleſia, & Epiſcopi eius Vrbis, contra fas iuſq; dignitate eminere, & authoritate adeò pręſtare cęperint, vt vereri illam, ceu magiſtram diſciplinarum: Epiſcopos autem Conſtantinopolitanos, vt Præſides, & patres honorare, vicinæ Eccleſiæ perrexerint: nec ſolùm, quòd in Ægypto Alexandria, in Syria Antiochia, in Palęſtina Hieroſolyma, hec non in Thracia modò, vel Aſia vicina, & Græcia propè omni Conſtantinopolitanus Patriarcha eſſe vellet, ſed quòd nefandum eſt, cum Romana, eadem Apoſtolica beati Petri ſede, de primatu vaniſsimè contendere auderet. Ipſum porrò Conſtantinopolitanum Patriarcham, ſępè ab Romano Pontif. Max. monitum, vt opinione deſiſteret, & omnium gentium, & Regum, qui non modò religionem, ſed etiam Regum appellationes de Pontifice Max. beneficij loco haberent, conſenſionem ſequi mallet, quàm ſeorſim vitæ rationem capere; in Italorum, in Gallorum, & Germanorum, & quod nullo ſanguine expiabile eſt, in Dei Eccleſiæ Latinę odia incurrentem. at hominem abhorrentis ingenij, & ad nullam pietatem informatum, noui delirij, & antiquę leuitatis veſtigijs inſiſtentem, authoritatem, rationemq; Latinę Eccleſiæ vt amplecteretur, nullo pacto perſuaderi potuiſſe. His ſectis, quę, quòd ſenſim Religionem diffluunt, non ita obrepere intelliguntur, Chriſti, eiuſq; ſponſæ Eccleſiæ, honorem agi, qui vnus ſi quæretur, iuſti belli fons eſt, & ſemen. His rebus Innocentium III. Pontificem Max. maiorem Chriſtianæ Eccleſię motum expectantem, celeriter more Apoſtolico factum execrari, eumq; prauæ opinionis condemnare, omneſq; qui in eius hæreſi eſſent, religionis noſtræ inimicos, atq; hoſtes iudicare. Cumq; ipſi modò Barones, & Veneti, Iſaacij, atq;

Alexij

Alexij Imperatorum capita tuebantur, idcirco iuſtum hoc bellum Eccleſiam cenſuiſſe, quòd pro his, qui ex fœdere in viam redibant, ac Maieſtatem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſibi curæ, Grœcamq; Eccleſiam in Romani Pontificis obſequentiam futuram eſſe, perpetuò fore iurabant, arma ſumerentur. hos igitur alia mente, quam nunc, Græcos cum viderent Pontificis Romani colentes, ſic victores Imperio fraudaſſe, meritò ſacros, atq; inteſtabiles habitos iri. nunc, quum Gallo, ac Veneto bellum ſit cum Grœcis apertis ſectarijs, atq; ex diuini iuris cenſura impietatis crimine damnatis, illud, Romano Pontifice Max. authore, iuſtiſsimum edicere; captaq; omnia in Victoris mancipio, iure quàm optimo fore. Illum tantum captiuorum animas, quibus Deum ſuis precibus propitium impetret, ſuę fidei reddi peteret. Ipſos verò Barones, & Venetos, eodem Pontifice Max. authore, Conſtantinopolitanam Vrbem Latinæ Eccleſiæ infidelem caperent, captamq; in eiuſdem ſummi Pontificis fidem traderent, vſuq;, & fructu ſuam poſsiderent. Ita, acriter Barones, & Venetos hortari, irent, & Victoriam Deo, Diuiſq; benè iuuantibus exploratam capeſſerent, Conſtantinopolimq; proprium ipſorum præmium, peterent, & Græcam Eccleſiam commune omnium commodum Romani Pontificis obedientiæ darent; & beatitatem, vel mundanam, vel cœleſtem ipſius, Pontificiſq; fide datam, tandiu expetitam amplecterentur. recordarentur deniq; bellum pro aris ſemper iuſtum, aut Gallica, & Veneta virtute perpetrandum eſſe, aut ipſis Chriſtiani nomen relinquendum. Hæc eadem cęteri Antiſtites, & Sacerdotes totis caſtris concionabundi immiſcere. quæ oratio penitus in memoria bonorum inſedit, vt ſponte currentes incitaſſe, atq; bellum inexpiabile protinus creaſſe videretur. Cæterum noſtri impigrè dies ac noctes hoſtem, terra mariq; continentibus damnis afficiebant, aut laceſſebant; quòd nulla re alia Deum, eiuſq; Romanum Vicarium in terris, quàm hoſtis victima ſe placaturos ſperabant. propterea nullum capitis periculum fugiebant, dum voluntati Diuinæ ſatisfacerent. Continuò Henricus, frater Balduini Comitis Flandriæ, partem copiarum educit. Iacobus Auennes, Balduinus Bellouiſus Hannonij Equites, Odetus Campanus Chiamlites, Guilielmus eius frater, cum ſuis popularibus vniuerſam Thraciam, ſub eodem vexillo, populatum mittuntur. Itinere totius noctis multa luce Phileam, quæ Phinopolis antiquis fuit, ad Roxolanorum mare ſitam, quod Euxinum eſt, peruenit. Euxinum porrò, quia ad læuam iam inde à Salmydeſſo litore, ad Iſtrum, & Scytharum deſerta,

ſerta, magno litorum flexu retro curuatum, in cornua ad Tauricam Cherſoneſum multos attingit populos, eorum ſinuum accolas, atq; in his non Getas modò Romanis olim Dacos dictos, Sarmatas Græcis Sauromatas, Hamaxobios, ſed Alanos mox, & potiſsimùm Roxolanos ſe in longum ad Tauroſcythas iuxta maritimam oram extendentes, Roxolanorum mare dicebatur. Ea propter Vilharduinus Eques peregrinarum regionum non ſatis ſciens, & militiæ quàm Geographiæ peritior, proindeq; Euxini nominis ignarus, Pontum Euxinum in Gallicis Commentarijs, rudi eius ſæculi more, Roxolanorum mare, quod Euxinum erat appellauit, quando eo tempore Roxolani, ijdem Rufsi, viribus pollentes apud omnes noti, tota Thracia, atq; Europa, ſed ad Euxinum potiſsimùm prolatis viribus, maximè formidabiles eſſent. Philea Thraciæ ciuitas eſt, in maritima Euxini ora, ad læuam iuxta Boſphorum in Aquilonem vergens, omnibus rebus refertiſsima, olim Phinei Regia, vt quidam volunt, quæ Iaſonem, cæteroſq; Argonautas excepit. Eam Vrbem primo impetu capiunt. tanta verò prædæ vis, manubiarum, & commeatus fuit, vt parte etiam ad Exercitum, qui infra collocatus erat, per Euxinum, & ſecundos perfluentis Boſphori anfractus nauibus inuecta, omnibus rebus in caſtris abundarent. In ea Vrbe duos dies agunt. tertia verò die præda manubijſq; onuſti, ad ſuos regrediuntur, quòd depoſita aſperitate hyems præcipitaret, ſeq; annus ſenſim aperiret: inſtabat enim dies, quem honori Deiparæ Virginis ſolenni cęremonia feſtum impertimus, IV. Non. Februarij, cum ad accipienda jmperia conueniunt, bello aduerſus Murtzuflum pugnaturi. Interim Murtzuflus certior factus, Henricum Balduini fratrem cum Exercitu ad ſuos ſe recipere, intempeſta nocte Vrbe egreſſus inſidias tendit, & poſtremum Francorum agmen, dum ſyluam ingrederetur, ſub ſarcinis ex inſidijs, inuadit. ſed noſtri ſemper quadrato agmine, & militariter munito ingreſsi, in temporis momento acie conuerſa, hoſtem conſcindunt, Græcoſq; Equites ad viginti, omnium optimos capiunt. Currus etiam armorum Murtzufli, eo ſæculo Carrocium appellabant, vexillumq; prætorium Carrocio impoſitum, à noſtris diripiuntur. Carrocium porrò currus erat caſtrenſis prætorij inſigne, bubalis prætextatis tractum: à cuius poſtrema parte, Turris lignea cum pinnis aſſurgebat: in qua antenna prælato in malo ſuſpenſa, Imperatoris vexillum expandebat: ſuperſtante Campani æris tintinnabulo maximoperè ſonoro: cuius ſonitu bellum publicè hoſtibus denunciabatur: Regibus & Imperatoribus, liberiq; iuris

ris

ris Ciuitatibus tantum in Europa, & Gallia potiſsimùm Ciſalpina, totaq; Hetruria Carrocij vſus erat, aut quibus eſſet id ab Imperatore conceſſum: maiori Vrbis templo aſſeruabatur. hinc, Carrocium non niſi bello indicto educi, & in foro ſiſti conſueuerat. ei milites in prælio ita hærebant, quum id deſerere ſummæ perfidiæ loco haberetur, vt inde nunquam, niſi cæſis, vel profligatis legionibus diſcederent. Hac infauſta Murtzufli pugna Carrocio capto, Icon quoq; Deiparæ Virginis Græcanico opere expreſſæ, quæ ipſi Murtzuflo veterum Auguſtorum more in bellum euntium præferebatur, quòd fauſtam ſibi, & Græcorum Exercitui ſperaret, cum reliquo Imperatorio apparatu, in noſtrorum poteſtatem venit. Id prælium tàm opportunè, quàm proſperè tentatum à Gallis, vniuerſo bello felicem euentum prębuit: ſiquidem Icone capta, Henricum Balduini fratrem (vt erat ex domeſtica diſciplina maximè pius) felicis prædæ euentum, Chriſtiano more ad lętum augurium facilè vertentem, exclamaſſe ferunt; debellatum eſſe Tyrannum; poſtquam ipſum Virgo Deipara, atq; omnes demum Sacroſancti Cęlites, tanquam ſacrilegum, atq; impium deſeruiſſent. Noſtri pari pietate omen, quam maxima poſſunt religione accipiunt, & Deiparam inter ſplendidiora victoriæ ſpolia, & precioſam prædam, in ſui Filij cultorum manus deuocatam, conceſsiſſe, perſuaſum habent. Ea cum Dandulo Duci, vt infra memorabimus, in rerum diuiſione ſorte obtigiſſet, ſummo cultu Venetias delata, nunc in Diui Marci, ſolennibus Deiparę diebus, è Sacrario collucentibus vndiq; cereis, ad Aram maximam ſalutatur. Sed quoniam antepoſui Claſſem Flandricam, ad Imperium Ioannis Nigellani Brugarum Caſtellani, Maſsiliæ hyemaſſe, atq; in Syria, tàm importuna, quàm exitiale nauigatione, æſtiua egiſſe; præterea magnam copiam eorum qui Venetenſem Exercitum deuitarent, aliò portuatum dilapſam, qui noſtris numero multo plures erant, quàm qui Conſtantinopolim obſidebant: hi omnes in Syriam appulſi, vt multorum litteris, ac nuncijs in caſtra allatum eſt, Deo CHRISTO, Deuotiſq; ſatis pęnarum ad religionis honorem dederunt. Alij enim contagioſa peſtilentis morbi lue per omnem regionem diffuſa, abſumpti: nonnulli, qui ad ſuos repedarunt, tanquam impij deſertores, publicè pro pollutis habiti: Alij quos deſertis Caſtris flagitioſo, ac indecoro prorſus ſeceſſu ad Gualterium Brennenſem in Apuliam ſuperiùs profectos fuiſſe memorauimus, vt ignominiam ſpecioſa militia contegerent, & diluerent, aut Antiochiam, ad Bohemundum III. Antiochiæ Principem, aut ad Raymundum

Digitized by Google

Iuniorem Tripolitanum Comitem, ex magni Raymundi Tholoſani Comitis gente oriundum, quem ſuperiùs recutitum appellauimus, quibus ſuperiori tempore cum Ægyptijs, & Sarracenis continua bella interceſſerant, falſa pietatis ſpecie adire conſtituunt; & ſe ſecundo ſacramento, priore iniuria ſoluto, obligare: ſed, eos palantes Turcæ, qui ante quadringentos annos ex Sarmatia Aſiatica in Perſidem, & minorem Aſiam deſcenderant, & latrocinantes magis quàm belligerantes, dum nec vnus illis certus Dux, nec certum Imperium, prouincias vaſtabant, ex inſidijs adorti, diuina vltione, ad vnum omnes oppreſſerunt. Turcarum enim vires tenuibus initijs, vt fit plerumq́;, ex Scythia, & Caſpio mari, vnde illis genus, per Aſiam ſeſe ſparſerunt, annis retro plus minus ſeptingentis ſexaginta, paulum antè Caroli Magni Imperium, à quo deteriores habere Africæ, & Aſiæ res cæperunt. Ii Sulthanis qui multiplices Aſiæ minoris Satrapias adminiſtrabant, mercenaria militia operam nauantes, aliquot prælijs, duce Tangrolipice, feliciter aduerſus Sarracenos geſtis, quorum antè auſpicijs militauerant, celebres eſſe, & victoriarum ſucceſſibus elati, aſpirare ad regnum cæperunt. mox Othomanis ad imperium euectis, omni Aſia ſunt potiti. & Auorum noſtrorum ætate, cum in Europam traieciſſent, Adrianopoli primùm; mox Conſtantinopoli capta, ad ingentes opes, & eam potentiam, quam hodie admiramur, maximo Chriſtianæ Reip. caſu, peruenerunt. Ita, noſtris diſsidentibus, malum haud ſatis prouiſum ſerpſit. Turcarum igitur armis cæſi, aut capti magnæ nobilitatis Franci Equites ad octuaginta. Inter cæſos autem nobiliores memorabant, Villanum Nuylliacum, Equitem inprimis bellicoſum, ac Ægidium Traſidium Hannonium Equitem, Balduini Comitis Flandriæ Clientem, atq́; eiuſdem obæratum. Captos autem Bernardum Montrolienſem, Raynaldum Dampetram, Ioannem Villarium, Guilielmum Nuylliacum, nimia pietate fratrem ſequentem: omnes fermè Campani Comitis Clientes. Ita, Deuotos milites à multis execrationibus infames, fame ſitiq́; enectos, vltore Deo magno, meritas perfidiæ pœnas dediſſe. Teſtificatur Gotthofredus Villharduinus noſter, iuratorum neminem fuiſſe, qui caſtra Venetijs inſtituta fugiſſet, ſiue caſu, ſiue quòd credibilius, Dei voluntate, qui non inſignem calamitatem fato tulerit. Ea de cauſa veteri prouerbio ſapientem eſſe, qui meliori pareret. Sed vt ad inſtitutæ hiſtoriæ ſeriem reuertamur, Veneti, Franciq́;, qui Conſtantinopolim terra, mariq́; obſeſſam tenebant, de Murtzufli victoria ſubnixi, Claſſem rebus omnibus adornant, manganis, baliſtis, tollenonibus,

nonibus,

nonibus, & fundis, quas vrbium expugnationibus homines machinantur; atq; omni vi, & ingenio agere connituntur. Scalas enim ab antennis nauium, mœnibus altiores, incredibili omnium admiratione erigere, & muris admouere: Obſeſsi contra præſenti exaggeratione aſcenſum impedire. turres enim ipſas, etſi opera editas, nouis tamen contignationibus tabulatorum editiores faciebant: tanto ſtudio vt nulla vtrinq; belli munia Martio menſe, jeiuniorum diebus intermitti diceres. Inter hæc Francis, è terra non procul ſpectantibus, præ graudio manabant lachrymæ, veluti concepta, non ſine ingenti ſpe capiendę vrbis, & propè explorata de Murtzuflo tyranno & Gręcis victoria. Igitur Barones è veſtigio tuba concilium aduocant: eò Dandulus Venetiq; conueniunt, ac pluribus in vtramq; partem dictis ſententijs, ne qua inter ſocios, Venetum & Gallum capta Vrbe diſſenſionis occaſio præberetur, inter ſe pacta his legibus confirmant. Si Dei voluntate Vrbe potiri contingeret, præda, ac manubiæ, Imperij oppida, Ciuitates, Vici, caſtella, horumq; vnà agri, cuiq; pro ordine, & virtute, vt diſtribuerentur: neu quiſquam rem ne minimam quidem contrectare, niſi adiudicatam, auderet; quin ad diem, locumq; præſtitutum referret. Quod autem Vrbs & Imperium vnum aliquem gubernatorem requireret, æquiſsimum videri, XII Viros, omnium ſuffragijs deligi, VI. Francos, itemq; VI. Venetos, qui tactis Euangelijs dextra, qua iuriſiurandi religione nihil Chriſtianis ſolennius habetur, quem ex omnibus maximè Imperio regendo idoneum iudicaſſent, Imperatorem ſua voce declararent. idem ſimul more militari Exercitus annuere, ſe vnum & ſolum, quem XII Viri nominaſſent, pro Imperatore obſeruaturos. Qui verò ad Imperium delectus eſſet, is quadrantem prædarum & in Vrbe, & foris ſuo iure haberet; eaq; præter, Gręcorum Auguſtorum Palatia Bucaleontem, & Blachernium: reliquus dodrans Imperij, Venetis, & Gallico Exercitui ex æquo diſpartiretur. Extemplò etiam ſapientiſsimi quiq; ad XII. de Veneta Claſſe, de Exercitu Gallico totidem crearentur, qui cenſum Imperij, Feuda & magiſteria pro ſua prudentia conſtituerent; eaq; quibus oporteret, diuiderent. His rebus honoratos, quibus operis & muneribus liceret & deceret, onerarent, ideſt ſeruitia imponerent, quæ Imperatori præſtarent. Has pactiones tabulis de more prolixè confectis, hinc Franci, ex altera parte Veneti, fide & jureiurando confirmant. minus obtemperantes Pontificio anathemati ſubiectos decernunt. queis & illud adſcriptum fuit, vt in ſequentis anni exitu, Menſe Martio, cuiq; licentia eſſet,

quo terrarum vellet, commeandi: Ita enim vt honore fortis, ſic onere liberarentur. Cęterum qui commodis in Imperio vterentur, hi Imperatori ex XIIVirûm præſcripto, dicto audientes eſſent. Hæc legum, his de rebus dictarum, ex Villharduini Commentarijs Gallico ſermone conſcriptis, ſententia eſt. Quas conditiones, quoniam legum inſtar ſunt, ex Veneto Reip. Tabulario accuratè ſanè, & diligenter exſcriptas, Decemuiri, Ioanne Baptiſta Rhamnuſio patre Decemuiralis Collegij à ſecretis impetrante, exſcribendi nobis poteſtatem fecerunt, quòd hiſtoriæ multam lucem afferant, legis voce enucleatius expromemus. Principio, Chriſti nomine inuocato Vrbem Conſtantinopolim expugnanto. Vrbe Conſtantinopoli Diuini numinis ope potiti, eis qui ad imperandum Exercitui, communibus Gallorum, & Venetorum ſuffragijs creabuntur, & eligentur, omnes obedientes ſunto; vti de communi ſententia præſcriptum erit, & conſtitutum. Prædæ, manubiæ, totaq; gaza, quæ in Vrbe Conſtantinopoli inuenta, reperta've erit, eò loci, qui ei rei conſtituetur, ſine fraude comportantor. Totarum rerum dodrans Gallis, & Venetis dependitor, in eam ſummam, quam adoleſcens Alexius Angelus Comnenus Imperator reſtitutus, vtriſq; ſocijs exſoluere tenebatur. Reliquum quadrantem Venetus ſibi retineto, dum ſolutio expedietur, & ius cuiq; ſuum peræq; redditum erit. Quòd ſolutione facta reſiduum erit, id Gallo & Veneto ęquis partibus diſpertitor, dum omnino abſoluantur. Sin prædæ, Manubiæ, Gazaq; præſens, æri alieno prędicto minus ſoluendo erit, quodcunq; prædarum, Manubiarum, atq; Gazæ, vndecunq; poſthac Exercitus claſsis've ſibi pariet, & capiet, inde reliquationem ex præſcripta ſuperius formula conficito. Frumentum & commeatus excipiuntor, victuiq; omnium, & annonæ militari reſeruantor. Inde annona militaris, Gallis, & Venetis, vnde ſeſe alere, & ſuſtentare queant, partibus æquis admetitor. Quod reſiduum fuerit, id Gallo, & Veneto, eatenus peræq; expenditor, quatenus ex præſcripto modo, & ordine ſatisfactum erit. Venetis in cuncta ditione Imperij Conſtantinopolitani omnibus honoribus, & dignationibus, ac poſſeſsionibus, idq; tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus, ius vtendi fruendi, vt ad eam diem fuerat, eſto. Itemq; commodè vtendi, fruendi, omnibus rationibus, ſiue conſuetudinibus ſcriptis, non ſcriptis, ius pariter eſto. VIViri Veneti, item ij; VIViri Galli, communi omnium voluntate eliguntur. Olli iurati, vnum aliquem ex his, qui in Exercitu, claſſe've ſunt, quem quidem iudicabunt omnium optimè ditionem Conſtantinopolitanam,

nam, & Imperium conſtituere, gubernare, tueri poſſe, ex pietate in Deum, ex dignitate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ex maieſtate deniq; Imperij, creanto. Quem vnum XIIViri communi iudicio declararint, eum omnes iuſtum Imperatorem habento. Sin verò hinc VIViri Galli, inde VIViri Veneti in aliam, atq; aliam ſententiam iuerint, ſorte variata, lectio dirimitor. Vtrum ſors deſignarit, eum iuſtum Imperatorem vniuerſi habento. ſin plures in vnum aliquem conſenſerint, eum ipſum Imperatorem accipiunto, quem maior pars legerit. Contra, ſi in plures ſententias, quàm duas itum erit, is, in quem maior pars conſenſerit, Imperator eſto. Quadrantem totius Imperij armis quæſiti Imperatori, præter Blachernæ Palatium, præterq; Bucaleontis, cedunto. Quod reliquus Imperij dodrans, Gallis & Venetis ex æquo diuiditor. Clerici. qui origine nationis, ab ea VIVirûm parte non fuerint, vnde erit Imperator delectus, jus, poteſtatemq; Eccleſiæ Cathedralis Sanctæ Sophiæ conſtituendæ, & ordinandæ, ſimul & Patriarchæ Conſtantinopolitani capiendi, ad Dei, ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ honorem, & Imperij maieſtatem, habento. Clerici, tùm Galli, tùm Veneti, illas Eccleſias, quæ ſorti ſuæ obuenerint, conſtituunto, & ordinanto. De poſſeſsionibus Eccleſiaſticis, tantum Clericis, & Eccleſijs, aſsignanto, vnde honeſtè, ac commodè viuere, & ſubſtentari, atq; ſacerdotio operam ſoluere poſsint. Galli & Veneti iureiurando adacti ex vltima præſentis Martij menſis die, reliquum annum continuum, & Imperium, & Imperatorem, ad Dei cultus honorem, & Sanctę Romanæ Eccleſiæ dignitatem, & ipſius Imperij maieſtatem, omni obſequio, & comitate obſeruanto. Qui in terris Imperij conſederint, ij ipſi ſacramentum, vti moris eſt, dicunto. Hi ipſi, qui terras Imperij incolent, vt modò dictum eſt, partitioni, quæ de rebus Imperij confiet, ſtare iureiurando aſtringuntor, partitionemq; perpetuò ratam, & ſanctam habento. XIIViri, pluresve de Gallis & Venetis delecti, & ijdem iurati, beneficia Imperij, ſiue feuda, munera, & honores, inter Gallos & Venetos diſtribuunto; ſimul ſeruitia, ſiue operas, quas ipſi Galli pariter, & Veneti Imperatori, & Imperio edere teneantur, ſicuti ipſius XIIViris, pluribusve ęquum bonum videbitur, imponunto & indicunto: Quæ feuda, munera, honores rectè, & ordine aſsignarint, ea quemq; fiduciarium clientem, ſiue vaſallum optimo iure poſsidere, tenereve iubento. Earum in hæredes, hęredumq; ſucceſſores mares, fęminas, ius tranſmittundi, omneſq; feudorum iuſtos arbitros, contractores, & pactores eſſe, & forе ſci-

re ſciſcunto; ſed Imperatoris tamen, & Imperij ſeruitiorum, operarum, & obſequiorum iure ſaluo. Imperator reliqua munera, pręter ea, quæ vaſalli, & fiduciarij clientes, qui feuda, & beneficia Imperialia acceperint, ex lege beneficiaria impoſita edent, de ſuo exhibeto, & præſtato. Neminem hominem cuiuſcunq; Ciuitatis, quæ cum Venetis, Gallis've, aut ipſorum ſucceſſoribus bellum gerat, antequam bellum pacificatione inter ipſos extinctum ſit, in Imperij ditione recipiunto. Galli & Veneti pedibus, manibuſq; conantor Pontificem Max. exorare, vt is pactis conuentis author eſſe, eiq;, qui conditionibus dictis, acceptis obtrectarit, nec obtemperauerit, Sacris interdicere velit. Imperator in partitiones, & traditiones ex formula factas iurato: eaſq; ſemper ratas, & ſacroſanctas habeto. Si quid ſupraſcriptis pactionibus addendum, adimendum've eſſe videatur, eius rei facultas, & arbitrium, penes Gallos & VI Viros Venetos, Conſiliarios, peneſq; Dominum Marchionem, eiuſdemq; VI Viros Conſiliarios eſto. Dominus Venetiarum Dux (quòd eius honore ſingulariter habitum eſt) de ſeruitijs, & operis nomine feudi, vel magiſtratus ipſi deferendi; Imperio Imperatori've Sacramentum ne dicito. Sin cui alij Dominus Venetiarum Dux feudum, honorem've tranſcripſerit, is nouus fiduciarius Cliens ſiue Vaſallus, ſeruitia, operas, obſequia communi conſilio iniuncta, ſoluere Imperatori, & Imperio iureiurando aſtringitor. Hæc verò tractata confectaq; ſunt in caſtris, ante ipſam Vrbem Conſtantinopolim Martio
MCCIV. menſe, anno à partu Virginis, quarto ſupra milleſimum & ducenteſimum. His rebus communi omnium conſilio compoſitis, ſanctiſsimoq; iureiurando confirmatis (quod more noſtro, præter capitis pęnam, Sacrorum interdictione concipitur) paribus animis celeriter ſe ad pugnam comparant, quòd ad certa præmia omnium laborum & ærumnarum proficiſcerentur, & eò vehementius Veneti, Baroneſq; velis & equis Vrbem capere conniti, ne ſupraſcriptis inter ſe pactionibus, prius quomodo victoria vterentur, quàm quomodo vincerent, ridiculè cogitaſſe viderentur. Claſſem igitur VI. Idus Aprilis ſumma penè quadrageſima, remigibus, militibuſq; & grandioribus machinis inſtruere, & vniuerſi naues conſcendere, commeatus diuidere in Claſſem, equoſq; hyppagogis imponere, atq; ita, vt ſingulæ equitum acies prout ante inſtitutæ erant, ſuis nauibus veherentur, quæ confertæ magis quàm raræ pro natura ſinus, & murorum munitionibus dirigebantur; ſic, vt naues ab hyppagogis, & Biremibus ordinem quæq; ſuum æquabilem & curſum tenerent, vt ſi vſus eſſet,
mutuo

mutuo ſuccedere, & ſibi opem ferre poſſent. mirificam verò è litore ſuſpicientibus mare directò, tria circiter ſtadia, nauibus conſtratum, iucunditatem ſimul & admirationem excitatam, Gallicis Commentarijs Villharduinus prodit. In ſequenti die, qui Veneris dies eſt, V. Idus Aprilis, Claſſe tota, vt imperatum erat, propius ad Vrbem mota, & ferè ad murum applicata, Biremes, naues, Hyppagogæ, iuſtis inuicem diſtinctæ interuallis, id ſpatium occupant, ſuperiore incendio deſolatum, quod ab Euergetæ monaſterio rectà ad Blachernium Palatium extenditur. Igitur Franci, & Veneti ſcutis validioribus, & amplioribus ſumptis, quò creberrimos ictus lapidum euitarent, pro animi impetu vix ſigno dato, prælium committunt, permultis in terram aſsilientibus; alijs, diuerſi generis ſcalas è nauibus, in ora defenſorum attollentibus, vt cominus ad manus veniretur, & enſibus res non incruenta, obſtinatiſsimis animis gereretur. Omnia hoſtibus pro loci natura opportuniora, & aptiora erant, quòd & muro facilè tegebantur, & è ſuperiore loco grauius in morem grandinis tela, ſagittæ, & ſaxa, fundis ſiue fuſtibalis dirigebantur. Accedebat, quòd integros defeſsis, pro tanta hominum copia, è propugnaculis facilè ſummittebant. Contra omnia noſtris incommodiora, quorum paucitas diuturnitate pugnæ fatigari, atq; è ſcalis regrediendi, non modò defatigatis, ſed ne ſaucijs quidem poteſtas vlla dabatur; ita aut caſu, aut hoſtis gladio pereundum. ſed hæc omnia incommoda virtus noſtrorum aliquantum ſanabat. cum ferè ex antelucano tempore ad Meridiem, centum locis continenter dimicaretur, noſtri æquo acriores, & parandæ laudis auidiores, ſiue merito, ſiue mentibus nimia feſtinatione impeditis, ab hoſtibus fortiter repelluntur. Nam Græcorum ex tota vrbe hìc ſeſe conglobantium ea fuit impreſsio, atq; is in Venetos, & Francos impetus, vt noſtri pauciores aduerſus multos, non diu reſiſterent, ſed tumultuoſiſsimè regredi cogerentur. Cęteri, qui de Biremibus, & Hyppagogis in litus ante vrbem inſilierant, & ad terram pugnabant, in naues ſe recipiunt. qua ex re hoſtibus ex ſucceſſu eius diei animus augetur, noſtris magnoperè afflictis, vix animus accepti incommodi ignominia ſuſtinetur. Itaq; Barones cum Dandulo Venetiarum Principe, Gallis Ducibus, & Trierarchis animo triſtes, ex claſſe in terram delati, in concilium poſt Meridiem in Diuorum Coſmæ, & Damiani templo, vbi caſtra habebant pro tempore, coguntur; conſultantq; de tanto incommodo maioribus commodis ſarciendo. Sperandum, fortunam non iniqua plerumq; manu, bona pariter & mala, inter mortales diſpenſare ſolitam,

tam, id Grecis non indulturam, vt ab ea inflicta clade diù lętárentur. par eis incommodum, & longè maius Venetos, & Francos ſua virtute allaturos. Proinde erigendos animos, & quicquid dedecoris fuiſſet admiſſum, noua virtute ſarciendum exiſtimarent. nonnulli huiuſmodi ſententiam dicere; alij, quà ad Meridiem in mare Vrbs vergit, experiundum; quòd ea ferè parte, muros laceſſente atq; abſumente vetuſtate, Vrbs minus certè munita eſſet. Dandulus, Venetiq; rei maritimæ inprimis gnari, oſtendunt eo modo naues Boſphoro ſecundo, & eo prærapido in Propontidem fluente, noſtris, ſi ea pugnarent, vix inhiberi poſſe auxilio remorum, quin infra Propontidem ferrentur. Nec deerant in Exercitu qui Claſſem aut rapiditate, aut aliquo vento, Propontide, & Helleſponto in Ægęum diſijci libenter vellent. Omnia tamen detrimenta vel luculenta, ipſis leuia fore, dum in Syriam maturius, quàm fortunatius traijcerent: quorum querela tam periculoſo tempore, æqua propemodum videbatur. Sed viri fortes, qui ijdem, & conſtantes, & patientes habentur, Fortunam rerum ſuarum mutationem magis, quàm euerſionem animo proſpiciebant, non ſibi nouos hoſtes oppoſitos, ſed vmbras verius quàm corpora, nec hos vnquam pedeſtribus pugnis collato pede, manum conſerere auſos, vtpotè ſuis viribus, & virtute diffidentes, ſed equis fugacibus fugaciores, ipſos ſibi curſu ſalutem petere: propterea nec Franco, & Veneto, de ſua virtute, tot rebus cognita, deſperandum, nec cunctandum, quin biduo poſt mari & terra, Vrbis oppugnatione intermiſſa, totis copijs pugnetur. Idcirco duos dies quieſcendum, vt equos & viros promiſcuè, ſumma laſsitudine defeſſos, curarent, & Claſſem inſtruerent: naues enim, quæ ſummi mali carcheſijs ſcalas habeant, binas ex antennis inter ſe colligatas, ſingulis turribus neceſſariò admouendas, quòd ſcalarum multitudinem, prout recens detrimentum docuerat, ſingulæ naues ex caueis, in ſingulas turres, pro defenſorum numero, non ita firmiter, & commodè ferrent, vbi prælium pari virtute, & rei naualis ſcientia iniretur: quibus rebus Francum & Venetum fama in cęlo poneret. Scire illos, à Gręcis ea die non viribus, non bellicę diſciplinę vſu, ſed loci opportunitate, & pugnantium numero ſuperatos, quòd aliquando locus prodeſſe magis quàm virtus ſolet; eoq; magnas gratias immortali Deo agere, quòd eos, quò cautiores faceret, eò diutius in vita commodis victoriæ, quam manibus tenerent, frui vellet. Dandulus interim Trierarchos, vetereſq; nauium præfectos, & claſsiarios, ad ſe in prætoriam vocat; ad eoſq; conuerſus, viros, inquit, alioqui ſemper fortes, qui multas, incom-

incomparabileſq; victorias ſecum Veneto nomini ſua virtute peperiſſent, paucis omnino verbis cohortandos videri; vt priſtinum ſpectatumq; bellicum vigorem ad animos reuocarent. in ijs enim ſe videre, quòd pigeret, puderetq; priſtinæ partæ laudis, paulò antè in fratricida Alexio Vrbe pellendo, memoriam penitus refrixiſſe, & inſolito metu obtorpuiſſe manus, vt non illorum inermium, vmbrarum verius quàm corporum vim, ſuo forti auſu vindicandam putarent. Quam ob rem, ſe ſeuerè iubere, atq; imperare, vt ad nouam parandam laudem, arma, atq; animos quamprimum parent: vt capiendæ Vrbe, & Veneti nominis exiſtimatione retinenda, aut opima cum Gallis ſocijs parta victoria, aut ſi id Superi nollent, honeſta ſaltem morte, famæ ſatisfaciendum cenſerent: quando ipſe nonagenarius ſenex, atq; idem cæcus, omnem vitandi dedecoris, & parandæ laudis rationem ipſa vita chariorem haberet. Proinde quicquid ad belli exitum fortuna aduehere, ſe Duce conſtantibus animis, in ſequentem biduum expectarent: aggreſſurum enim ſe vrbem mari, cum Baronibus, qua in anchoris ſtarent, admotiſq; ſcalis tormentiſq; omnibus, Conſtantinopolis mœnia quaſſaturum, ea mente, vt Deum, Diuoſq; omnes, quos ſuſceptis ritè votis propitiaſſet, ſibi, Comitibus, & Baronibus pro Chriſtiana pietate, & ſumma æquitatis cauſa aduerſus ſectarios, & à Romana Eccleſia diſsidentes, bellum gerentibus, proculdubiò defuturos non crederet. Victoriam profectò Deum, cunctoſq; Cęlites, pro quibus mox in Syriam, & Palęſtinam traiecturi, conſtanter pugnarent, haud dubio præbituros. Succlamarunt cuncti, paratos eſſe, omnia incommoda æquiſſimis animis laturos, vt egregiè pugnando, veterem ſpectatę virtutis opinionem non fallerent, & non Conſtantinopolitano modò Imperio, ſed & Hieroſolymorum Regno recepto, ſacroſancto CHRISTI ſummi Regis Sepulchro auidiſsimè potirentur. Ita, confirmandis ſuorum animis Veneti, Galliq; inſpiciendis machinis, & tormentis, parandis telis, integros dies abſumunt. Murtzuflus, ſecundo prælio ſuorum inflatus, erectiori in tumulo ad Pantepoptis Monaſterium, quà noſtris terreſtri parte aggrediundum erat, vt noſtrorum ingreſſus obſeruaret, Prętorium Auguſtorum more velis purpureis ſuperbè intendit; duoſq; ibi dies fuit. Id quod à noſtris animadſum, ſpem dubijs animis dedit. Tertia poſt die, pridie Idus Aprilis, qui Lunæ dicatus dies fuit, cum iam diluceſceret, noſtri ab omnibus rebus, vt edocti erant, quàm paratiſsimi, in anchoris conſiſtunt, eo exitu, vt roſtratæ ſibi per vices tripartito ſuccederent, onerariæ

verò naues, idoneo loco, ab roſtratarum lateribus ad anchoras conſtitutæ, ab excelſis ſummi mali carcheſijs opportunè rem gererent. Propoſitis ab Dandulo præmijs ſingulis, qui ſpectatæ virtutis facinus ediderint, Veneti Galliq; erectis iam tota claſſe machinis, ad pugnam ſe comparant, ſcalas, tela, lapides, ſagittas, haſtas, arcuferreas baliſtas proferunt; antennis naues inter ſe binas colligant; turres erigunt, vt ab omnibus rebus paratiſsimi eſſent. Iam Græci Duces nihil oſcitanter agere; omnia munia exequi; defenſorum maximum numerum, quorum copia ad manum ſuppetebat, in muris & turribus collocare; ſperantes ſe noſtros, vt ex remiſſa duorum dierum pugna, inopinantes aggredi, muros turreſq; conſcendunt: & certatim in ſubiectos vndiq; ſagittas, lapides, miſsilemq; Græcum ignem, tenaci flamma armis adhærentem, conijcere, ſauciare, ſternere: quum extemplò, ſigno dato, ad timpanorum, & tubarum ſonitum noſtri, ſicuti imperatum fuerat, terrifico apparatu omnibus locis nauibus erumpunt, & celeriter in hoſtem impetum faciunt, vt clamoribus maximè mirandum, ita ipſa impreſsione vehementiſsimum. Complures ſumma vi ſcalis in medias turres inuadere: quà ſcilicet turrium in nauibus excitatarum altitudo pertinebat, propugnatores Græcos obuios cædere, contis, miſsilibus, ſaxiſq; proſternere, turribus & muris in vrbem deturbare; cum Græci nihil interim ſegnes, nec iam terrore, ſed viribus & arte confligentes, proxima murorum parte, tantam vim ſagittarum omnis generis, telorum, verutorum, ſed maximè molarium lapidum ſubiectis nauibus ſuperfunderent, more fulminis quicquid percuſſerint diſſoluentes, aut irrumpentes; vt pugnatores ſimul & remiges his confixi, lapidumq; ictibus percuſsi, fatiſcerent. tot enim ex turrium culminibus tela, trunci, tigna, ſaxa, tegulæ iaciebantur, ipſis culminibus & murorum pinnis direptis, & demolitis, vt ſuperantium conclamatione ac cadentium gemitu cęlum penè ipſum conſonaret. Cæterum noſtris ad Meridiem iniquiore loco continenter pugnantibus, Venetis Aquilo tàm ſæuus & immoderatus, ſed à tergo ſecundus afflans, naues impulit, vt omnes ad Vrbis muros facilè accederent. Noſtri, felici benè vaticinantium Trierarchorum præſagio, tempeſtatem religioni vertere, ſeq; Deo charos eſſe dicere. quibus rebus, noſtris animus aliàs inuictus, diuina tamen ope facilius ad audaciam erigitur. atq; omnes antè ærumnas & detrimenta ferre ſtatuunt, quàm non ſecuturos vindicent. duæ naues, antennis inter ſe modò vinctæ, quarum vni Peregrinę, alteri Paradiſæ nomen erat, opportuna maris

iactatione fortuitò diſiunctæ, turri, quæ proximè Petrium erat, vbi cum ſuis Imperator pugnabat, duabus partibus applicantur: ac ſcalis, quæ in carcheſijs Peregrinæ excitatæ erant, rectà admotis turri accidunt. hanc tantam ſiue Diuini numinis bonitatem, ſiue occaſionem repentè nacti; hinc Petrus Albertus Venetus, inde Andreas Vrboeſus Gallus muralis coronæ decus promeriti, quum primi pinnas apprehendiſſent, turrim ingrediuntur, & vi capiunt. Hos tam illuſtres facti duces complures inſecuti, Græcos qui in præſidio erant, aut ferro necant, aut præcipites è turre agunt. Sed Albertus infelix, vt ſunt humanarum rerum caſus, non ita diu ea receptæ turris laude, honoreq; lætatus eſt. ab Equite enim Franco, qui paulò poſt eandem turrim intrauerat, pro Græco hoſte habitus, dum mutuo metu ignoti confertis manibus, vterq; vtrunq; hoſtem credit, lethaliter vulneratus, interijt: tanto omnium dolore (erat enim ex ſua maiorumq; ſuorum nobilitate, animo ad omnia belli pericula maximè impauido) ſed ipſius præſertim Franci Equitis indignatione, quod per inſaniam tantum facinus inſcienter admiſiſſet, vt & diu in claſſe lugeretur, & Francus Eques animi angore, niſi proximi Equites obſtitiſſent, penè ſeipſum interemerit. De tanti viri caſu fama ad Dandulum delata, optimus Princeps præſentibus Trierarchis, fortiſsimum Ciuem, virtutis nomine, publicè laudauit. Equites nauibus ſecundum rerum euentum ſpeculati, claſſe in terram appulſa, è nauibus omnes repentè emicant, ſcaliſq; admotis, murum maxima vi ſuperant. Turres quatuor eodem impetu audacter inuadunt, atq; ingenti cæde edita, potiuntur. Nauicularij, claſsiarijq; impreſsione, quanta maxima poteſt, onerariarum nauium, Biremium, celocium mari Vrbem adoriuntur. Ibi, maritimarum trium portarum effractis valuis, vt Vrbem tripartitò inuadant, Hyppagogis equos, quamprimum educere. In his equites vix ſederunt, cum rectà ad Pantepopti Monaſterium in vnius Murtzufli Imperatorium tentorium, quod edito in tumulo, ad Francorum caſtra, & Venetorum Claſſem conſpicandam conſtituerat, impetum faciunt. quibus irrumpentibus Murtzuflus, qui aciem pro caſtris continebat, quantas habebat copias, vt in extremo conatu neceſsè erat, haud cunctanter oppoſuit. Sed, cum intra Vrbem Venetos, & Francos diffractis maritimis portis peruaſiſſe, ferroq; ſibi in Vrbem viam feciſſe, & ab ijs Forum Conſtantini, & longè maximam partem occupatam fuiſſe cognouit, preſſus multitudine noſtrorum equitum adurgentium, ac iam deſtitutus omni ſpe, fatorum vim, non Gallorum virtutem

Digitized by Google

incuſans, maturè ſe recipit. Hoſtibus igitur ad paucorum equitum noſtrorum conſpectum in fugam conuerſis, magno Procerum Græcorum numero per continuas phalanges ad Blachernarum portum curſum intendente, cum noſtrorum vim terrefacti ſuſtinere non poſſent; Imperatore etiam ipſo Murtzuflo in Bucaleontis arcem altera Vrbis parte ad Meridiem, concitato equo profugiente, noſtri in Gryphones ſolos (ij ſtipatores, & ſatellites Auguſti erant) cum fortè incidiſſent, iram, vimq; Martis euomunt: atq; eos omnes, vel proſternunt, vel capiunt. Sed Francis defatigatio, noxq; iam appetens, finem cædendi attulit. Profligatis itaq; hoſtibus tanta clade, vt ea Vrbis pars muris proxima, Græcorum cadaueribus conſtrata videretur; noſtri equorum phaleratorum, mulorum, iumentorum, maximo numero, omniq; caſtrenſi inſtrumento, & Gaza facilè potiuntur. Deinde ad Conſtantinianum Forum, quod antiqua Vrbis regionum deſcriptio Placotum appellat, vniuerſi coacti, quòd opulentiſsimam, & copioſiſsimam Vrbem vix menſe ipſo capi teneriq; poſſe confiderent, ſole præcipitante deſcendunt, caſtraq; pro muris turribuſq;, quas vi ceperant, opportunius locant. quippe quę claſsis commodiora faciebat, quam propè in manibus habebant. Balduinus Comes ad Pantepopti Monaſterium, in vacuo Murtzufli tabernaculo purpureis velis intento, fato quodam conſedit. Id omen futuro Imperatori fauſtis acclamationibus benè vaticinans miles vertebat. Eius verò frater Henricus pari felicitate proximè pro Palatio Blachernarum tendit. Bonifacius Monferratenſis, cum ſuis clientibus, & familiaribus celebriore, & interiore Vrbis parte, collocatur. Ita Vrbs Conſtantinopolis omnium ea tempeſtate potentiſsima, vt, quæ totius Orientis caput eſſet, & domina, pridie Idus Aprilis, qui Lunæ dictus eſt dies, anno à partu Virginis quarto ſupra milleſimum ducenteſimum, à Venetis, & Gallis capta, fidei iuriſiurandi, religioniſq; violatæ pęnas dedit. In quo, licet Deum Opt. Max. omnis ſceleris, præcipuè verò impietatis, ſerius, ocyus, vindicem cognoſcere. Ludouicus Comes Bleſenſium, & Carnutum, Eques incertum bellicoſior an ſapientior, per quartanam expugnationi adeſſe non potuit; in quam ſuperiori Autumno eius cęli inſolens inciderat, vehementiuſq; quàm periculoſius iam totam hyemem in Hyppagogis ægrotabat. Noſtri prælio defatigati, ne à Gręcis qui in Vrbe erant, auxilijs accerſitis, tumultuario adortu in tenebris intercepti trucidarentur, per loca ſaltuoſa equitibuſq; parum commoda, noctem ſine tabernaculis, abſq; victu vllo ſub dio, ſumma ſuâ

ſo-

ſolicitudine, ac militum labore agere, & paululum quieſcere. At Murtzuflum, ne punctum quidem temporis à metu reſpirare, ſiue ſua in dominum impietas, & in omnes iniuriæ, ſiue ſupplicij à Francis formido non ſinebat. Omnibus igitur rebus ad fugam neceſſarijs clam præparatis, oſtendit ſe prima luce omnibus copijs, tanquam ſupremo conatu, hoſtem inuaſurum. Sed hæc magnifica oſtentatio, quo recaſura eſſet, acie præſertim languidius conſuetudine luſtrata, Græcos ſagaces pariter, ac timidos non facilè fugiebat. Itaq; omnes ſibi conſulere, & fuga ſalutem quærere, diuerſiq; in omnes partes dilabi, & latitare. Imperator Murtzuflus, Francorum, & Venetorum virtutem, amplius valere, quàm Græcorum multitudinem, ſupremo diſcrimine edoctus, animo repentè deficit. Itaq; attonitus, & planè vecors, rebus omnibus perditis, & conclamatis, totus deformem in fugam verſus, Eufroſinam fratricidæ Alexij Tyranni vxorem, & eius filiam Eudociam, cuius amore tenebatur (erat enim homo libidinoſus & ſalax) ex magno Palatio properè lembo imponit; ipſe clàm noſtris, quàm remotiſsima poteſt, Aurea terreſtri porta, intempeſta nocte clanculum fugit: diffugientibus vndiq; Græcorum cohortibus ſummo ſilentio, citatoq; agmine, vel intempeſta nocte, ſeſe continuò Vrbe eripientibus. noſtris interim paulîſper quieſcentibus, nec eius fugæ gnaris. Ita Alexius Ducas Murtzuflus Imperio, atq; Vrbe exceſsit, cum duos menſes, dies ſexdecim imperaſſet. Vir profectò ſæuitia, ac perfidia ſua, deterrima quaq; ſorte, vltimoq; ſupplicio dignus. Ea ipſa nocte, neſcio qui noſtrorum repentinas Græcorum incurſiones veriti, ſecundum Bonifacij Marchionis tabernaculum partem Vrbis interiectam, quæ ad Orientem vergit, incendunt: igne noctem, atq; inſequentem diem in veſperum depopulante. Vrbana igitur interiora tecta ab Euergetæ Monaſterio, & ea, quæ ad mare inclinant, vſq; ad Drungarij ædes conflagrarunt. Græci qui in Vrbe manſerant, flammarum ſtrepitu exciti, ædificiorumq; cadentium fragore, vt ſe Murtzufli fuga deſertos vident, alienata penè mente vix incendio elabuntur, hinc fumo conſpectum eripiente, illinc flammis fugam impedientibus. Hoc tertio loco, incendium à francorum obſidione, noſtri vates religioni habent. quò, vt aurum igne, ſic Græcorum de Deo Opt. Max. deq; Diuinis rebus perſuaſio, vel ipſis inuitis, purgatior tandem haberetur: Huc enim Franci, & Veneti cum falcibus emiſsi, Vrbem pridem ſenticoſam Pontifici Romano maximo aperuerunt. Eo namq; incendio, tot domos abſumptas Villharduinus teſtatur,

quot

quot tribus, vel opulentis Galliæ Ciuitatibus pares eſſent. Barones, quos iam tum fuga Murtzufli Imperatoris fugiebat, prima luce Idibus Aprilis, acies exornant, & ſeſe ad inuadendos hoſtes comparant. rectaq; quà ipſum conſiſtere putabant, acie dimicaturi: Vrbe propugnatorum Vacua vexillum inferre, & ſub ſuis quiſq; ſignis incedere iubent. Interim Bonifacius, qui hoſtem Murtzuflum, deſperatis rebus, nec effugiſſe, nec Auream prætergreſſum terreſtrem portam, in Thraciæ montes maximis itineribus properare certius didicerat, exorto ſole rectà per mediam Vrbem in equo Bucaleontem verſus, explorat. Caſtellum, & Caſtellanos Bucaleontis, qui ſalutis ſpem in eius clementia collocarunt, in deditionem redigit, omni Gaza, & veſte captiua, in Caſtello cuſtodiæ relicta. Huc Agnes, Philippi Regis Franciæ ſoror, Alexij Porphyrogeniti, Manuelis filij Conſtantinopolitani Imperatoris Vidua, poſtmodum Andronico Imperatori ſecundò nupta; huc, Margarita Regis Hungariæ ſoror, Iſaacij Imperatoris vidua, compluresq; primariæ fęminæ ad captæ Vrbis nuncium confugerant, & vnà cariſsimarum rerum ſarcinas comportarant. Eas Monferratenſis comiter ſuſceptas, ea fronte excipit, vt nihil captiuis inſultaret, ſed & metu ſoluit, & honore præcipuo habuit: tanta, in militaris hominis pectus manſuetudo, & continentia inceſſerat. Alia parte Blachernani, Henrico Comitis Balduini fratri deditionem, pacta tantum ſalute, faciunt; non minori Gaza & veſte captiua, quàm in Bucaleontis palatio fuerat, Blachernis relicta. Vtriq; Caſtello præſidio firmo, & fideli impoſito, qui theſauros ſimul, & Caſtella cuſtodirent. Equites pediteſq; prædæ cupiditate alacres, momento temporis tota vrbe ſparſi, quod opulentiſsimam Vrbem prædæ ſuæ deſtinatam viderent: Siquidem per quos Imperator vicerit, iiſdem multa contra fas, ac leges, quas victoria natura contumax, & tumultuoſa vix audit, indulgeat neceſsè eſt. Quantum auro, argento, ære, infecto, facto, ſignato, ſtragula veſte, panno ſerico villoſo, abraſo, ſubſerico, gemmis, margaritis, pretioſis lapillis, ſupellectile: ac quanta deniq; rerum omnium copia ſeſe ditarint, dici non poteſt. Quæ quamuis maxima ſit, nunquam tamen quod peculiare vitium omnibus in caſtris eſſe conſueuit, militaris illa ſitis expletur. Refert Villharduinus Mareſchallus, qui prædas præſens conſpexerat, nullibi vnquam tantum prædarum reliquo orbe actum. quandoquidem Vrbs ſitus opportunitate, agrorum fertilitate, maritima opulentia, omnium Orientis ditiſsima per LXXXX. fermè annos, Auguſtorum ſedes, Imperij Metropolis & caput,

put, diuturniſq; maritimarum nauigationum commercijs locupletata, in immenſum diues, opimas omnis generis prædas ſuppeteret. Quibus rebus confectis, Veneti, Franciq; arbitratu ſuo, quòd victoriæ licentia dabat, paſsim hoſpitantur. Epiſcopi, cum reliquo Clero in infulis, victoriæ ergò ſupplicationes longo ordine ad Diuę Sophiæ templum ducunt, quòd omnes ex afflicta fortuna in beatam repentè perueniſſent. Barones, Danduluſq; comitantur: &, qua erant pietate, & in Deum cultu, victoriam Deo acceptam referre. Marię aras, Diuorum templa venerari, gratias agere, vota ſoluere, nihil Venetus, nihil Francus miles, eques, nobilis, ignobilis omittere, quòd ad declarandam lætitiam, nihil Dandulus, & Barones, quod ad gratitudinem erga Deum, Diuoſq; teſtificandam pertineret. In caſtris iam victoriæ certi, feſta omnia agere, conuiuia parare, publicè priuatimq; lætari: omnia victoris gratulatione, & gaudio celebrantur: itemq; victi luctu, ac dolore mixta agebant. Ita, læti vtrumq; Paſcha, & Palmarium vocatum, & ſolennius CHRISTI Domini reſurrectione fauſtum, & ſalutare, VII. Kalen. Maij, maximum Paſcha vulgò dictum, agunt. de Francis, Venetiſq; hominibus ſuum cuiq; iudicium relinquam liberum, dum ęquos iniquos iudices hoc vnum moneam, Gallos, & Venetos, ex omnibus quotquot in Exercitu, & Claſſe ad Conſtantinopolim fuerunt, vix ad viginti millia numero fuiſſe, qui arma ferrent, vt quò diligentius res geſtas cum animo meo reputo, eo conſtantius hanc palmam, non hominum, ſed Diuini numinis potius fuiſſe prædicem. hęc enim veritas extat, captos (vt cæſos omittam) quater centena amplius millia, in Vrbe Orientis eo ſæculo longè munitiſsima, rebuſq; omnibus ornatiſsima. quorum fidem perlocuples teſtis Villharduinus, Gallicis Commentarijs facit. Bonifacius Monferratenſis, penes quem militaris Imperij poteſtas erat, Barones item, Danduluſq; edixerant, vt quod quiſq; Vrbis direptione prædatus fuiſſet, ſine fraude in ampliſſima tria Vrbis Delubra comportaret: Franciſq; & Venetis cuſtodibus, ei rei delectis, vt imperatum erat, traderet. Delubra, conſtitutis cuſtodibus, decernuntur. Edictum Bonifacius capitis pęna, Epiſcopi Sacrorum interdictione ſanciuerant. Sed nulla lex, ſatis vnquam auaritiam contagionibus virtutes omnes labefactantem, & violantem domuit: cum cætera vitia, ſuum quaſi lutum, in quo voluentur, habeant: hæc vna, infinitis criminibus implicatur. Animus per ſe continens fit & abſtinens, neceſſe eſt. corpus enim legis, tanquam manu, teneri poteſt: animus auarus, non poteſt. In caſtris,

qui

qui ad eam diem continentes, nullis criminibus noxis've implicitì fuerant, Deo chari & accepti, ſupremi numinis bonitatem ſenſerunt; ijdem mox exitiali, & monſtruoſa auaritiæ labe corrupti, ne ſuis maleſitijs diutius exultarent, vltore magno Deo pęnarum ſatis ſuperq; dederunt: multis magniſq; detrimentis diuinitùs eorum culpa in Exercitum poſtea immiſsis, quæ bonos maloſq; pariter affliᶜtarent. Vt verò verius dicatur, bonos ſæpè malorum culpa vexari. Præda, manubijſq; Veneto, & Gallo, per XII Viros à Venetis, & Gallis datos æquis partibus diſtributis, quoniam duplex genus Centurionum, in Gallica militia, alij pedibus, alij equò mererent; in commodorum perceptione duo Centuriones pedites, vnius equitis loco cenſebantur. duo Centuriones equites, vnius Catafracti equitis loco: eo pacto, res captiua, quæ modò in medium collata fuit (nam pars maxima furto ceſsit) vt conſtitutum fuerat, ſingulari æquitate diuiditur. Inde Gallus argenti pondo quinquaginta millibus Veneto ſolutis, ſibi tamen reliqua centum millia argenti habuit. Nuſquam meliori fide inter vllos actum. ſiquid contra Edictum ab aliquo commiſſum fuit, id prędonum auaritia factum eſt. Peculatores, fures've deprehenſi, aut conuicti, reſte ſuſpenſi pęnas dederunt. Comes quidem Sancti Pauli Vgo, equitem furem de ſuperiori loco ſuſpendi, ſcuto è collo pendente iuſsit: reliqui equites, aut milites, ſummi infimi, qui furtum feciſſent, quòd ad Baronum aures non veniſſent, impunè præteriti. Quæ tota res à Villharduino commemorata, vt maiorem lucem accipiat, quòd omnibus ferè Venetorum annalibus, ſed Andreæ Danduli Ducis, qui poſt Henricum circiter annum CHRISTI MCCCXLIII. Principatum adeptus eſt, præſertim hiſtorijs enucleatius prodita eſt, quæ Venetos hęc ad poſteritatis memoriam curioſius notaſſe commonſtrant, à nobis fuſius huic hiſtoriæ mandabitur: quandoquidem Vir Clariſsimus Aloyſius Michael M. Antonij doctiſsimi Senatoris filius, ex paterna bibliotheca vetuſtiſsimum eiuſdem Danduli Principis hiſtoriarum Codicem manuſcriptum, & luculentiſsimis Michaelis patris annotationibus illuſtratum, ſuperioribus annis nobiſcum communicauit. Igitur tres ſocij prædarum, ac manubiarum, ſicuti fidem eadem Danduli hiſtoria, atq; annales faciunt, Imperator futurus, Venetus, Francus, ipſam Vrbem Conſtantinopolim, cęteraſq; res Imperij, in octo vncias diuiſerunt, duæ futuro Imperatori pactæ, tres Veneto, tres deinceps Franco. Ita, aſſe in octo vncias diuiſo. Imperator futurus duas vncias, Francus tres, ſic Venetus alteras tres vncias aufert.

Hic

Hìc tamen exponemus tantummodò rerum mobilium, & mouentium partitionem, & quæ Dandulo obuenerint; de rebus ſoli, ſuo loco, ſicuti à Villharduino contexitur, amplius dicturi. Prędarum igitur, & manubiarum nomine quoniam intelliguntur (id quod vulgò notum eſt) mobilia & mouentia; in mouentium portione Veneti (quæ prima fuit partitio) cenſentur equorum, iumentorum, mancipiorum multitudo longè maxima. Præterea de mobilibus, auri pondo ad decem millia: argenti, ad quinquaginta: veſtis ſtragulæ, ac ſericæ, & ſupellectilis magnus numerus: ſerici infecti, pondo infinitas: pellium item quantiuis precij ingens copia: poculorum ex auro, argento, ære, gemma, & toreumatum, quæ tot Orientis Imperatores, ex immenſa illa opum amplitudine reliquerant, vis maxima. Vaſa præterea, & crateres ex auro & gemmis, adornamentum multorum abacorum. Nam præter innumerabilia, quæ veteris Sacrarij incendio MCCXXXVIII. Iacobi Theupuli Ducis tempore conflagrarunt, hodie quoq; quamplurima, atq; in his nonnulla Murrhina CN. Pompeij, de Regibus Mithridate, & Tigrane victoria, & triumpho nobilitata, inter ſacros theſauros ſpectantur. Scyphi pręterea, calices, phyalæq; iuſtæ magnitudinis ex Callaide gemma, à colore Turchinam hodie vocant, Iaſpide, & purpureo Amethiſtino lapide, illuſtrium artificum ſcalpturis nobiles: fundo arabicis, vt videre licet, caracteribus cælati. Inſuper, complurium Auguſtarum ornatus, & geſtamina, & ea aurea, quæ pectus amiciunt, ad pompam gemmis, innumerabilibuſq; vnionibus exornata. Coronæ ſolido ex auro permultæ margaritis diſtinctæ, quę nummario precio vix extimari poſſunt. Super hęc, bullæ & annuli, quorum in palis gemmæ, & maximi precij lapides incluſi. viſuntur enim prægrandes Smaragdi, & eximij ponderis Carbunculi pinnato fulgore radiantes: qui in maxima Ara Marciana ſolennibus ſacris, vel vmbrante tecto ſublati, liquidioribus flammis ſcintillant, atq; acriter exardeſcunt. Saphiri præterea miræ magnitudinis, Topazij, Gryſolithi, & Hyacinthi. quarum rerum dactylothecam Auguſtorum refertam, victores compilarunt. Hodie meliori conditione, Ædis Marcianæ Procuratoribus cura demandata, Diui Marci Gazophilacio (theſaurum vulgò appellant) dedicatæ. Statuarum quoq; ſimulacrorum, & tabularum ingens numerus. Equi ænei quatuor affabrè facti; rarum opus & perantiquum, quos ex Circo detraxerant: Hyppodromum Græci dicunt, qui iuxta antiquam Byzantij deſcriptionem, in tertia Vrbis regione fuit. vbi alij permulti eximij operis, mar-

R morei,

morei, & æreí equi incuruis ceruicibus luxuriantes, ad Romanę magnitudinis exemplum, ſuperbis fornicibus inſidebant. ob artificis præſtantiam ab omnibus expetiti, & per maria, ac terras, vt pedum fractura indicat, vltro, citroq; inſanis Regum ſumptibus toties deportati. nam Conſtantinus magnus, artificio, ac nobilitate pellectus, de Traiani vetere arcu ab ſe Romæ euerſo & diruto, equos ſuſtuliſſe dicitur, ſuoq; arcui impoſuiſſe, quem de Maxentio Tyranno ad Miluium pontem profligato, mollem dicunt, Corinthio opere iuxta Palatini collis dorſum, inter curiam veterem, & Amphytheatrum, quod Coloſſæum vocant, erectum conſpicimus; iiſdemmet quadrigis cum ſole inſidente ſcalptis, aliiſq; trophæis, & rerum geſtarum inciſis monumentis inſignem. In Traiani porrò arcum ex Domitiani arcu auulſos, & ad operis ornamentum illatos ferunt: ab eodem Domitiano, antè de Neronis arcu demolitos: quum eos Nero ex Auguſti arcu detractos, poſt Auguſti mortem ſibi vendicauerit. Sed mox Byzantium Conſtantinus profectus, circiter annum CHRISTI CCCX. quadrigas egregiè factas ex arcu ſuſtulit, & cum reliqua ſupellectile Imperatoria in Thraciam deportauit; eodem tempore, quo & Porphyreticam ingentem columnam cycloterem, ſtatuarum, ſignorumq; ac ſimulachrorum omne genus, vel ex ære, aut marmore, omnibus Europæ, atq; Aſiæ Vrbibus nudatis, è vetere Roma in Orientem, ad Vrbis de ſuo nomine ornamentum, deuexit. Eaſdem ab Auguſto annis ferè CCCXXXVI. ante Conſtantini diſceſſum, cum Orientis domitor, Antonio & Cleopatra Alexandriæ victis, ex Ægypto, Aſiaq; in ſuam poteſtatem redacta, triumpharet, nempè annis XXXVII. ante CHRISTVM natum ex Alexandria Ægyptiorum Regum ſede, Romam (ſicuti ex Heliopoli obeliſcos) aduectas memorant: Ciuibuſq;, & ſignis militaribus à Parthis recuperatis, arcui demum impoſitas, quem ipſi Auguſto Orbis totius toties triumphatori, paciſq; reſtitutori æternæ, Senatus decreuit. Quidam artificem Lyſippum commemorant, equoſq; ad ſolis quadrigam in Rhodiorum gratiam, vel vnius nobiliſsimo Plinii teſtimonio fabrefactos. numi veteres certè aurei, vel argentei diuerſi generis, Auguſti primùm; mox Neronis ænei; Domitiani poſtmodùm; dehinc Traiani has ipſas quadrigas, currumq; & aurigam, trium fermè ſæculorum ſpacio, ab Romanis Principibus æmulatione operis, inuicem raptas atq; arcubus impoſitas, poſteriore æris parte luculenter repræſentant. id quod etiam vir Clariſsimus Sebaſtianus Ericius Senator Venetus, elegantiſsimo numorum veterum commentario teſtatur. Sed

à Ve-

à Venetis cum præda reliqua in Vrbem victricem tranſlati, meliorè quàm vſquam loco, hodie omnium quæ in Europa ſint nobiliſsimum opus, ſed amoto aurigario ſpectantur Venetijs in ſummo Diui Marci propilæo ad Occidentem Solem, præclarum Imperij, quod Reſpub. poſtmodùm adepta eſt in continente, præſagium: & eodem quo Romæ, ac Conſtantinopoli, alacri ſtatu prominentes, omnibus admirabiles, aureæ Ædi Marcianę non mediocre ornamentum afferunt. Adhęc ſanctioris notæ res. ampulla, ſeu vaſculum ex chryſtallo, Domini omnium noſtrum ſoteris CHRISTI ſanguinis, qui Berythi ex eius imagine ab Iudęis confoſſa, ſingulari miraculo manauit, Athanaſij libello, & II. Niceni Concilij teſtimonio valdè nobilis. Is ſanguis, cum non minori miraculo, Marciani veteris Sacrarij, quod diximus, incendium MCCXXXVIII. diuinitus euaſerit, hodie Venetijs in Marciana Æde, loco religione ſanctiſsimo, Sanctuarium dicunt, quod nobiliſsimo opere introrſus præditum, ſanctiore templi parte, æternis ignibus ante fores conſtitutis, Diui Marci Procuratorum diligentia, & religione ſeruatur. Eum locum nimia iam vetuſtate collabentem, templi Marciani Procuratores, Leonardus Mocenigo, qui Ioannis Ducis filius fuit, idemq; Aloyſij qui nunc diuinitus Reip. prȩeſt Auus, Collegȩq; Paſchalicus, Lauretanus, Superantius, Leonus, Priolus, Legius, Piſanus, Capellus, Grimanuſq; Andreæ Griti principatu, Luculenter exornato veſtibulo, reſtituerunt; atq; aditum in quo gemmȩ Reip. aſſeruantur, concinnauerunt. Porrò autem ipſe ſanguis ſacroſanctus nunquam ex adytis, niſi Dominicæ Cȩnæ ſacratiſsima nocte magnæ hebdomadis, & ea quæ Domini Aſcenſionem prȩcedit, de ſecunda vel tertia vigilia, ingenti concurſu ex tota Ciuitate in Ædem facto, maxima veneratione depromitur. tum quoties profertur, quamplurimis accenſis funalibus (ita enim mos traditus) Marcianæ Ædis Canonici, & Procuratorum vnus, venerâbundi circumſiſtunt, & cum cȩteris Sacrarij Reliquijs, ex ſacra concione procumbenti palam populo, ſolenni cȩremonia oſtendunt. Eum ſanguinem mihi genu innitenti, ex ipſo chryſtallo intra Sacrarij aditum inſpicere per ocium licuit, & contemplari: ac quod ſummæ felicitatis fuit, ſacroſancti vaſculi pedem chryſtallinum exoſculari. tribuit enim hoc mihi ſingularis beneficij loco, Mȩcenas olim meus Franciſcus Contarenus, Zachariæ Equitis F. ipſius Ædis Marcianæ Procurator, Sacrarij Prȩſes, & Senator perilluſtris, fore illud aliquando arbitratus, vt dum ex Villharduini Equitis Franci Commentarijs hiſtoriam belli Conſtantinopolitani contexeremus, quorum ille

Commentariorum peruetuſtum Codicem Gallica conſcriptum vetere lingua, veneranda facie, & literis propè cadentibus exaratum, aliquot ante annos ex Belgio ad Carolum V. Reipub. Legatus, in patriam retulerat, huiuſce ſacroſancti ſanguinis Berythenſis miraculi, cæterarumq́; Reliquiarum, quas Dandulus Conſtantinopoli cum reliqua præda ante trecentos quinquaginta annos in Vrbem miſerat, mentionem, ad Veneti nominis decus, ſed ad ipſius potiſsimùm Marcianæ Ædis gloriam, faceremus. Inter ſacras igitur res, quę ex Conſtantinopolitana prędа Dandulo obuenere, pręter ampullam ſanguinis Berythenſis, trunculus viſitur ligni Crucis Domini, quem Diuo Conſtantino in prælium eunti, præferri ſolenne erat; ab Græcis Auguſtis, qui poſt Conſtantinum imperarunt, ſummo ſemper honore, ac religione habitus, eiuſdem Sacrarij conflagratione inuiolatus receptus. Clauus vnus ex ijs, quibus Christvs Dominus Cruci affixus, quem idem Conſtantinus in bello ad conum galeæ, nobiliſsimarum criſtarum loco religiosè geſtabat. Spina item de eiuſdem ſummi Regis Corona decerpta. Nam reliqua corona, Imperatoriæ partis fuit, & Conſtantinopoli à Latinis Imperatoribus ſummo cultu habita; quam annos fermè ſexaginta poſt, Balduinus eius nominis II. Latinorum autem Imperatorum poſtremus, Ludouico Francorum Regi, qui poſtea in Diuorum numerum relatus eſt, in Galliam dono miſit. eo fortè tempore, quo idem Balduinus ſexageſimo ferè anno, quàm à Latinis imperari cęptum fuerat, amiſſa Conſtantinopoli, & à Michaele Palæologo per proditionem recepta (Chier Michalim appellabant) opibus atq́; potentia exhauſtus, vtpotè omnium templorum donarijs ablatis, cunctos Europæ Reges adijt: nec quiſquam præter Ludouicum Francorum Regem, ſuppetias tulit: quum Blanchæ matris precibus magnam ſignati auri vim, & nauales, terreſtreſq́; copias, liberali ſtudio contuliſſet. Id immortale beneficium, vt gratiſsimo animo coleret Balduinus, repigneratam coronam Ludouico Regi, tanquam vnum omnium ampliſsimum munus, liberaliſsimè donauit. eam hodie Lutetię Pariſiorum in ſacello Regio, quod Sancta Capella dicitur, vnà & lanceam, & ſpongiam Dominicæ paſsionis inſtrumenta, ſtatis diebus, accenſis cereis, adeunt, & omnes reuerenter exoſculantur. Sed vt ad Venetos reuertamur, ceſsit præterea fragmentum columnæ, cui deligatus Christvs Dominus, & flagris cæſus; in eiuſdem Marcianæ Ædis Sacrarium illatum. Nam maius fragmentum, quod ad Aram maximam XVI. Kalend. Maij, die Diuo Iſidoro ſacra, ſolenni cęremonia ſiſti-

tur

tur. quod perimetrum habet trium circiter pedum, noſtro æuo à Franciſcanis Monachis Sepulcro Hieroſolymitano ſacris, Laurentio Priolo Duci, & Senatui dono miſſum. ex Porphyretico lapide, vtraq; fragmenta conſtant. Vincentius Fidelis affinis noſter, & à ſecretis Reipub. de Bonifacio Stephano Epidaurio, Montis Syonis Guardiano, nunc Stagni Epiſcopo, atq; ijſdem Franciſcanis Monachis, fragmentum maius ex Palæſtina Venetias attulit; anno ſalutis M D LVIII. quum Sacroſanctum CHRISTI Sepulchrum veneraturus Hieroſolymam acceſsiſſet: ſub id tempus, quo in Cypro Inſula exacto magni Cancellarij munere, in patriam reuertebatur. Inſuper in partem ceſsit, brachium Diui Gregorij Martyris, vnà & portio capitis Diui Præcurſoris Ioannis Baptiſtæ, quod olim Theodoſius maior in ſuburbijs Conſtantinopolis, templo ad hebdomum excitato, è Coſlao Vico trans Boſphorum, Pantichio Chalcedonis proximo, quò Valente imperante, ex Cilicia Conſtantinopolim Diui eiuſdem caput delatum fuerat, ad Vrbem tranſtulit. quæ Reliquiæ ſumma ſanctimonia colendæ, Venetias importatæ, & in Marciana Æde ad omnium venerationem, & victoriæ monumentum, Danduli iuſſu ſtatutæ ſunt. ſed Præcurſoris præſertim, non minori Ædis ornamento, quàm ipſius Ciuitatis lętitia, erga Diuum ob multitudinem miraculorum amico animo, iampridem affectæ. quandoquidem eius Diui dextra, ea dico, quæ CHRISTVM Deo genitum, atq; ipſum Deum ad Iordanem amnem Baptiſmi lauacro reſperſit, aliquot ante annos in Diui Hermachoræ, & Fortunati Æde Canaregij regione, aureo tabernaculo, ſumma Ciuitatis religione aſſeruaretur: quę vna omnium Reliquiarum quę in Vrbe ſunt, in publica cęremoniarum pompa, ſub vmbella hodie circumfertur. Imago præterea Diuæ Mariæ peruetuſta in tabula, quam ſuperiùs Alexio Ducę Murtzuflo, ex inſidijs noſtros inuadenti, in pręlio vnà cum curru, quem illi Carrocium vulgò appellabant, ademptam fuiſſe memorauimus, cum in partem ceſsiſſet, Veneti in Vrbem aſportarunt: tanto monumento, tantam Vrbem ornaturi. Eam Auguſti, quoties Exercitum Conſtantinopoli educebant, ſalutare ſignum Gręcorum, ſub vmbella præferebant. Quin & hodie quod pluribus miraculis illuſtrata, in Diui Marci accenſis cereis, ac thure, ſtatis diebus Deiparæ Virginis, eximia veneratione colitur, ſupplicationibuſq; circum Marcianam aream, ſolenni cęremonia circumfertur. Diui Lucæ opus ferunt. Obuenere etiam inter res ſacras, Diuarum Agathę, & Luciæ corpora; quæ ex Sicilia ducentos ante annos Baſilio Porphy-

phyrogenito, & Conſtantino fratre imperantibus, Siciliam tum Salentinoſq; obtinentibus, Conſtantinopolim aduecta fuerant, Diuæ Luciæ corpus Venetias miſſum; Agathę verò Siculis, quibuſdam pijs viris rogantibus, Danduli munere libenter donatum. Sed cum Diuæ Luciæ corpus multos annos repoſitum fuiſſet, apud Abbatem Diui Georgij, in Inſula è regione Ducarij Diuo Georgio dicata, quæ Ducalis ædes olim erat, & velut in ditione Veneti Principis, cum dicendi Abbatis ius illi eſſet, omnibus ornamentis à Principe honeſtabatur: inde in Vrbem proprio Delubro cum ſacratarum Virginum domo, de eius nomine erecto, deportatum fuit: eius tantum Diuę brachio, quod hodie viſitur, Diui Georgij Sacrario ob exoſculantis Archimandritæ miraculum relicto. quo tempore Diuorum Symeonis, qui CHRISTVM Dominum ſenior in vlnas accepit, & Ioannis cognomento Eleemoſinarij Patriarchæ Alexandrini corpora, per Venetos Ciues æmulatione religionis, ſumma pietate in Vrbem aduecta. illud, ex Sacello Deiparæ, quod Sophiano templo, accubat, Andreæ Balduini, & Angeli Druſenti, Virorum pietate inſignium opera & ſumptu; hoc Raynaldi Danielij quorum alterum, in Diui Symeonis cognomento magni Cruceia regione, Æde eius cognomine; alterum in Diui Ioannis Baptiſtæ ad Brachoram Caſtellana regione ritè honoramus. cui etiam ſua Ædes in Riuoalto dicata, & conſecrata fuit, cum vetere turre valdè eminenti, quę Ædi accubat. ea Ædes Veneti Ducis juriſdictioni, prout proximum Diui Iacobi templum à priſcis Venetæ Vrbis conditoribus erectum, ſubiecta. quo templo, nihil antiquius Venetijs habemus: vt potè, quod in ipſo naſcentis Vrbis primordio, ex voto ædificatum fuerit; & ingenti Riuoaltino incendio patrum memoria, Chriſtianæ ſalutis anno M D XIIII. circum ambuſtis lateribus, ope numinis intactum. vtriſq; Dux ex antiqua prerogatiua Flaminem dat. ſed Eleemoſynarij templo, eodem Riuoaltino incendio abſumpto; alterum inſigniore poſtmodùm apparatu, Andreæ Griti inclyti Ducis Principatu, cum reliquis Riuoaltinis porticibus, atq; ędificijs reſtitutum. Floruit Eleemoſynarius, ne hoc quoq; prætermittamus, Alexandrię poſtremus Patriarcha, eo ferè tempore, quo Heraclio imperante Vrbs Alexandrina tàm nobilis quàm fide in CHRISTVM memorabilis, circa annum CHRISTI DCXIX. à Sarracenis fœdo hominum genere recepta eſt, ac Ægyptij Sulthani imperare cœperunt: biennio antè quam impurus ille & ſceleratus Mahometes delirij ſui leges daret: anno ſcilicet Chriſtianæ ſalutis exacto DCXXI. à quo tempore,

re Arabes Mahometanæ ſuperſtitionis annorum initia computant. Sed Ioannes, doctrinæ fama apud omnes gentes celeberrimus, quum ex humanis exceſsiſſet, ob maximas in pauperes largitiones, Eleemoſynarij nomen, quod in hanc diem durat, ſortitus eſt. Cęterum Ciuitas III. Nonas Februarij ad Brachoram frequens quotannis, & templum & Diui loculum ſupplex inuiſit. Quo datur intelligi, quantum iam inde à priſcis illis Vrbis temporibus, apud Venetos, Chriſtianæ pietatis & religionis ſtudium publicè, & priuatim ſuprà cęteros Europæ populos emineret. Tantundem rerum omnium ad Imperatorem, & Gallos delatum. Porrò vt prædarum magnitudo, in vniuerſum breuiter referatur, ſatis conſtat, ſine ijs, quæ furto periere, quæq; item Venetis ſeorſum ex pacto æris alieni perſoluta ſunt, in publicum quater centena millia argenti pondo relata. Item equi omnis generis, numero ad decem millia. His rebus conſtitutis, tuba militare concilium aduocatur. Eo concilio nihil plus actum quàm vt ad alium diem res deferretur, in quo XII Viri legerentur, qui Imperatorem dicant. Vix enim fieri poterat, vt in tanti honoris, cuiuſmodi eſt Imperatorius, contentione, non complures ambitio compungeret: omnes tamen, in duorum alterum facilè conſentiebant. Conſtabat enim inter omnes, duos ex omnibus potiſsimùm, Balduinum Comitem, & Bonifacium Marchionem Imperio dignos videri. Cumq; alterutrum Imperatorem prodi neceſsè eſſet, Barones metuere, ne vnius repulſa, alteri calamitatem crearet; quæ vt non Imperium vniuerſum afficeret, fieri non poſſet. Commemorabant enim huiuſmodi ambitione, ſuperiori ſæculo Regnum Hieroſolymarium propè comminutum fuiſſe, Gotthofredo Bullione Rege declarato. eius competitorem Raymundum Sancti Ægidij, & Tholoſæ Comitem repulſę ignominia commotum, poſthac non deſtitiſſe, quin maximam partem Exercitus, precibus, vel precijs ſenſim detraheret, Regemq; optimum omni pręſidio nudatum, Iconienſibus Turcis, vicinoq; Ægypti & Syriæ Sulthano, tandem vexandum relinqueret. Idcirco præſenti Imperio, ab omnibus impenſius conſulendum, atq; excogitandum, quomodo vtroſq; inter ſe amicos retinerent. Placuit vno duorum ad Imperium electo, alteri Pontum, & Bithyniam, ex altera Propontidis parte, minorem Aſiam verſus, ſimul Cretam nobiliſsimam Inſulam, iure clientelæ, ſiue feudi attribui. Ita, Imperator patronus, alter verò cliens, ideſt vaſallus. Mox conſtituta die, XII Viri leguntur, apud quos numeratis ſuffragijs declarandi Imperatoris ſumma erat poteſtas. In memorijs & annalibus Venetis,

quos

Digitized by Google

quos admodùm locupletes habemus, obſeruatum eſt, Dandulum accitis Venetorum primoribus, quos in conſilium adhibebat, VI Viros legiſſe, Vitalem Dandulum Equitem, eundem claſsis Hamiralem, Othonem Quirinum, Bertucium Contarenum, Nicolaum Nauaioſum, Panthaleonem Barbum, ſed in ſexti nomine, annales ipſi, quoniam inter ſe paululum diſſentiunt, cum quidam Ioannem Baſilium, quidam verò Ioannem Michaelem habeant, nos hac de re nihil certi palàm proferemus. Francorum ſuffragijs creatos legimus, quatuor Epiſcopos; Nubilonem Sueſsionum, Garnerium Tricaſsium, Petrum Bethlehemitam; atq; item Acconenſem Antiſtitem: duos præterea Equites Italos, Nicolaum Picciolum, & Iacobum Maluicinum. Hi præſcripta die, per apparitores ad concilium vocati ſunt. habitus eſt autem is Senatus, in Auguſteone Palatio, proximè Sophianum templum (id quod honori Danduli datum eſt in eo habitantis) in interiore Palatij Sacello, vt Villharduinus Mareſchallus tradit, tametſi Choniata Græcus author in Diuorum Apoſtolorum, conueniſſe ſcribat. ſed Choniatæ ſummę alioqui fidei, & ingenij ſcriptori, qui res Conſtantinopolitanas annorum LXXXVIII. ab Ioanne Comneno Alexij filio, vſq; ad Henrici Imperium luculenter conſcripſit, hoc loco facilè ignoſcendum. quandoquidem Vrbe à Venetis, & Gallis capta, exul cum reliquis Græcis factus, Chonas ſeceſsit, nec Imperialis Comitij, nec Comitiorum gnarus, vtpotè rerum, quæ procul à ſe fierent, Annalibus ſuis labi facillimè potuerit. Ad Auguſteonem igitur tantæ multitudinis, quantam Palatium capere poterat, concurſus tota Vrbe fiunt, qui alterutri, vel vtriq; potius fauebant. Coactis in concilium electoribus, juſiurandum datur ex pactionibus pridem firmatis, illos odio, & gratia vacuos, eum potiſsimùm Imperatorem electuros, quem Imperio digniſsimum, & rebus gerendis magis idoneum iudicaſſent. Ac reputanti mihi, quæ cauſa Balduinum, Bonifacio in Imperio prętulit, hæc potior viſa eſt, quod Bonifacius Marchio Monferratenſis, quanquam ſpectata virtute, & conſilio nulli Baronum ſecundus eſſet, non tamen ita magnas cataphractorum equitum copias ſuo ductu ex Monferratenſibus Inſubriæ, & Subalpinis populis ſub ſignis habebat; ſi Francos veteres Theobaldi Campanię Comitis milites, familiares, clientes, obæratos, & amicos detraxiſſes: minus etiam nouas inde Comitatu Monferratenſi colligere poterat; quæ Balduino ſuperabant, in Flandria præſertim, & Hannonia, cui parti Belgij multò maximæ, quæ totius Galliæ fortiſsima, & bellicoſiſsima

habe-

habetur, ſumma populorum beneuolentia, Regię clientelę, ideſt feudi regalis iure imperabat. Sic enim ferebatur, vt qui in Belgio bellicum cecinisſet, equeſtres, pedeſtreſq; copias, velut è terra naſci ſolere. eam rem Orientis Imperio vſui, atq; adeò ſaluti fore. Idcirco, VI Viros Venetos in Balduini electionem procliuiores fuiſſe. Sed huic cauſæ pondus addidit, Pantaleon Barbus, VI Vir Venetus; qui cùm authoritate, tùm oratione collegas perſuaſit, magis ex vſu Imperij eſſe Balduinum Imperatorem declaratum, quàm Bonifacium. in qua conſultatione diu, multumq; concertata, collegæ tandem Veneti, qui Henrico Dandulo Venetiarum Principi fauebant, à Barbo, Senatoria illa grauitate ſingulari, iuxta & cauſæ iuſtitia, tùm viri authoritate obiurgati, facilè ſententia deſtiterunt. Quam rem, annales facilè illuſtrabunt, ſi quæ in ipſis notantur, huc bona fide conuerſa ediderimus. Tradunt igitur annales Veneti, Sueſſionum, & Tricaſsium Antiſtites, magis ex Chriſtianæ Reipub. vtilitate, quàm aliquo Balduini, aut Bonifacij Marchionis commodo, Imperatoris deſignationem metientes, in animo habuiſſe, Dandulum ſpectatæ virtutis Principem, ſua ſententia ad Imperium prouehere, quando ad eum deſignandum VI Viri Veneti ſenis ſuffragijs plurimum valerent; ſed Pantaleon Barbus, vt erat ſummæ ſapientiæ Patricius, vnus ex XII Viris aduerſatus, cui mira in dicendo libertas, ſumma in conſulendo integritas, atq; aſſeueratio, recti, ac veri cultus eximius, & erga patriam, atq; adeo Chriſtianam Religionem, ſtudium ſuprà quàm cuiquam ſit credibile, imò (inquit) alium omnino, quàm Dandulum noſtrum Viri Veneti, voſq; Franci cenſeo Imperatorem declarandum. Nam quamuis Imperium Orientis aptius Venetis, quàm Tranſalpinis cederet, qui maris domini (abſit verbo inuidia) claſſe, & maritimis auxilijs pollentes, Conſtantinopolitanum Imperium, atq; Vrbem, longè melius quàm aut Monferratenſis, aut Flandriæ Comes, maris rudes, ab finitimorum incurſionibus conſeruarent, & commodius claſſe ex Adriatico per Ionium & Ægeum immiſſa, laborantibus ſuppetias ferrent; quàm ſi vel maximè cataphractorum equitum copiæ ab vltimis terrarum finibus ex Belgio, aut Tranſpadanis mediterraneis Italiæ regionibus, mitterentur: cuius claſsis, & maritimarum Venetarum copiarum quanta vis fuerit, Vrbs infra nonum menſem bis Venetorum præcipuè claſſe expugnata facilè oſtendit: Nunquam, ait, mihi credite, equitatu quantumuis magno, Imperium hoc aduerſus finitimos Gręcos, abſq; numeroſa claſſe, præſidijſq; maritimis conſeruari poterit, quin Gręci

breui rebellantes,noſtros facilè Imperio depellant. Quoniam tamen tantarum opum, & Imperij amplitudine, ac fortuna Veneti euecti, ideoq; ſupra omnes Europæ Principes ad ingentem inuidiam expoſiti, vt ſunt mortalium animi cupiditate, ambitioneq; præcipites, maximo apud omnes odio deflagrarent, vt protinus Franci Barones, Balduinus item & Monferratenſis repulſæ dolore, atq; offenſione, cum ſuis clientibus, & familiaribus ab ſignis noui Imperatoris, & amicitia diſcederent, & ſic Hieroſolymorum expeditio amitteretur: ideò, vt tàm funeſtum Reipub. Chriſtianę diſcrimen euitetur, Balduinum, aut Monferratenſem vtrum vellent, Dijs benè iuuantibus, Imperatorem dicerent. neque eius ſententiæ nouitatem non inſulſi homines admirarentur, quoniam Dandulo Imperatore dicto, amitti Hieroſolyma, Exercitum debilitari, & quod indignius, Chriſtianam Religionem, Græcis à Romani Pontificis authoritate diſſentientibus, altius reuelli neceſsè eſſet. Duos tantummodò eſſe, vt probè ſcirent, qui virtute & gloria cæteros anteirent, quæ ſeges eſt inuidiæ, ipſos tamen omnibus charos eſſe: idcirco Dandulo omiſſo, altero ad Imperium neceſſariò promouendum. Re diu multumq; à XII Viris conſiderata & concocta, in vnum tandem Balduinum Flandriæ, & Hannoniæ Comitem conſentiunt. Ex templò Nubilo Sueſsionum Epiſcopus XII Vir, adaperto Senatu, ex eo ipſo Sacello, in apertiorem ædium partem ad Barones, Dandulumq; Venetiarum Principem, collegarum mandato, in atrium introducitur, ita auidis oculis propenſiſq; animis aduenientem inſpectante populo, vt, qui alterutri fauerent, nihil prius quàm Imperatorem prodentis vocem expectarent. nec mora, Nubilo ſilentio per præconem facto, hæc verba habuit. Imperatorem eum quem nos rectè, & ordine legeremus, Vos Proceres, tuq; Dux Dandule, habere, honorare, colere, Deo teſte, promiſiſtis: eundemq; omni ope, & opera, ab omnibus ſanctum, inuiolatumq; præſtare. de communi omnium ſententia, quod Orientis Imperio, reliquoq; Chriſtiano Orbi, felix fauſtumq; ſit, Deo auſpice, Balduinum Comitem Flandriæ & Hannoniæ, Imperatorem dico. Ea voce excepta, atrium repentè fauſtis militum acclamationibus perſonare, tanto intus ſtrepitu, vt ædes iamiam caſuræ viderentur. omnes enim læti, & alacres (nihil enim longius illis erat, quàm dum delecti nomen audirent) Nubilonis Epiſcopi vocem ſecuti, Balduinum, Balduinum Imperatorem, protinus geminatis vocibus acclamare. Exercitus ad declarandam lętitiam, tubis, tympanis, omniq; armorum crepitu ap-

plau-

plaudere;omnes deniq; ex ancipiti ſpe ad hilaritatem conuerſi, Deo ſibiq; & Exercitui gratulari, quibus Princeps antiquiſsima, & ob id vna omnium auguſtiſsima gente, Caroli Magni ſanguine inſigni (indidem enim domus Hannonia oriunda) regia præterea Philippi Auguſti cognatione clariſsimus, ſapientia, & æquitate, Imperator diuinitus contigiſſet. Hìc Bonifacius Marchio repulſæ dolore abiecto, vt erat conſtanti, & æquo animo, cum nullam perturbationis, nullam triſtitiæ ſignificationem daret, inprimis hilari vultu, ſibi Franciſq; optatiſsimum nouum Auguſtum, palàm gratulatus, ex Auguſteonis Sacello, altè ſublatum protinus in Diuæ Sophiæ antè humeris ſubiens, cum Proceribus reliquis officiosè geſtare, omneſq; honores, quos tempus & locus poſcebant, æquiſsimis animis habere. Eo die, qui ipſi omnium lætiſsimus fuit, Balduinus Sophiano in templo, atq; aurata in ſella conſtitutus ad Aram maximam, ab vniuerſo Exercitu, Gręciſq; qui in Vrbe erant, incredibili fauore, magnis gratulationibus, & Rex, & Imperator appellatur; quum in perpetua populi, militumq; acclamatione, nihil pręter ipſius Balduini nomen audiretur. Mox, dies coronationis Dominicus dicitur, ad XVII. Kalend. Iunij, quo temporis ſpacio, Proceres, aureas, argenteas, & holoſericas trabeas, precio quanto maximo poteſt, apparare: adeò, vt ſuperiorum Regum luxum non æquarent, ſed ſuperarent. Interea Bonifacij Monferratenſis Marchionis, & Margaretæ Regis Hungariæ ſororis, quæ Iſaacij Imperatoris Vidua erat, nuptiæ ſumma omnium lætitia, celebrantur. illoq; ipſo tempore Odetus Campanus Chiamlites, magni nominis Eques, quem cum nobilibus Campanis, quintam aciem, prima Conſtantinopolitana oppugnatione duxiſſe memorauimus, maximo Baronum dolore, è vita decedit. Eum Guilielmus frater diu & grauiter luxit; & magno amicorum comitatu funus cohoneſtante, in Apoſtolorum templo, quod vel magni Conſtantini, & Diuæ Helenæ eius matris ſepulchro, aliorumq; Auguſtorum nobilitatum erat, condidit. Dies coronationis venit. Balduino Imperatori Veterum Græcorum Auguſtorum more, in Diuæ Sophiæ, Imperialis Calyptra imponitur. Gallis ac Flandris Proceribus in Conſtantinopolitano Imperio vetere ritu, ea die Deſpotarum, Autocratorum, Seuaſtocratorum, & Prothoſeuaſtorum munus implentibus; eò auguſtius, quòd ſimul ac coronationis dicta dies fuit, vt in tanta hilaritate, regio ſumptu ſuprà quàm fieri poſſet, exornati conſpicerentur, prout libido genijq; tulerunt, auro textile, vel argento, quorum in Vrbe ingens

erat copia, & ſerico omnis coloris eleganter variegato, itemq; Phrygijs operibus, & acu græcanico opere pictis ſagulis, & latis veſtibus ſe integros quindecim dies ad pompam ſummo ſtudio comparauerant. Quidam, Imperatorem Græcorum diademate coronari ſolitum, ſcribunt, ſed pleriq; Calyptra, quibus aſſentior, quòd eorum teſtimonio, Græcorum Auguſtorum imagines Conſtantinopoli delatæ, & nobis à Marino ſeniore de Caballis Equite, & ampliſsimo Senatore traditæ, ſuffragantur. Inauguratus eſt in Diuæ Sophiæ, & Calyptram accepit incredibili omnium ordinum lætitia, applaudente Senatu, canente Clero, Dandulo Duce, & Baronibus maximè hilaris; æquis, iniquis fauſta omnia acclamantibus. Tanta verò omnium frontibus teſtata gaudia, tantaq; Auguſti iucunditas, & tàm clara in omnes oculorum gratia, tàm comis ſingulorum ſalutatio, tàm blanda deniq; omnium appellatio, dubium faciebant, Balduinus Conſtantinopolitas & Græcos, an Latinos magis exhilararet. Pompæ autem apparatus ſic magnificus, vt Græci qui in Vrbe erant ſenes, ſumptuoſiorem non meminerint. tanta vis auri atq; argenti comportata, tantuſq; veſtis ſtragulæ, ſericæ, & holoſericæ ornatus, tanta equorum impenſiſsimi precij, phalerarumq; copia, magnificentiam iuxta, & opulentiam Græciæ oſtentabant, vt veterum triumphorum pompam facilè exæquarent: populariter verò tubis, lituis, cornibus, cantu, & fidibus, & tibijs exceptus eſt. Quinetiam, quà ab Blachernio Palatio ad Auguſteonem, atq; inde ad Diuæ Sophiæ Ædem, & ad Bucaleontem pompæ tranſitus erat, feſtis frondibus topiario opere ingentes arcus ſublatos; in vias vndiq; & regionum compita, florum odorumq; nimbos effundi videres. Ita, ille generoſo inſidens equo, auratis ephippijs inſtrato, ſub vmbella, Francis Italiſq; Proceribus ad eam geſtandam, honori ſimul & labori ſuccedentibus, à Sophiano templo ad Bucaleontis Palatium perrexit. Tum primùm Conſtantinopolitæ votiuuſq; Exercitus, Balduinum in picta auro trabea, margaritis, gemmiſq; intextis adornata, hinc dextra Crucem, inde ſiniſtra Euangeliorum volumen, priſco Græcorum Auguſtorum ritu geſtantem, æquiſsimis oculis ſpectarunt. Is profectò florenti ætate, forma regia, totiuſq; oris dignitate, quanta vix homini optanda (tertium enim & trigeſimum ætatis annum agebat) omnium oculis veteres Romanos Auguſtos, vnde illi origo fuit, iucundè, & ſuauiter referebat. acclamationes Auguſtis exhiberi ſolitæ, quales Conſtantinopoli ab magni Conſtantini temporibus ad eam diem non fuerant, vndiq; exaudiebantur, Balduino Cæſari Au-

guſto,

guſto, Magno, Pio, Felici, Vita & Victoria. erat enim moribus & facie Cæſaribus ſimilis. Summa in eo clementia, incredibilis in omnes æquitas, rei militaris diſciplina ſagax, nec à literis alienus, & quod maximum eſt, orthodoxæ fidei apprimè colens. Iam vnum cęlo demiſſum prædicare, qui Orientis Imperium imminutum, in antiquum honorem reſtitueret. omnes deniq; ad vnum, fortunam Vrbis laudare, quæ optimum, & fortiſsimum Principem, atq; inuictæ virtutis tutorem optimum maximum orbo Imperio dediſſet. complures feſti dies celebrantur, totaq; Vrbe omnibus foris, & theatris, ludi magnificentiſsimi eduntur. &, ne quid ſplendoris ac magnificentiæ deeſſet, conſtat etiam vrbanos Circus, Hyppodromoſq; coloratis ſericis velis contectos fuiſſe, in quibus Circenſes ludi ſingulari equo, bigis, quadrigis've Gręco more, itemq; ad equeſtris pugnæ ſimulacrum (Galli & Germani Torneum vocant) Franci Equites in aureis armis, & militaribus ornamentis conſpicui, complures dies iucundiſsimè decurrerunt. ſpectaculum certè ſpecioſius, quàm ſcribi poteſt. Sic inauguratus Imperator Balduinus à Venetiarum Duce Dandulo, à Baronibus, & Equitibus, à toto Senatu, populoq; Conſtantinopolitano, in Bucaleontis Palatium, ab Nicephoro Phoca Imperatore opulentiſsimo exædificatum, ſolenni pompa deducitur. Bucaleon Palatium eſt ad mare, quà Vrbs ad Meridiem vergens Auſtrino mari ad Propontidem alluitur. Eo autem loco Conſtantinopoli Bucaleontem conſtitutum ferunt, quo antiqua regionum deſcriptio ponit in tertia regione Hyppodromi portum nouum, qui poſtea portus Iuliani dictus eſt; mox, & Sophiæ, ab Sophia Auguſta, Iuſtini Curopalatæ Iuſtiniani nepotis vxore, appellatus. Turcę, locum Caterga Limena, quaſi portum quendam triremium hodie dicunt. Is Iuſtinus, Iuſtiniani ſucceſſor, atq; operum ęmulator, Regiam ibi extruxit, portumq; purgauit, qui nunc exaggeratus eſt, & cęno, & lapidibus magna ex parte obrutus, ab Turcarum Imperatoribus, intra muros Conſtantinopolitanæ Vrbis poſtmodùm receptus, paruo velut lacu relicto, quo nunc Turcicæ mulieres ad abſtergendos pannos deſcendunt. Bucaleontis aulam Nicephori Phocæ quem diximus fuiſſe memorant: eo nomine dictam, quod ibi magnus lapidius leo exciſus eſſet, qui boui marmoreo inſideret, & inſigni argumento, ſiniſtro pede bouis cornu tenens, & collum diſtorquens, Bucaleontis nomen loco dederit. Id Bucaleontis Palatium, Blacherniaq; item aula, vt ſupra memorauimus, ſcriptis pridem pactionibus inter Francos, & Venetos, cum futuro Auguſto in partem

ceſsiſſet, Balduinus Imperator ad ſeceſſum omni regio apparatu, ſuprà quàm dici poteſt, magnificentiſsimè exornauerat. Balduinus Orientis Imperator coronatus, tametſi regendo Imperio, ab priſcis Auguſtorum legibus multorum ſeculorum ſpacio, ſacroſancta maieſtate toto Orbe venerandis, ſibi minimè recedendum exiſtimaret, vt tamen ius ipſum, quod aut nullum, aut durum in Græcia eo ſæculo receptum erat, æquius melius pro tempore inſtitueret, redderetq; leges Hieroſolymarij Regni militares, pariter & ciuiles (eas quaſi Regum ſcita, vel Concilij, cętuſq; Gallorum reſponſa, vetere gentis vocabulo Aſsiſias vocant) Conſtantinopolim transferri iuſſit, centum retro annis à Gallis Principibus, & Hieroſolymorum Patriarcha in Syria editas, poſtquam Hieroſolymas in Chriſtianorum poteſtatem vindicaſſent, Gotthofredumq; Bullionem, ac ſecundum eum Balduinum fratrem, Reges appellaſſent. Quibus legibus eo tempore Almericus Luſcinianus Cypri Rex, vnà & Galli Proceres Hieroſolymarij Regni reliquiæ, Anthiochenus Princeps, Edeſſanus, & Tripolitanus Comites vtebantur. Ita Balduinus, de beneficijs, ſiue feudis, Imperij muneribus & honoribus, ſimul & ſeruitijs ſiue operibus, imponendis & indicandis, Imperatoriq; ex beneficiaria lege per clientes, & vaſallos præſtandis (quod antiquioribus Gallicis, atq; ijs proprijs, verbis conſcriptæ leges, binis Aſsiſiarum inſtitutorumq; maioris, & minoris Curiæ libris, apud Gallos, præſertim in terra Gręcia, multum authoritatis eſſent habituræ) Cypro Conſtantinopolim delatas Aſsiſias, tanquam municipales ſtatim promulgari iuſsit: vt ijſdem, ceu fonte quodam, ſummatim & enucleatè ius, tanquam per compendium Baronibus, Equitibus, Franciſq; militibus redderetur. Hæ, dum Gallorum res ſexaginta annorum ſpacio integræ Conſtantinopoli fuerunt, à Latinis Franciſq; hominibus pro legitimo iure habitæ, receptæq; ſunt. Præterea Imperiales etiam magiſtratus & magiſteria, ſiue Palatij officia, vt Græci vetere Græcorum Auguſtorum more conſtituta vocant, ex dignitate nominis Latini innouauit: Imperiumq; Conſtantinopolitanum, aulæ Franciæ inſtar etiam informauit, & deſcripſit. Honorarios verò miniſtros, ordinarijs addidit, ſed qui in altiore dignationis gradu eſſent, quòd cęteros vicarios haberent. Ex priſcis autem Græcis aulæ magiſtratibus, inprimis Dandulum Venetiarum Principem, vt ei honorem præcipuum haberet, Imperij Deſpotam ſeu Principem, qui primus ſecundum Imperatorem titulus eſt, & à Conſtantinopolitanis Imperatoribus cum Peloponneſi feudo, Morea dicitur, Imperatorum

liberis

liberis tradi ſolebat, creauit: Et purpureos calceos Auguſtorum inſigne, cęteris vetitos, honoris cauſa, vtendum fruendum conceſsit. Venetos præterea Patricios, à Conſilio Danduli, quamplurimis militiæ muneribus atq; honoribus ornauit: Præcipuè verò Ioannem Baſilium, inſignem Trierarchum, ob egregiam virtutem, equeſtri dignitate ornatum, aurea Imperatoria corona cæruleo in campo, quam militari in ſcuto geſtaret, liberaliter donauit, vt quale eius eſſet erga Venetos animus, communicatis Imperij inſignibus, teſtaretur: Id poſtmodùm Baſiliæ familiæ abolito vetere inſigni hactenus manſit. Cum verò magiſtratus, vt à jureperitis concinnè, & ſapienter deſcribitur, appellari conſueuerit, cui iuriſdictio data ſit, iuſſorumq; ſuorum explicandorum poteſtas; & Conſtantinopolitano in Imperio, iam inde ab Diui Conſtantini magni temporibus, Roſsicus Dominus, ideſt qui feudum haberet, dignitatem dapiferi; Peloponneſsiacus Deſpotæ ſeu Principis; Atticæ & Athenarum, magni Ducis; Bęotię & Thebarum, magni Primicerij; Siciliæ verò Regis titulum obtinerent, tametſi poſtea Thebarum, & Bęotię Megam Kyrium pro magno Primicerio, itemq; Atticæ, & Athenarum Ducem pro magno Duce, poſterioribus ſęculis appellare conſueuerint. ea etiam feuda Imperator Balduinus, ijſdem honoribus, & muneribus veterum Auguſtorum more, latinis hominibus, & Francis ſuis clientibus conceſſit. Miniſterium autem, munus ipſum, juriſdictionis immune, quæ officia appellant, cum non minoris neceſsitatis, quàm decoris cauſa Imperatoribus eſſet inſtitutum, magnum Ducem claſsis Imperatoriæ, eundemq; Exercitus Præfectum creauit, cui Magnum Drungarium, atque huic Hamiralem, & Prothocomitem, qui largitionibus Imperatorijs præeſſet; reliquos item claſsis Procuratores ſuffecit. Præterea magnum Domeſticum conſtituit, qui ante Imperatorem enſem geſtabat, is Archięconomus, & Gallis hodie maior Seneſchallus dicitur. Creauit & Galliæ more magnum Comeſtabilem, qui caput eſt rogatorum Francorum: ſed Comeſtabilis, vt hoc interim memoriæ mandem, multum à Pręfecto Prætorio differt, id quod ratio muneris, & officij declarat; quanquam nos non latet, nonnullos, & eos alicuius nominis authores, aliud litteris prodidiſſe. Scutigerum quoq; qui Parmam Imperatori prægeſtet, inſtituit. Acoluthum ſemper greſſus Imperatoris ſequentem. Magnum Stratopedarcham, qui commeatus, & reliqua neceſſaria in caſtris curat. Domeſticum murorum, qui Caſtrorum & męnium curam habet. Veſtiarij Præfectum, quaſi quæſtorem Imperij, qui vectigalia, datiq; & accepti

rationes

rationes curat. Veſtiarium, qui omnes Imperiales veſtes, ac inſtrumentum Imperatorium curat. Prothocomenſem, qui maris cæteris curatoribus præeſt. Præterea Prothoſtratorem, quem nos Mareſchallum vocamus, Gotthofredum Villharduinum, qui huius belli Commentarios ſcripſit, ob eximiam fidem, induſtriam, & prudentiam creauit: cum præterea iuſti honeſtiq; apprimè colens, ac ſupra Gallorum hominum ingenia, grauis, ſeuerus, & circunſpectus haberetur. Huius erant munia apud Conſtantinopolis Imperatores, abſente magno Domeſtico, Imperatorium enſem ante ipſum Cęſarem geſtare, & Auguſto aula egredienti, & Vrbe equitaturo, nobilioris officij cauſa equum ſiſtere, in quem conſcenderet. Militiæ verò nouiſsimum agmen ſuis turmalibus ſtipare, & claudere. cauere item miles ordinibus ne egrederetur, non obedientes deniq; more militari plectere. Mareſchallum porrò à Marcha, ideſt equo, quaſi equorum Præfectum Beatus Rhenanus appellat; Budæus, quaſi maiorem Iudicem in caballo ſedentem, veteris Tribuni militum haberi ſimilem ſcribit. Quod autem eum delictorum militarium animaduerſorem dixi, ſciendum eſt eum, ius Præpoſiti dicendi habere, qui ipſius iuriſdictionem in milites delinquentes exerceat. Quare, quidam rectè Mareſchallos Imperiales, veteribus Irenarchis ſimiles tradunt, qui de militaribus delictis cognoſcebant, Aurelio, Marciano, Iuſtiniano nouæ Romæ Imperatoribus. Iuris interpretes, propriè Latrunculatores dici contendunt. Magnum deniq; Chartularium ab eo pariter inſtitutum ferunt, qui Auguſto foras equitaturo, equum habenis ſiſteret; cæteroſq; omnes magiſtratus, & magiſteria innouauit, honorarijſq; dotauit, quæ Gręci veteres Imperatores in aulico inſtrumento habebant. Enimuerò Francos Proceres, quod ex Veneto tabulario apparet, Cononem Bethunium Belgam, clientem ſuum, eloquentiſsimum virum, Guilielmi Aduocati Bethunienſis fratrem, Prothoueſtiarium; Manaſſerium Inſulanum maiorem Coquum; Macharium autem Sanmanechaum Pincernam, & Milonem Brabantium, primum Pocillatorem, ſed honorarios miniſtros delegit. Cæterum Balduino Imperatore Coronato, iuxta ſeriem pactorum, in quæ Galli & Veneti, ante Vrbem captam conſenſerant, Thomas Maurocenus à Venetis ſacerdotibus, priuo ſuffragio, Conſtantinopolitanus Patriarcha vetere Orientis more in Diuæ Sophiæ æde, vbi dudum Græci Metropolitæ, qui in Conſtantinopolitani Imperij ditione cenſentur, ſolennibus auſpicijs Parriarcham deſignare conſueuerant; abſens nec ambiens, ſola probitatis & eruditionis opinio-

ne,

ne, declaratur, totiq; Orientis Eccleſiæ præficitur. Erat enim Patriarcha Conſtantinopolitanus hoc ſæculo, opum amplitudine, & nominis maieſtate, inter Orientales primarias Alexandrinam, Hieroſolymitanam, & Antiochenam Eccleſias, ob Imperij ſedem per initia florentiſsimi, & Vrbis gloriam, ſummę authoritatis, & dignationis: adeò, vt etſi illæ prærogatiua quadam Apoſtolicæ doctrinę eximiæ eſſent, & Chriſtianam pietatem edoctę, antequam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, quę neminem Apoſtolum audiuit, nomen extaret (ętate enim haud dubiè Conſtantinopolim vincunt Hieroſolyma, Antiochia, & Alexandria) Conſtantinopolitano tamen Patriarchę, non modò Aſiæ ferè omnes, Thraciæ, Macedoniæ, Myſię inferioris & ſuperioris, vtriuſq; Sarmatiæ, Aſiaticę, ſcilicet & Europeę, Roxolanorumq; & Moſcorum Eccleſię parerent. Sed ex his Archiepiſcopales ferè XL. Metropolitanæ verò LXXX. amplius eius authoritatem reſpicerent: primatumq; hoc pacto inter Græcorum Aſiæ, Ruthenorum, & Thracum in Europa Eccleſias diutiſsimè tenuerit: atq; aliquando etiam cum Sacroſancto Romano Pontifice Max. de principatu vaniſsimè diſceptarit, hoc nomine, quòd Orientis Imperij maieſtas, & nouę Romę appellatio, Regni cuiuſdam inter alias Patriarchales ſedes, & Orientales Eccleſias ſpeciem adumbraret. Quibus rebus conſtat, velut è ſcintillis per Grę corum inſaniam, incendium illud tantarum diſſenſionum exortum fuiſſe, quod Chriſtianiſsimam illam tot ſęculorum cura, ſtudio, opera retentam communionem Eccleſiarum Orientis, & Occidentis, poſtmodùm diſtraxit, & penitus abſumpſit: non ſine ipſius demum Orientalis Eccleſię, atq; Imperij clade, terręq; Gręcię, & Gręci nominis internecione, Diuino numine peccata puniente, Mahometana ſuperſtitione, ac Turcarum armis inualentibus: quando anno poſt CHRISTVM natum MCDLIII. IV. Kalen. Iunij Conſtantinopolitana Vrbe capta, & direpta, ipſoq; Palęologo ſupremo Græcorum Imperatore trucidato, totq; hominum millibus, omnis ætatis & ſexus, eo bello interfectis, & captis, Græcorum nomen funditus euerſum fuerit, & ipſorum Religio pollutis templis profanata. Cęterum Maurocenus Venetijs patricia familia natus, cum ſupra generis antiquum decus, ampliſsimam ex ſacris ſtudijs laudem ſpectaret, planè adoleſcens abdicata Maurocenæ gentis pręclara nobilitate, & ſpreto demum omni patrimonio, quum rerum humanarum ſatietas illum cępiſſet, amore religionis, in Portuenſis Cęnobij, quod virorum ſanctitate illuſtrium ſeminarium fuit, ſacratis ſeptis ſe

qui cum Græcis exulibus è fuga Moſynopolim ſeſe receperat, atq; vrbe agriq; magna parte potiebatur. eò, vnà & Eudocia Ducæ vxor, eorum filia, Murtzuflum ſequebatur. quo tempore magnus quoq; Græcorum Procerum numerus, odio Latini Imperatoris, Conſtantinopoli trans Propontidem, pars in Aſiam, pars in longinquam Thraciam, cum ſuis amicis, & clientibus noua Regna, nouas ſedes quæſitum, conceſſerant. Vbi verò locorum Imperij, quiſq; ſiue caſu, ſiue aliqua opportunitate illectus conſederat, Deſpotias ſibi conſtituebat. Murtzuflus inter hęc, Tzurulum Thracię oppidum, quod Paulò antè in fidem Imperatoris Balduini ſe tradiderat, inuaſit, & penitus diripuit. Hos proinde omnes Imperator, hiſce de rebus certior factus, primo quoq; tempore, de Baronum, Danduliq; conſilio, bello perſequi ſtatuit, ne maiores motus tota Thracia, & Macedonia fierent. Itaq; Imperator, Ludouico Bleſenſium, & Carnutum Comite, qui iam adulta æſtate nondum è quartana febre conualuerat; Duce etiam Dandulo, & Conone Bethunio, in Blachernarum, & Bucaleontis Palatijs, cum firmo præſidio relictis, quòd Græcorum mentes, nondum firmatis Imperij viribus, aſcitiſq; Proceribus Gręcis, recenti iniuria accepta reſediſſe ſuſpiceret, eoq; minus in fide ſtabiles fore ſperabat; ipſe cum omnibus copijs Gotthofredo Villharduino Campaniæ Mareſchallo, Milone Brabantio, & Manaſſe Inſulano Ducibus, ad hoſtem proficiſcitur. Henricum fratrem cum parte equitum (centum enim valentiſsimos equites attribuerat) præmittit. iuſſum, vt quoquò verſus adeat, Ciuitatum animos erga exterum Imperatorem exploret. Ex itinere, Legationes Ciuitatum deditionem facere. Adrianopolis in fidem recepta; multis rebus animum erga Henricum fratris Legatum teſtatur. Ea Thraciæ Ciuitas eſt, ad Hebrum amnem, ab Oreſte Agamemnonis filio condita, & Oreſtias primùm dicta; poſtea, ab Adriano Auguſto inſtaurata, Adrianopolis nomen ſortita eſt. Ibi Auguſtum opperitur. Ducas autem Murtzuflus certior factus Imperatorem ad Vrbem aduentare, continuò Adrianopoli Vrbe exceſsit, & in fugam ſe dedit, triumq; dierum itinere iuxta Vrbem Thraciæ Moſynopolim venit, atq; ibi caſtra locat, & tentoria pro tempore ſtatuit. Ad Alexium fratricidam mittit, qui nunciet, ſe illi contra aduentantes Gallos opitulatum veniſſe: imperaret, quæ viderentur, ſe omnino pariturum. Alexius Murtzuflo vehementer infenſus, quò tamen odium diſsimularet, & conſilium tegeret, pauca reſpondit. Nuncium ſibi, vt ęquum erat, optatiſsimum fuiſſe, quòd Ducam Murtzuflum, Eudociæ filię

Virum deſtinaſſet, & quem in Generi loco haberet, eum opera ſua, atq; ope vſurum. viciſsim ille, rebus Murtzufli vt ſuis, ſine exceptione frueretur. Murtzuflum, qui ad Vrbem tetenderat, Alexius quoniam multis nominibus acerbè oderat, ſed potiſsimùm ob ſtuprum Eudociæ filiæ illatum; dolo cum ſuis compoſito, paucis poſt diebus in aulam vocat, vnà cęnaturos per vocatorem ſignificans. Epulum Alexius, Eufroſina coniux, vnà & Eudocia filia, Murtzuflus, atq; aliquot Proceres lautiſsimum inire. Ventum eſt in aulam. inde Murtzuflum in conclaue accitum, & in Soceri domo nihil tale expectantem, ante epulas, violato iure non modò hoſpitij, ſed ipſius Regiæ menſæ, ſuo ſatellitio Generum obcæcandum tradit. Hęc magni Dei iuſtitia eſt, nihil diu impij votum ſecundare; nec ſerò admodum vltionem aduentare. qui, ſi quando in noſtris ſceleribus conniuet, id totum non delictorum gratiæ, ſed morum emendationi largitur: aliàs grauiore ſupplicio pro rata vlturus. Continuò, triſti fama de Murtzuflo in caſtris ab ſuis audita, Exercitus diuerſus totus ferè dilabitur, niſi qui ſe fratricidæ Alexio authorant. His rebus intellectis Balduinus Imperator, Conſtantinopoli magnis itineribus Adrianopolim peruenit, vbi Henricum fratrem cum copijs excipit. quaqua verò iter erat, Ciuitates vndiq; effundi, & dedi: multuſq; ſermo de clientum iure, & nobilitate habitus; quanta honeſtate vitam colere debeant; vt indigni planè Regum appellatione habeantur, qui neq; ipſius Dei metu deterriti, nec hominum verecundia adducti, fratricidæ Alexij via, iuſtitiæ opinionem aſſequi putent: & impoſtores longè turpiſsimi, ſeſe tàm fędè inuicem lacerent. atq; hoc facinus quamprimum vindicandum Imperator iurat. Is præſidio quadraginta Equitum, itemq; c. Centurionum, qui in equis ſtipendia faciebant, Gręcis deprecantibus, Adrianopoli relicto, cui Euſtachium Sambruicum Flandrum Equitem præfecit, qui repentinas ex Hęmo Ioanniſſæ Regis Myſorum, & Triballorum excurſiones reprimeret, Baronum conſilio, rectà Exercitum Moſynopolim ducit. In itinere audit fratricidam Alexium aduentantis Balduini metu, oppido fugiſſe. ea ciuitas, ſine cunctatione Legatos de deditione ad Imperatorem mittit: in fidem recipitur. In oppido Imperator aliquot dies moratur, Bonifacium Theſſaliæ Regem expectaturus; quòd is ſecum Margaretam Auguſtam vxorem ducens, neceſſariò conſequi non potuiſſet, impedimentorum multitudine retardatus. Sed tamen quamuis impeditus ad Strymonem fluuium, quem Turcæ Stromona hodie appellant, peruenit, quo in loco, pro tempore tabernacula

com-

Digitized by Google

compoſuit. Poſtero die ad Balduinum ſalutatum adit. cum eo multis de ratione belli agit, ſed pluribus in eam partem, vt ſe Regno Theſſalonicæ donatum, velit ad fruendum quamprimum dimittere. Docebat Imperatorem bonis nuncijs, & optimorum authorum literis ſe certiorem factum, egregiam Theſſaliæ Procerum, ac populi Theſſalonicenſis erga ſe voluntatem eſſe. Illos, ac Balduini beneficio Imperij clientem, ideſt vaſallum, vnum ſibi dominari cupere. prætereà neminem obnixius rogare, vt Theſſalonicem fidei ipſius tenere, poſsidere've liceret. ſi nunc ab Imperatore in Theſſaliæ Regni poſſeſsionem mitteretur, ſe maturè à Theſſalonica, frumenta commeatuſq; Exercitui abundè adminiſtraturum: ſeq; poſthac ipſi ex præſcripto, prẹſtò ſemper ad parendum fore. Ne per Deum, Exercitus laſciuia, & maleficio regionem Theſſalonicenſem ſibi in vſum reſeruatam, vexari & diripi diutius infeſtis populationibus velit: Exercitus vel ſolum tranſitum quacunq; iter facit, colonis magnam calamitatem importare. Neu deniq; perditos Theſſalonicenſes, funditus perdere. Ioanniſſam enim Myſorum Regem propinquum hoſtem, Macedoniæ & Thraciæ ad Occidentem Solem maximam partem occupaſſe, & quotidie nouos tumultus in Theſſalia per Myſos, & Triballos, prædatorios ædere. Ac, ni maturè obſiſtatur, tota Theſſalia, aut maxima agri parte, vi potiturum. Sed cunctę Theſſalonicenſis Ciuitatis tum maximum motum eſſe, atq; coniurationem ad res de Ioanniſſa recuperandas, vt ipſum vel dormientem, repentè exporrigeret. Ei, ſi quis ſe Ducem, & ſigniferum præbeat, omnia ipſi ad voluntatem promanatura. Neſcire ſe cuius tandem conſilio omnia conturbarentur. ſibi nota Regis Myſorum conſilia, & vires eſſe: dum facilem rerum recuperationem haberet, ſuo in Theſſalonicenſe Regnum ingreſſu victoriam propè exploratam ne præpediret. ſe conijcere non poſſe, Imperatorem tanti Exercitus iuratò promiſſum, nec traditum deductione, nihil boni de ſe cogitare. Id, ſi Imperator faceret ſe è veſtigio ſibi ſeorſum conſulturum. Ad ea Balduinus reſpondit, ſe nihil eius defectione commoueri, nec de itineris ſententia, ne latum quidem digitum abſceſſurum. En, quò tantorum Principum, duorum Imperij ſine controuerſia oculorum, mens præceps erupit. Inexpiabilis certè eorum culpa, qui ſic ingenio ſubactos, ſic ſapientes, tantos viros, aut inter ſe commiſerunt, aut diſcordiam funeſto quodam Imperij fato excitatam, non placarunt. Nam Imperium, remq; Chriſtianam in periculum haud dubiè vocarant, niſi magnus Deus noſtrorum miſertus, vtriuſq; rebus in tempore

pore

pore proſpexiſſet. Ita vterq; iniquior an infenſior, dubium (adeò res eſt peſtilens peruicacia) non ſine omnium, vel contumelioſa reprehenſione, diuerſi ſecedunt. Imperator cum Exercitu per Macedonas Theſſalonicem inſtitutum iter habere. Bonifacius Marchio conuerſo itinere regredi, vnà & magna pars optimorum Equitum. Nec ita poſt, Iacobus Auennes, Guilielmus Chiamlites, & Hugo Colonienſis, Bertoldus Catzenellenbogenſis Comes ex Haſsia, qui olim veteres Catti fuiſſe memorantur, ſub Hercinijs ſaltibus quondam in Oceanum expanſi, poſtmodùm remotiora paululum, & in Rhenum vergentia incolentes, cum ad Melibocum montem conſederint, Ptolomæo cognitum; Cattimelibocos hodie dicunt, vernacula voce idem, ſed corruptè ſignificante; necnon complures Theutones Germanici Imperij clientes, qui Bonifacio adhærebant. His copijs fretus Bonifacius, Didymoticum caſtellum opulens, & benè munitum petit. Id Thraciæ oppidum eſt, quà ad Occidentem Thraciam aditur, Adrianopoli proximum, prærupto in Rhodopes colle ſitum, quod Hebrus per verticoſos meatus paucis cognitos, ad radices collis circundat, & munit: oppidum omnium Thraciæ munitiſsimum, & amęniſsimum. Id Græcus Caſtellanus cuſtos, vix præconis voce audita, ſtatim dedidit. Deditum, propter loci opportunitatem impoſito pręſidio, Marchio firmat. Oppidani omnes, item populares, deprecatrice Auguſta Marchionis vxore, in fidem ſine noxa recepti. Alia parte Balduinus, qui rectà Theſſalonicem proficiſcebatur, Chriſtopolim Caſtellum, quamuis natura, & opere præter cætera Macedoniæ oppida munitum, inuadit. Caſtellani tamen per præconem ad deditionem vocati, celeriter tradiderunt. Inde Blachas, Caſtellum firmum & opulentum, ſine ariete receptum eſt. Idem Serræ facere (Amphipolis ea olim fuit clariſsima Ciuitas) vrbs viris opibuſq; prępotens in Balduini fidem iurat. deditionis leges dictæ, vt quo iure, quo've priuilegio Græci olim Imperatores Serranos ipſos habuiſſent, eodem vt iam in poſterum viuerent: vt priſtinus magiſtratus maneret; iſq; in populi poteſtate eſſet: id quoq; Imperator æquo animo annuit. Ad Serras tendit, ibiq; tres dies fuit. Intereà cum Balduinus Theſſalonicem iter pergeret, & quoquo verſus adibat, omnes ad eius fidem ſupplices confugerent, Bonifacius cum ſuis, & Græcorum copijs Adrianopolim verſus adequitat: ibi prolatis tormentis, caſtra habuit, & tendit. Euſtachius Sambruicus quem Imperator Vrbis præſidio reliquerat, Equiteſq; omnes, in muro è turribus propugnaturi.

turi ordine conſiſtunt. Sambruicus duos repentè Conſtantinopolim ablegat, qui continuato die ac noctu itinere, Dandulo Venetiarum Principi, Ludouico Bleſenſium, & Carnutum Comiti, cæteriſq; Baronibus regendæ Vrbi adſcriptis, nunciant, Imperatorem, & Bonifacium vehementer diſcordare, & iam ad manus ventum eſſe. Iam Bonifacium qui ſpem omnem occupandorum oppidorum in celeritate poſuerat, Didymotici Caſtelli omnium Thraciæ firmiſsimi, & copioſiſsimi, diſiectis Grçcis, qui in deditione Imperatoris tenebant, inſolenter potiri. Eundem & Adrianopolim præſidio Imperiali propediem deturbato, dominari. Ex nuncio offenſi, exacerbatiq; Barones magnum dolorem capiunt. Horum enim duorum diſsidio, res omnes ſummo labore partas, vno omninm lugubri atq; duriſsimo exitu, breui malè perituras. Confeſtim igitur in Palatium Blachernarum Dandulus Dux, Comes Bleſenſis, Barones, & Equites conueniunt. ibi dolor, quem de talium tantorumq; Virorum pugna ſuſtinebant, refricatur, & renouatur. Eoq; peius, aſſentatoribus precari, qui lingua, quaſi flabello, diſcordias inter hos ventilarent; quòd tot palmas, vniuerſamq; Imperij potentiam labefactari videbant. Itaq; Villharduinus Campaniæ Mareſchallus, à Duce Dandulo, & Bleſenſi Comite ſingulariter rogatur, vt maximis itineribus Adrianopolim ad Marchionem contenderet: omninoq; meditaretur perditę obſtinationis Principes inter ſe in gratiam reſtituere. Sin minus inter ſe pacificari poſſent, iniuriæ ſaltem aculeos euelleret, aut hebetiores, ne poſthac grauius pungerent, redderet. Villharduinum verò vti idoneum interpretem reconciliandis talibus viris legerunt, quòd eum ambo in conſilium ſemper adhibuiſſent. nouiſsimè verò Bonifacius in intimis coleret, & in conſilijs capiendis authorem, & in rebus gerendis adiutorem haberet. Itaq; penes hunc vnum, prçterea neminem, reconciliationis poteſtatem eſſe conſtabat. Villharduinus, Ducis, & Bleſenſis Comitis precibus locum reliquit, Legationemq; perlibenter ſuſcipit, & ad tollendas huiuſmodi controuerſias proficiſcitur. Vt autem Legationi maior ineſſet authoritas: ſibi comitem Manaſſem Inſulanum Belgam adiungit: qui præſenti conſilio, & manu promptus Eques præ cçteris habebatur; quiq; in Exercitu ob generis claritatem & ſpectatam virtutem, ſummos honores adeptus erat. Iuſtis itineribus Adrianopolim perueniunr, quam à Bonifacio Marchione obſeſſam conſpiciunt. Vt primùm de eorum aduentu ex multorum nuncijs Bonifacius cognouit, caſtris obuiam egreditur. Comitantur Iacobus Auennes,

Gui-

Guilielmus Chiamlites, Hugo Colonienſis, Otho Rocha Tranſpadanus, homines prudentes, prælioq́; ſtrenui, & honore reliquis Aſſeſſoribus ſuperiores, qui Bonifacio hærebant. Legatos in Caſtris magno honore, magnaq́; lætitia excepit. Cæterum Villharduinus quod eum amicitia non modò familiarem Marchio, ſed penè etiam parem ſibi feciſſet, grauiter obiurgare, ſicuti neminem vnquam amicus, veteri prouerbio, Imperio quod conſtitueris, obediundum eſſe. opponebat ipſi, Ciuitates Imperij, Oppida, Caſtella armis tentata, & quod indignius eſt, vi capta, Adrianopolim deniq́; ipſam circumſeſſam, antequam certiores Barones, Equites, Dandulumq́; Venetiarum Ducem, qui Conſtantinopoli præeſſent, feciſſet; qui ſuadendo ad ſanitatem, atq́; æquitatem illos facilè adducere potuiſſent: &, ſi quam Marchio ab Imperatore iniuriam accepiſſet, eam iuſta ſatisfactione diluere. Bonifacius, etſi primo durior quàm deceret inuentus eſt, excuſare tamen iracundiæ ſuæ impetum; ſeq́; indignis modis ab Imperatore habitum, commodiſq́; palmarum, quas ſe præcipuè peperiſſe, ipſos Legatos teſtabatur, fraudatum, ad ea, quæ ira amat, impulſum fuiſſe. Villharduinus quidem excuſationem ſuſtinens, ab eo tamen tanto tempore contendit, vt perſuaderetur, & diſceptatione magis, quàm vi, rem tantam componi cuperet. Itaq́; quòd Dei primùm ope, deinde Baronum deprecationibus, quos Marchio in conſilium adhibebat, Villharduino fauentium, perfectum eſſe credendum eſt; Bonifacius reſpondit, ſe Dandulum Venetiarum Principem, Ludouicum Bleſenſium Comitem, Cononem Bethunium, vnà & ipſum Gotthofredum Villharduinum, homines ſapientes, & aperti conſilij, & pactionum iuratarum conſcios, arbitros libenter ſumere. Interea Adrianopolis, & Sambruici oppugnatione intermiſſa, pactę inducię inter Balduinum, & Bonifacium. Porrò Conſtantinopolim redeuntes, Villarduinum Mareſchallum, & Manaſſem Inſulanum gratiſsimo animo in caſtris ſuſceptos conſtat, quod in pacificatione tantorum Virorum, Barones, ac Dandulus toto animo, & mente, dies, ac noctes incumberent. Quę omnia vt Græcis hoſtibus dolentia, qui diſcordiam belli amore longius ſerpere cupiebant, ita Venetis & Francis maximè iucunda, & grata per vniuerſam Thraciam fama diſsipantur. Obſidione igitur Adrianopoli ſoluta, Marchio ſuas copias Didymoticum, vbi Auguſta eius vxor reſederat, per Thraciæ fines ſine maleficio reducit. Oratores eadem celeritate qua diſceſſerant, legationem Conſtantinopoli Proceribus renunciant. Qua de re magna voluptas

Dan-

Dandulum Venetiarum Principem, Bleſenſium Comitem, ceteroſq; Barones, & Equites cepit. Continuò Legatos Theſſalonicam decernunt cum litteris ad Balduinum Imperatorem, quibus ſignificant, Marchionem Theſſalonicę Regno contentum, Didymotici eſſe cum Auguſta vxore, de iure, iniuria, ſummo ipſorum arbitrio ſtaturum, eoq; nomine fidem dediſſe: fidei autem ſignum certiſsimum, inducias cum Adrianopolitis ſanctè conſeruatas: orare Imperatorem, vt eodem iure vteretur: Nullo enim ſe pacto diſsidia inter ipſos, atq; adeò bellum ferre poſſe. Poſtremò hoc poſtulare, exemplo Bonifacij, in ſeipſos eoſdem conſentire ne recuſaret. Ita Legatos cum mandatis dimittunt. Interea Balduino ad Theſſalonicam agenti, apud quam armatos firmiſsimo in præſidio collocarat, cui Raynerium de Monte, Equitem Hannonium ad Caſtrilocum, cui plurimum fidebat, Virum fortem, & militiæ honoribus clarum, prefecit, nunciatum eſt, Marchionem Didymoticum cepiſſe, regionibuſq; circumiectis, facilè potitum; Vrbem præterea Adrianopolim circumſediſſe. Ea res quum Imperatoris animum vehementer exulceraſſet, vt ex vultu admodum turbido, ac triſti, meror animi facilè cerneretur; nihil in vita vnquam æquè offenſus Balduinus fuiſſe videbatur, quàm illo nuncio de Didymotico capto, & Adrianopoli obſeſſa. Ita, ſine vlla cunctatione in Bonifacium profectionem maturat (nam eius dicta cum factis componens, nihil eum pro bono, & ſano cliente, vnquam facturum iudicabat) vt Adrianopolim obſidione liberaret, ſimul & Marchioni omnibus modis incommodaret. Sed magna Dei prouidentia fauſtius omnium opinione euenit; qui cum omnia genuerit, niſi eadem amaret, & conſeruaret, hoc incendium ſola Chriſtianæ Reipub. ruina extinctum fuiſſet. Ille igitur diuino inſtinctu æquiorem mentem induit, nec ſe tranſuerſum agi ſinit. Ita placidè à Theſſalonica diſcedit, nec id ſine incommodo: Exercitus enim caſtrenſi illuuie, & alieni celi inclementia, ita valetudine tentatus erat, vt vulgatis morbis, quotidie funeribus caſtra complerentur. complures infirmitate in caſtellis lethaliter reſidebant: multi incommoda valetudine languentes, Imperatorem ſequi non poterant: multi quoq; qui rem ad ſumptum habebant, lectica delati. adhæc illuſtrium Virorum funeribus Imperator, totuſq; Exercitus, eorum dolore, qui ſuos lugebant, quotidie dolorem maximum ſuſtinebant. Defunctus vita ad Serras Ioannes Nouiodunenſis, vir togatus, conſilio & facundia facilè princeps, idemq; Flandriæ, & Imperij Cancellarius, rerum diuinarum, atq; huma-

narum ſcientia, Ciuiliumq; vſu magnus; &, quæ homines obſtupefaceret, eloquentia ante alios omnes præſtantior: ſed, Baronum nomine Romana ad Innocentium III. Pontificem Maximum Legatione longè clariſsimus. Eum in Exercitu honoratiſsimi quiq; luxerunt, quòd diuinis cohortationibus mœrorem, ac tędia malorum belli, facilè leuaſſet. Ecce alterum infortunium de morte Petri Ambiani Equitis ditiſsimi, optimi, fortiſsimi. eius fatum toti Exercitui valdè doluit; ſed tantum virum præcipuè Hugo Comes Sancti Pauli ſuum amitinum luxit. qui, ad Hieroſolymam liberandam cum votiuis militibus pari pietate in Francia exardens, ſecum ſuperioribus annis notam Cruciatorum acceperat. Mox & Gerhardus Machortius, Eques maximi pretij, Balduini Imperatoris cliens; Ægidius Lanoius, quadragintaq; Equites raræ virtutis, in ea peragratione morbò perierunt: Eaq; clades aduerſo prælio maior habita, dimidia Equitum abſumpta Exercitum vehementer attenuauit. Balduinus in itinere Legatos cum litteris à Conſtantinopoli offendit. horum aduentu Imperiales ad certam pacificationis ſpem deuolui. In his erat Iacobus Franſures cliens Comitis Bleſenſium, vir eloquens & in dicendo ſuauis, eoq; plus cęteris ſapere credebatur. Is, à ſuo domino, à Duce Dandulo litteras Balduino tradit, nihilq; ad gratiam locutus, cętera mandata liberrimè annunciat; docetq; Dandulum Venetiarum Principem, & Bleſenſem Comitem, omneſq; qui Conſtantinopoli eſſent, de eius & Bonifacij pugna dolorem animo vix conſolabilem accepiſſe. Dei fidem obteſtatur. Hoc enim cum tanta acerbitate diſsidium, nihil niſi Reip. Chriſtianę excidium parturire, nihilq; grauius principes viros committere, ipſa aurium adulatoribus patefactione, quæ ipſos ſæpè ipſorumq; Imperium euertit. Hoc illi præterea dicere, Marchionem Bleſenſis domini ſui, Itemq; Danduli Ducis, & Bethunij arbitrio ſeſe dedere; ipſos quoq; ſe ſponſores voluntatis Bonifacij profiteri. Idcirco, omnes ipſum Imperatorem dominum ſuum precari, vt pernobili facinore controuerſiam omnem ſuæ ſententiæ permittere vellet; vt, qui omnibus imperat, ſibi ipſi prior imperaret, facilitatemq; & clementiam diuturnam Imperij cuſtodem, cum poteſtate coniungeret. Præterea, ſibi ſubditos, exemplo doceret, amicitias immortales inter ſe, inimicitias verò mortales habere oportere. Addit poſtremo, ſuum dominum Bleſenſem, Dandulum Ducem Venetum, Barones, Equites hanc contentionem diutius pati non poſſe, quòd hęc conditio Imperio data ſit, vt ius ſuum cuiq; reddat. Balduinus, ſe deliberaturum reſpondit. Con-

feſtim conſiliarios fidiſsimos de tanta re conſulit. Dictæ ſententiæ ab his, qui vtrumq; animis inter ſe exulceratis eſſe volebant, quiq; gaudebant eorum ſimultate, quaſi alter impedimento eſſet alteri, Venetum Ducem, Bleſenſium Comitem, prȩſidiarios Equites Conſtantinopolis, nimium ſibi ſumere, atq; adeò Imperatori, & Cæſari nefario auſu contumeliam facere, qui Balduino, & Auguſto & Domino, à cliente Bonifacio leges turpiter dici paterentur. Criminantur, cuſtodes etiam ipſos Conſtantinopoli ab Imperatore affixos, ſe, niſi Balduinum dicto audientem habeant, vim facturos, & ad imperata coacturos. quænam, concludunt iſta, ſi non coniuratio eſt & rebellio? Maieſtatem tibi retinendam cenſemus, & in eos, quòd leges, iuraq; poſtulant, vindicandum: At ſaniores ſuadere, boni & æqui conſulendum, quæ Dandulus Venetiarum Dux ſumma ſapientiæ laude clariſsimus, Ludouicus Bleſenſium, & Carnutum Comes, Barones, Equites, bono publico Imperatorem monuiſſent. Eos tantum abeſt vt ab ſe alienare velit, vt eos ſibi omnibus numeris coniungere debeat. Illa conſulta Balduinus Legatis reſpondit, ſe pro Auguſta ſummi Cæſaris dignitate; pro gradu in quo ſe vniuerſi Galli, & Veneti collocaſſent, neminem ſibi iudicem arbitrum've dari paſſurum, quem iuris, iudiciorumq; fontem omnes habere oporteat. Verùm, vt Conſtantinopolim, quò iampridem Theſſalonica profectùs intenderet, perueniſſet, ſe nemini quicquam incommodaturum, omneſq; lenius opinione auditurum. atq; in his Bonifacium Marchionem ſuum clientem, ſi ſua fide, ſupplex ad ſe accedere velit. Imperatori de via Conſtantinopolim ingreſſuro, Barones, Veneti, cæteriq; Conſtantinopolitæ triumphali pompa obuiam procedere, ac parem (quòd in his fuit) eius maieſtati honorem habere. Quatriduò poſt, cum impetus omnis conceptæ iracundiæ deferbuiſſet, Imperator re ipſa ſenſit, Bonifacium Marchionem, pro eo ac nouerat, dignandum fuiſſe, ſaltem tantum virum, tamq; vtilem, à ſe non abalienandum. Qua de re, ipſum Dux Dandulus, Bleſenſius Comes, & Conon Bethunius adeunt; itaq; Dandulum, poſtquam Imperatorem humaniter complexus eſſet, ſecum locutum ferunt. Ego te Imperator Auguſte reducem gratiſsima mente conſpicio, quem oculis non poſſum. Ea enim ſpe ſum, & qui mecum eſt illuſtris hic Bleſenſium, & Carnutum Comes, Bethuniuſq; Conon, tua æquanimitate, diſcordias omnes extingui poſſe: vnum hoc ideò te exorari, vt ſinas, oro. Cum enim leges, quæ ab odio & gratia vacuæ ſunt, quòd auſpicatò omnium ſuffragijs, qui illis

ipſis tenenrur ferri ſoleant, neminem ſuæ cauſæ iudicem eſſe velint, tute Imperator (etſi legibus ſolutus es) legibus tamen viuere æquo animo feras. nam, quales in Imperio Principes aduerſum leges ſunt, tales quoq; reliquos ſolere eſſe ciues. Si legifragum ſemel eſſe placet, cæteros legifragos planè effeceris. Quare, ſi tibi noſtri ſenſus de Repub. Chriſtiana noti ſunt, ſi Comitis Bleſenſis, ſi Cononis Bethunij animus, ſi omnium Baronum egregia in te voluntas ſatis perſpecta eſt; illos, conſiliarios audi: illos, tuæ cauſæ arbitros eſſe iube. ne, dum iniquę iracundiæ impenſius quàm pietati indulges, Baronibus fędè in partes deductis, tua vnius pertinacia, vniuerſum Imperium cum perenni Auguſti nominis tui infamia, ſupremæ cladis diſcrimina incurrat. Imperator Danduli Venetiarum Ducis oratione permotus, Baronum precibus non ita grauatè manus dedit. Is enim quanquam aliquantum ſtomachoſus erat, tamen vbi ſe collegiſſet, in rationis tanquam gyrum deſcendebat: ſeq; melioribus moderandum tradebat. Itaq; ius ſuum lubens eorum ſententię permittere. Extemplò decreta Legatione militares, & togati viri electi, qui honoris cauſa Bonifacium Conſtantinopolim accerſerent. Gernaſius Caſtellanus, Raynerius Traiectenſis ad Traiectum Moſæ, Gotthofredus Villharduinus. Dandulus ad exornandam Legationem, de ſuis Venetis patricijs duos adiunxit. Ita, cuncti Legationem obeunt, iuſtiſq; itineribus emenſa Thracia, & Hebro amne ſuperato, Didymoticum ad Marchionem, & Auguſtam éius vxorem, magno equitum Comitatu accedunt. Villharduinus pro omnibus verba facit, oratq; Bonifacium, fide Imperatoris, cum ſuis Conſtantinopolim, vt veniret. Se pacem, inter ipſos, quæ Veneto, Bleſenſi, & Bethunio videbitur, conciliatam iri ſperare. Nec enim Imperatorem arbitrio Danduli, & Baronum refragaturum; ſe, & collegas fide publica Bonifacium eiuſq; comites in Vrbem conducturos. Marchio intimos, & fideliſsimos in concilium vocat, & quanquam pars adeundum cenſeret, pars Didymotici manendum, tamen hoc conſultum valuit: vt, Marchio centum cataphractis Equitibus, tanquam firmo Procerum præſidio, non iuſto Exercitu comitatus, ſeſe in viam Conſtantinopolim daret. Itaq; nulla profectioni mora facta Byzantium ingreſſus, ęquiſsimis omnium animis accipitur: quinimò Ludouicus Bleſenſium, Carnutumq; Comes, Dux Venetus, ac multi Equites extra Vrbem honoris cauſa Bonifacio obuiam ierant, quòd Exercitui eſſet longè chariſsimus. Concilio de pacificatione coacto, decernitur, vt his conditionibus iurata perſcriberentur. Theſſa-

loni-

lonicem videlicet Bonifacius cum tota Theſſalia, iure clientis poſsideret. Interea, in Didymotici poſſeſsionem Villharduinus Legatus ſequeſter mitteretur; dum certo nuncio, aut litteris cera ſolenni, aut annulo ipſius Bonifacij obſignatis, Bonifacium in poſſeſsione Theſſalonices eſſe, accepiſſet. Quo certior factus, iam Didymoticum, Imperatori reſtitueret. his legibus pacificatio inter Imperatorem, & Marchionem confecta, & perſcripta eſt. Qua de re, lætitiam voluptatemq; ſummam totus Exercitus apertiſsimè tulit, quòd horum diſcordia Imperium omnino dilapſurum videbatur. Itaq; ignibus totis Caſtris per multas continentes noctes excitatis, ludum, & lætitiam oſtendebant. Mox Bonifacius ſalutato Balduino, bona cum eius venia Vrbe diſcedit, cumq; omnibus ſuis copijs in Macedoniam reuertitur. Itaq; Auguſta Didymotico accerſita, Theſſalonicam verſus abijt. Atq; ita in itinere omnes eius Regni Ciuitates, tùm quæ verſus Thraciam conſtitutæ erant, tùm quæ ad Tempe Theſſalica pertinent, Bonifacium vtilem Dominum ſecundum Imperatorem, & Imperium agnoſcere. Qui Theſſalonicæ Balduini nomine in præſidijs erant, aduentantem Bonifacium patentibus portis accipiunt, tanta alacritate amicæ Ciuitatis, vt neq; ſplendidius excipi, neq; donari liberalius pompæ comites iudicarent. Ibi, paulò antè Raynerius de Monte Hannonius, Imperialis præſidij Præfectus, diem obierat. Cuius morte omnibus dolor acerbus inceſsit: quando magnam Hannonij clientis, itemq; fortiſsimi Equitis fato, calamitatem Balduinus Imperator accepiſſet. Continuò popularium non lætitia modò, ſed fauor etiam, omnibus rebus ſeſe oſtendere, quas amor nouo Principum dilectorum in Vrbes ingreſſu fieri ſuadet. Omnes itaq; clientes ſubclienteſq; Regni, in fidem noui Domini Bonifacij, conuenire; vno Leone Sguro Græco excepto; qui metu pœnæ deterritus, quòd vi Corinthum, & Nauplium duo maritima Peloponneſi oppida, ſitus opportunitate, & ciuium numero, ac munimentis omnibus firmiſsima teneret, rebellare conſtituit: Regemq; Theſſaliæ Bonifacium compoſitis circa Thermopylas inſidijs, primo quoq; tempore laceſſere: tantum abeſt, vt ſe fidei Bonifacij committeret. Ei adiutor aderat Michael Comnenus (Ioannis Seuaſtocratoris ſpurius fuit) qui Ætholiam, & confinia Nicopolis, & quę ad Epidamnum vergunt, inuaſerat, Bonifacij paulò antè Conſtantinopoli itineris comes. Is, cum in honore fideliſsimorum apud Bonifacium haberetur, in quoddam Peloponneſi benè munitum oppidum, inſalutato Marchione, tanquam in portum, confugit.

fugit. Homo militaris ac confidens, vt quacunq; potentior eſſet, filiam Græci cuiuſdam longè ditiſsimi, qui eam vrbem in ditione Imperatoris regebat, vxorem duxit. Inde ex Peloponneſo in Macedoniam & Theſſaliam, Marchionis Regnum populabundus incurrere. Interea loci Conſtantinopolis, cæteræq; Thraciæ regiones finitimæ, pace fruebantur. Nemo in Thracia graſſari, aut in agris laſciuire; ſine maleficio omnia ab Theſſalonica Conſtantinopolim itinera, omnibus tuta, vt nuſquam bella fuiſſe tanta tranquillitas pacis, & otij, Latinorum beneficio, oſtendebat. Porrò Theſſalonica Vrbs opulentiſsima, Macedoniæ Metropolis, Regno Theſſaliæ nomen dedit, Thermæ Macedoniæ antiquis fuit, ad Thermæum Ægei ſinum, iuxta Axium fluuium, quem hodie Varadiuum vocant, diui Pauli hoſpitio celebris, ſupra cæteras Macedoniæ vrbes, eximia ciuilitate olim floruit, & procul à Conſtantinopoli duodecim dierum itinere. Ciuitas perampla, rerumq; omnium ad belli vſum abundans: Theodori Gazæ, viri auorum noſtrorum ætate Græcè, & Latinè doctiſsimi, patria fuit. qui Amurathe Turcarum Imperatore Græciam vaſtante, in Italiam venit, & Latinis literis mira felicitate perceptis, acumine fertilitateq; ingenij nemini ſecundus, Græcos, & Latinos omnes ſui ſæculi ſcriptores (quòd hiſtoriæ Ariſtotelis de Animalibus, & Theophraſti de Plantis Latinæ factæ declarant) linguæ peritia eruditoq; iudicio ſuperauit. Cæterum cum Autumnus præcipitaret in Septembris exitum, Balduinus autem Conſtantinopoli ſumma humanitatis & clementiæ laude imperaret, ciuitas tamen pace vſa in eius fide permanebat. Sub idem tempus, Conſtantinopoli, Euſtachius Canthellus, Antimericus Villaregius, Equites fortiſsimi, vita defuncti ſunt. horum morte, cùm ipſorum amici ac familiares, tùm res Chriſtiana inſigne detrimentum accepit.

PAVLI RHAMNVSII VENETI

DE BELLO CONSTANTINOPOLITANO

LIBER QVARTVS.

PER idem tempus in ſumma pace, & tranquillitate, omnes vt par erat, ad partarum rerum partitiones oculos animumq; adijciunt. Itaq; Balduinus Imperator, & Dandulus, Exercitusq; votiuus, Peregrinos vocabant, electis XXIIII-Viris, prout antea communis conſilij fuerat, de Venetis XII. & totidem de Gallis, qui iurati beneficia, ſiue feuda Imperij, munera & honores, inter Venetos, & Gallos diſtribuerent, ſimul & ſeruitia, ſiue operas imponerent, & indicerent, quas Imperatori, & Imperio edere deberent, æquis partibus diuidunt. Sed quoniam Villharduinus, vt ſummatim, ita minimè enucleatè ſuis Commentarijs dixit aſsis, ideſt totarum rerum Imperij, quadrantem Imperatori lege diuiſionis, Venetorum & Gallorum voluntate inter ipſos pactæ conuentæ adiudicari; reliquum autem dodrantem, ipſis Gallis, & Venetis diſtribui: Nec enim recenſuit, quæ res ſoli, vel quadrantis Imperatorij nomine continerentur, vel in Danduli, & Venetorum, Francorumq;

qua-

quatuor vncias, & dimidiatam venirent. Nos, non quæ audita, ſed quæ de iiſdem rebus, memoria Venetæ Reipub. tabulario, CCCLX. ab hinc annis conſignata eſt, prout ab Ioanne Franciſco Otthobono, magno Venetæ Reipub. Cancellario accepimus, qui XVirum permiſſu, nobis exſcribendi poteſtatem fecit, eam literis prodemus: ac verba quantum in nobis erit, verbis reddemus, quò facilius, ad eruditorum legentium voluptatem, quæ illo ſęculo fuerint cuiuſq; iura noſcantur. Cæterum poſt labefactatam priſcę non modò virtutis & dignitatis, ſed poteſtatis etiam Romanę, atq; ipſius Imperij ſtatum, ſede eius multo ante tempore à Conſtantino Magno Byzantium tranſlata, cum Græcia omnis, & Thracia, Valente primùm; mox Valentiniano imperantibus, hinc Gotthorum, & Vandalorum incurſionibus; inde Aſia Scytharum, & Sarracenorum ſuperuentu, belliſq; continenter geſtis adeò vaſtaretur, vt ampliſsimæ alioquin Vrbes Græcorum, olim & Romanorum temporibus celebres, paucorum annorum ſpacio, funditus euerſæ fuerint. eò redactæ Europæ res fuere, repetitis diuerſorum populorum impreſsionibus, atq; inualeſcentibus Barbaris, vt antiquis Vrbibus dirutis, recentibuſq; ſubinde conditis, gentium fines, & nomina confunderentur. eo euentu, vt nec priſca nomina retinere, nec veteres fines per LXXXX. annos, in hanc vſq; diem ſeruare illæſos potuerint. Ineuitabili enim naturæ lege, adeò fluxa, & caduca ſunt mortalium omnia, vt rerum, ac populorum caſum, aut mutationem, vel nominum interitus conſequatur. quo datur intelligi interminas eſſe rerum humanarum viciſsitudines: & quemadmodum homines, ſic quoq; quæ ab ipſis ad congregandos, tuendoſq; cætus primùm inuenta, & conſtituta, non modò domos, villas, vicos, ſed ipſas etiam cùm maiori opere, tùm ad vſus etiam potiores conditas conſtructaſq; vrbes, multis modis ad caſum interitumq; pronas & expoſitas eſſe ſolere: quem, ne ampliſsima quidem Regna, & Imperia, quę ſuis quoq; fatis & periodis obnoxia, nihil ſtabile & diuturnum habent, effugere atq; euitare poſſunt: vt veriſsimum ſit, quod ſermone vulgi circumfertur, nullum vnquam ſęculum aduentare, quin ſuam quandam morum & rerum faciem à prioribus diuerſam, ſecum inuehat. vt non alia in parte naturæ fidelius nos mortalitatis, & incertitudinis rerum omnium diuina ſummi numinis prouidentia admonuerit, ſi fortè cęleſtia cogitare, & ad aliam vitæ conditionem retinendam accingere nos pergeremus. Nam, ne terra quidem adeò in tuto locata eſt, quin aut horrendis motibus agitata, aut alia quadam naturæ

vi &

vi & ratione incitata, regionum, locorumq́; non modò ſitum, ſed formam etiam, conditionemq́; immutet: cum aut inundantis Oceani fluctibus hauſta, alieno elemento cedit, aut in ipſo maris profundo exaggerata, patentes eminenteſq́; campos, magno ambitu, & circuitu extra fluctus vndaſq́; ſternit, atq́; educit; aut iacente planoq́; ſolo, in montes aſſurgit, aut contrario motu, ingenti baratro abſorpta, in ima dehiſcit. Ea propter, in Vrbium atq́; prouinciarum Conſtantinopolitani Imperij per Venetos, & Gallos parti, diuiſione recenſenda, hoc loco amicum lectorem admonitum volumus, vt ſi qua interim barbara nomina Ciuitatum, vel Oppidorum, aut Inſularum, in Græcia, Thracia, aut Aſia, priſcis authoribus minus nota referemus, ea, ſciat nos ob veterum gentium migrationem Barbarorum aduentu, quòd priſca nomina penitus interierunt, & eorum nomenclaturam, neq́; apud Grçcos, neq́; apud Latinos ſcriptores inuenerimus, nudis, id eſt barbaris recentioribus nominibus, ne qui notitiæ locorum, quibus ſcatet hiſtoria, rudes & ignari exiſtant, prout in Reipub. tabulario leguntur, notaſſe: ita verba verbis reddentes, vt dum fidem publici tabularij ſequimur, nihil voces torſiſſe videamur. In cæteris autem, in quibus priſca hiſtoria, atq́; antiquitate duce, veterum nominum veſtigia perſequendi facultas fuit, vt ea quamuis multo iam tempore vulgi vſu, & ſermone deſueta, tamen commemorandis locis tribueremus, omni ſtudio conati ſumus. Nam cum dubium non ſit, quin bonam partem earum quas memorabimus Vrbium, & locorum, quę poſt Conſtantinum in Grçcia, atq́; Aſia, Orientis Imperatoribus ceſſerunt, iam inde ab Athenienſium, & Lacedęmoniorum temporibus, aut magni Alexandri monarchia, quibus res Græcorum florebant, aduſq́; Villharduini ſæculum, & Conſtantinopolim à Venetis, & Gallis captam, per mille, & quingentos amplius annos, aut bellorum interneciones aboleuerint, & abſumpſerint, vel ſpontè nata, aut ſuggeſta incendia, aut motus terræ (qui Aſiaticas, & Thraciæ, Græciæq́; Ciuitates, ceu quodam iure percellere, & diſijcere aſſolent) quaſſarint, aut vicinis in agris exortæ calamitates, deſertas fecerint; ſeu, ſi nulla iniuria reliqua nocuit, nomina tamen mutari contigerit, quod vel in ipſo Byzantio videmus. multas autem ipſa vetuſtas, quæ nihil non conſumit, luxauerit: contra verò, multas enatas Conſtantinopolitanis Auguſtis imperantibus, aut à Triballis, & Myſis conditas, quarum Villharduini ſęculo magna celebritas eſſet; nunc autem penitus dirutarum nomine tantum ſuperſtite, nec notitia ad nos earum peruenerit, nedum, vt veteres Hiſtorici meminiſſe illarum po-

fuerint, nihil me ad veterum rerum memoriam retinendam, vtilius, nihil ad Hiſtoriæ Latinæ præſertim grauitatem præſtandam, accommodatius, aut ad officium meum potius facere poſſe, & debere me iudicaui, quam ſi illa, ſiue corrupta, ſiue amiſſa priſcę ætatis nomina, locis rebuſq; ipſis, tanquam cum his hæreant, & conſiſtant, omnibus à me veſtigijs indagata, reddere & applicare inſtituiſſem. Vt enim Hiſtoria res plerumq; remotiſsimis ſęculis geſtas, ceu recentes, offert animo, nec vnquam tam nuda eſt, quin locorum, & regionum, Regumq;, & populorum ſubinde aliquam mentionem inculcet, ſic ratio ipſa flagitat, vt in Vrbium Imperij inter Venetos, & Francos partitione pernoſcenda, vetuſtiſsima quæq;, etiamſi abolita extinctaq; ſint loca, tanquam nuper extent, ob oculos ponamus, atq; non vbi ſint, ſed quo loco, tractu've fuerint pleraq;, magna cura perquiramus. Quam operam ſi vllus alius, certè Villharduini Gallicus liber maximè exigit. Neq; enim poteſt quadrantis Imperatorij, & dodrantis Veneti, & Galli mentio rectè, ſine accurata nominum, & locorum obſeruatione intelligi. Certè in hoc aliquantulum elaboraui, vt Ciuitatum, Montium, Fluminum, & Viculorum vocabula eruerem, quæ vel eadem eo Villharduini ſęculo corrupta & barbara, vel priſcis antè Græcis manſiſſent, vel immutata ſint poſtea Turcarum Imperio, vel aliqua parte corrupta: neq; pręterea pertæſum, nouis priſca, alienaq; noſtris alicubi miſcere: maximè autem rerum Gręcarum, & Romanarum, Virorum illuſtrium, Eccleſiarum, Paſtorumq; veterum, quæq; ad Religionem attinent, per interualla meminiſſe, quod opere huic videretur reſponſurum precium, ſi guſtum offerrent ſtudioſis, quò deinceps ad reliqua veteris Gallorum, & Venetorum Conſtantinopolitanæ expeditionis monumenta diligenter perquirenda, alacri animo firmarentur: indicarentq; quantum decoris & gloriæ Regibus Chriſtianis accederet, ſi in communem hoſtem, communi conſenſu arma ſua, non ſolùm gloriæ, ſed tuendæ quoq; pietati, & publicæ quieti deſtinata, ſumenda eſſe exiſtimarent. vt ſcilicet ſacro bello Pontificis Max. auſpicijs, poſt tot annos indicto, ſublatoq; in hoſtes Chriſtianæ Crucis vexillo, vnde noſtræ ætatis virtutem poſteritas intelligere queat, Vrbs iterum Conſtantinopolis, atq; Orientis Imperium, Chriſtianis gentibus debitum peteretur. Sed video, me imprudentem etiam in enarrando indulgere calamo, ac Chriſtianorum clades deplorantem, iterum velut ex integro, minus quàm deceat, fortaſſe præfari. Proinde ad Vrbium Imperij partitionem nobis reuertendum. In quadrantem igitur Imperatoris XXI Vviri

æſtima-

æſtimatores, quartam Vrbis Conſtantinopolis cum Thraciæ agro adiudicarunt, eamq́; in regione aſsignarunt, ab ea, quæ ab Aurea vrbis porta, Blachernæa, & Occidentali ſtagno, vſq́; ad Agathopolim pertinet. agrum itidem ab ipſa Ciuitate Biziæ, vſq́; Tzurulum, & Theodoropolim adiunxerunt. Prouincias præterea optimatum, Nicomedenſem in Bithynia, Tharſenſem ad Cilicas, Diui Pauli Patriam, Peluſiacam in Ægypto, cum ora ad Canopicum os, & ad Nili oſtia. Vltra quæ, Occaſum verſus, Memphis iacet, Regia olim Ægypti Principum: & qua ſtadiorum aliquot interuallo Pyramides, illæ ſtupendæ altitudinis turres, interq́; orbis miracula habitæ conſpiciuntur, Ægyptiorum Regum pecuniæ ſtultam oſtentationem referentes. Pręterea Paphlagoniam, & Bucellarij, & Mariandenorum minoris Aſiæ prouincias, Galatiæ proximas: atq́; item Bithyniam, Phrygiam, Lycaoniam, Pontum, & Cappadoces hinc ad Taurum, montanaq́; inde ad ipſam vſq́; Sinopem Eupatoris patriam, & ſecundum Euxini oram, Trapezuntem, & Colchidem. In eandem porrò partem Auguſti, inſulas maris Ægæi cedere voluerunt, Lesbon, vnam omnium inſularum, quæ ſunt ad Occiduum Aſiæ frontem, clariſsimam: non fertilitate ſolùm, ſed vrbium frequentia, & clarorum quondam virorum fama pernobilem. Obijſſe in ea vrbes aliquot terræ motibus, & maris hauſtu, ſcriptores tradunt. memorantur ex reliquis Mitylene, à cuius nomine tota inſula hodie Metellinum dicitur, vrbs clara Pittaco ex ſeptem ſapientibus vno, Alcęo Poeta, Diophane Oratore, & Theophane rerum ſcriptore, magni Pompei admodùm familiare. Methymna inſuper, & Ereſſus illa, quæ Theophraſtum genuit Ariſtotelis diſcipulum, & in ludo ſucceſſorem, Lesbij vini, vt ſuauioris, commendatione apprimè memorabilem. Lèmnum præterea Atho monti aduerſam, quem Xerxes Rex Perſarum, continenti abſcidit; Stalimenem vocant, rubrica Lemnia antidoto aduerſus venena præſtantis habita nobilem, quę antiquis non niſi ſignata venundabatur, vnde ſigillariæ nomen hoc tempore adepta eſt. Scyrum Ægæi Inſulam ex Cycladibus iuxta Magneſiam, cum vrbe eiuſdem nominis, Homeri tumulo inſignem: &, quæ infra Conſtantinopolim, atq́; Andrum ſunt, inſulas, Proconeſum, ſcilicet Propontidis inſulam, nunc Marmoream dictam, Cetracon, Iſtrouillam, Samum Iunonis templo, Pythagoræ ortu, & fictilibus claram, inter Icariam inſulam, & eam Aſiæ oram, in qua Epheſus olim fuit. Thenum, Neptuni templo nobilem, & Samothracem Ægæi portuoſiſsimam inſulam Thraciæ adiacentem, quà Hebrus in mare influit:

Lemno quidem minorem, ſed fama longè celebriorem: quam Samum primo dixere, poſtmodùm Thraciam nominarunt, ad eius quæ Aſiæ obiacet, differentiam. Vrbes adhæc & prouincias Aſiæ, Pylon, Pythiam, Ceramum, Mallaginem, Attramytenam, in Æolide Chiliaram, Pergamenam Troadis nobiliſsimam, quę diu Attalicis Regibus paruit, cum Caico campo, & regione valdè opima. Regiones præterea Neocaſtri, Mylaſenam cum Mileto Ioniæ vrbe, atq; Aſiana Laodicæa ad Lycum fluuium, atq; ijs quę ad ipſos Myſos, Lydos, Cares, & Ionas, ad Męandrum, & Lycaones pertinent; cum Rhodo, Cariæ, & Lyciæ aduerſa inſula, veterum etiam ſtudiorum, & eloquentiæ memoria nobili: Ad Helleſpontum præter hæc, Lampſacum Aſiæ Vrbem in minori Myſia, quà ex Helleſponto ſe Propontis aperit, magni Alexandri in Perſas conſcentione nobilem; quam olim Themiſtocli à Rege Perſarum dono datam ferunt. Troadis vrbes, oppidaq; ad vſq; Idam montem, & vetus illud Ilium, Troiani belli memoria celeberrimum. Samachium inſuper cum Strategijs (Contoſtephanatus, & Camyzatus Græci vocant) atq; ipſa Chio, inter Samum, & Lesbum pernobili ac fructuoſa Icarij inſula, centum millium paſſuum ambitum complexa: in qua, Pelleneus mons marmore olim, quod Chium vocabant, celebris; ſed & Chio vino inter laudatiſsima longè nobilior. Reſinam Chij, è lentiſco manare ſcribunt: Maſtichem, ſeu Maſticen vocant, adeò laudatam Medicis, vt nec Indica, nec Arabica antecedat: neq; quę ex Græcia, & Ponto aduehitur, melior ſit. Rurſum, Pharſalum Macedoniæ oppidũm, Theſſalicæ regionis ad Enipei ripas, cum circumiecto agro & campis, qui ciuilium bellorum maximis cladibus nobilitantur. Didymoticum Thraciæ oppidum ad Hebrum. Athyram item, Almericum, & in Macedonia ad Pelaſgicum ſinum (quem nunc Volum dicunt) maritimam Polyorcetæ vrbem, Demetriada. Neopatrum præterea, cum prouincia Velechatina, Petriopolitana, Dipotami, & Calaci, & quæ ad Oreum Athenarum ad mare iuxta Euripum Chalcidis, & Iſthiæam vrbem antiquis olim Athenienſium Colonia nobilem, pertinerent. Ceſſere inſuper Megarenſes & Bęotij, in quibus Thebæ ille fuerunt Epaminunda Duce, & Vate Pindaro veteribus memoratę: hodie, tantę vrbis loco, Caſtellum tantum eſſe tradunt. Attica inſuper omnium Gręciæ regionum olim celeberrima: cuius Athenæ, vrbs non Imperij ſolùm latè quondam dominantis, ſed & artium omne genus, & ingeniorum præſtantiſsimorum alumna fuerat, quòd pręcipuo Imperatoris honori datum, eius partis

tis

tis eſſe voluerunt, ab ipſis Theſſaliæ finibus, & Thermopylarum anguſtijs quæ terra Grçciam claudunt, ad vſq; Sunium Promontorium, quod Columneum caput dicitur, ad Myrtoum mare. At Dandulo Venetiarum Principi, quatuor vnciæ, & dimidiata, rerum Imperij Conſtantinopolitani conceſſæ ſunt. in has veniunt Arcadiopolis, Moſynopolis, Bergula, Thraciæ vrbes, cum agro, & Strategijs, Heraclęa, quæ Perinthus olim fuit, Herculis quondam opus, ab eodem, Perinthij Comitis memoriæ dedicata. pertinentia Chalcedonis vltra Boſphorum, cum Selymbria, & Rhędeſto maritimis Thraciæ ad Propontidem vrbibus. Additum Panium interioris Thracię vrbs, cum omnibus quæ ad Lopadium oppidum, & ad ipſam Adrianopolim, atq; Adrianopolitanam Diœceſim pertinent: cum Cupetio vico, Tzurulo vrbi finitimo, Ceraſio, Mircophyto, & pertinentijs Periſtaphi, Brachioli, & Raulati, ac Ciarnilli villis, ac Sagudæ Emporio, atq; his quæ ad Calliopolim vrbem in Helleſponti Cherſoneſo attinerent, vbi Seſtos Abydo obiacens, Herûs, & Leandri amore pernobilis. In ſeſcunciæ ratione cenſentur Peloponneſi interioris prouincia Lacedæmon, quę olim Sparta fuit, nunc Miſitra vocatur, omnium Peloponneſiacarum vrbium, Lycurgi legibus, & inſtitutis celeberrima, Menelai olim Regia; centum olim vrbium dominatu, & annuo Hecatombes Sacro inſignis, cum prouincię adiunctis, quæ magna, & parua pertinentia tabelliones appellant. addicta item Lialobrita, Oſtrobus, Oreus, & Caryſtus, Euboeæ Ciuitates. Ægæi verò inſulæ ad Saronicum ſinum, quem Ægineum dicunt, Andros, Ægina ipſa, Piręo atq; Attico litori obuerſa, & Culuris, olim Salamis appellata, Telamonis, qui Aiacis, & Teucri pater fuit, Regia: cum vrbe eiuſdem nominis, Themiſtoclis victoriæ clariſsima teſte. In Troezenio autem ſinu Calauria, inter ignobiles, aliàs letho Demoſthenis clara. Phytiuſa inſula, circum quam Græci Xerxem nauali prælio profligarunt. atq; extra Saronicum ſinum, quę circum Delon, circuli forma in orbem iacent, Cycladarum pars. Zacynthus præterea, & Cephalenia in Ionio ſitæ. Adhæc Locrenſium, & Achęorum vrbes in Peloponneſo, quę ad Corinthiacum ſinum vergunt, Patrę, Olenus, Cyllene Elęorum nauale, Clarentiam vocant, Elidis metropolim, quæq; ad Sicyonios pertinent. In Elide verò & Meſſenia, maritimis Peloponneſi regionibus ad Meridiem, Methone vrbs, cum Prothe inſula adiacente, Prodanum, & Sphagia quam ſapientiam dicunt, Strophadibuſq;, Pylo Neſtoris olim patria, Iuncum hodie vel Nauarinum dicunt, Meſſeniorum olim nauale.

uale. reliquiſq; oppidis atq; inſulis iuxta Coryphaſium, quę ad Ionium, & Africum mare vergunt, quęq; hinc Alpheo, & Paniſo, inde Eurota Laconiæ, Vaſilopotamon dicunt, fluminibus continentur. prętere, quę in Methonenſi regione ad Branam, & Cantacuzenum Græcos Dynaſtas olim pertinerent: quæq; Auguſtæ Kyręcherinæ Alexij Angeli fratricidæ Imperatoris filiæ dotales fuerant. Adhæc Molycera ad Naupacteum ſinum in Locris. Calydon, Pleuron, & Oeneas, quam Dragomeſtam appellant. Inſuper Naupactum vrbs amęniſsimi ſinus receſſu poſitum, Antirrhio proximum, Phocidiſq; Vrbes, & Vedrinizza, Achaiæ prouincia, cum his quæ ab Thermopylis ad Elidas, & Bœotios infra Parnaſſum, orbis vmbilicum, atq; Heliconem pertinent, cum ipſa Delphorum vrbe, atq; Apollinis oraculo, toto olim terrarum orbe celeberrimo. Nicopolis præterea in Epiro, Ambracij ſinus fauces intrantibus ad lęuam, Preueſam hodie oppidum dicunt, ab Auguſto poſt Actiacam victoriam conditum: & ob deuictum Antonium, quo duraret memoria, ſic appellatum. Cum his quæ ad interiorem Epirum, vbi olim fabuloſum Dodonæi Iouis templum, atq; ad ipſam Ambraciam Acarnaniæ Metropolim, Artam vocant, cum ipſius Buthroti vetere oppido. hinc, ab occaſu ad Acroceraunia, Chaonibus, & Theſprotis circum accolentibus, quà altiſsimis iugis in Ionium exeunt, Epirum finientia; inde, ab ortu ad Anatolici prouinciam, inter Acheloum Acarnanię, Aſpropotamum dicunt, & Euenum Ætoliæ fluuium pertinent. Anactorium præterea, in Acarnaniæ Cherſoneſo, Vonizzam appellant, Aziliam quam Vatolicam vocant, pluraq; antiqua Ætoliæ oppida, cum Dięceſibus, hoc eſt agri parte, vnde eò fori cauſa commearetur. cum maritima Leucade, quam veteres Heritum dixerunt, contra Ambracium ſinum, hodie ſanctam Mauram vocant, & Aſteria Ithacaq; inſulis, quaſq; Echinadas dicunt, Corinthiaci ſinus oſtio, & Acheloi eruptionibus proximas, magna Chriſtianorum noſtro æuo nauali victoria nobilitatas. Eo enim mari, inter Ætoliam, inſulaſq; Cephaleniam & Zacynthum medio, Chriſtiana Claſsis Ioannis Auſtrij auſpicijs, Marco Antonio Columna, Pij V. Pontificis Max. triremibus imperante, ac Sebaſtiano Venerio Claſsis Venetæ Imperatore fortiſsimo, eodemq; Diui Marci Procuratore, Selymi Turcarum Regis trecentarum amplius nauium Claſſem Naupactæo ſinu egreſſum, vt noſtros inuaderet, anno poſt CHRISTVM natum MDLXXI. die Virgini Iuſtinæ ſacra, Nonis Octob. debellauit: cum intrepidè cadente Auguſtino Barbadico, Ioannis filio, Venetę Claſsis cum Imperatoria

poteſtate

poteſtate Legato, vnà & eximiæ virtutis, & nobilitatis Trierarchis dum pro patria fortiſsimè pugnantes ex ſiniſtro cornu omnium primi prorumpunt, atq; hoſtes adoriuntur; idem Venerius cum reliqua claſſe in confertiſsimas Barbarorum triremes inuectus, atq; acriter dimicans, vnam omnium nobiliſsimam, quòd nunquam antea acciderat, de Turca hoſte victoriam patriæ reportauit. Ceſsit præterea in partem prouincia Dyrrhachij, quod olim Epidamnum fuit, ad Occiduum Macedoniæ frontem, Pyrrhi Epirotarum regis ſedes, quam primam Epirum quidam volunt. Albanopolis item cum Carthularatis, quæ Conſtantinopolitani Imperij Strategiæ erant: quęq; ad Agrauonitas, & veteres Taulantios in Illyrico, Cordæos, interiores Rhetios, Elimiotas, Chaones, & Theſprotos pertingunt: cum prouincia ſecundæ Epiri, Ianinam hodie vulgò vocant, ſub Acroceraunijs montibus ad Caſsiopæos pertinente. Lychnidium Daſſaritiorum, hodie Ochridam nominant, vnà & Priliſbæam regionem, cum ipſa demum Corcyra Ionij inſula ad Epirum vergente. Trienti vero, Deuotorum militum qui Peregrini quoq; vocantur, & Seſcunciæ cum dimidia, XXIV. æſtimatores, attribuerunt Lyſimachiam, Cardiam, Eleum, & Maditum, Thracij Cherſoneſi vrbes. præterea Gehennam vrbem, atq; item Pamphylum cum agro. Didymoticum vrbem, Anchialum, & iuxta Euxinum Pontum, maritimam regionem ſuperiorem, ad vſq; vrbem Meſſembriam, Megarenſium Coloniam. Et quæ ad Cypſellam, Zarellos, Lobizum, Biram, Macram, & Traianopolim, cum vicis (Caſalia vocant) Braconis, & quæ ad Cyzicum trans Propontidem pertinerent, adiecto agro, oppidiſq;, quæ ad ipſas vrbes attinent. Thracij verò Boſphori inſulas duas paruas, alteram in Europam, alteram in Aſiam vergentes, Euripo diſiunctas, Cyaneas dictas, & Symplegadas, priſcis aliquando creditas dictaſq; concurrere. at verò extra Helleſpontum, Tenedum Ægæi inſulam Sigæis aduerſam litoribus. Inſulas prętterea Cretici maris inter Sporadas, Anaphen, Poliegon, Aſinen, Theraſiam, Melon, & Ægęi ex Cicladibus Ion Homeri tumulo inſignem, Tuiſaccum, Paron, Oliaron, Niſyrin, Naxon, Aſteriam, Hiplagiam, Pathmon Diui Ioannis exilio nobilem, cum ſuis appendentijs. pertinentia Plitothi, Glauatonis ac Moliuoti, & Hyalo Caſtellij, & quæ ad Syroleſbera pertingunt. Æni Thraciæ vrbis Catapanichium cum apothecis, cum Catapanichio vrbis Ruſianę, quę Topyris olim fuit, atq; ijs quæ ad Agrouiuarium pertinerent. Catapanum enim Præfecturam ſignificat. quòd, qui prouinciæ moderationi eſſet ab Con-

Conſtantinopolitano Imperatore Præpoſitus, Græco nomine Catapanus vulgò diceretur: quæ vox poſtea rudis ſeculi abuſu contractis atq; immutatis literis à recentioribus verſa eſt in Capitanium. vnde Catapanichia præfecturas vocabant. In Seſcunciam verò eorundem Deuotorum militum (nam inter eos & Venetos, vt ſuprà memorauimus, reliquus Imperij dodrans, ſumma æquitate diuiſus fuerat) ceſſere, prouincia Vardarij ad Axium Macedoniæ fluuium, cum Berrhoena prouincia & agro, iam inde ab ipſa vrbe Pella, quę duobus alumnis, Philippo Græciæ, atq; Alexandro Aſiæ domitore, maximè illuſtris fuit, ad vſq; Hęmum montem in Septentrionem, cum Carthularatis & Deſpotijs, tàm de Brocubiſti, quàm de Flecaniza, cum ijs quæ ad Gyrocomicem, & Platomonas pertinent. Prouincia Moliſci, & Smolenorum. Prouincia Prilapi, & Pelagonię, cum ſtagno. Prouincia Preſpe, & Diodetoniſi. Oreus, Lariſſæ ad Oſſam montem, quam olim penſilem, aut obliquam dixerunt: cum Pelaſgico campo, Perræbiaq; & Magneſiæ parte, ad ipſum Thermopylarum ſaltum, Septentrionem verſus, Campeſtri Theſſaliæ proxima: Pheriſq; Pelaſgicorum camporum ad Magneſiam termino; necnon Pagaſarum emporio, Ioleo proximo: quo ex loco Pelias Iaſonem, ac nauem Argo foras emiſiſſe memoratur. Prouincia inferioris Myſiæ: Prouincia ſuperioris, quam Seruiam dicunt. Prouincia Caſtoriæ. Tricca demum Achrida, & Deabolis Macedoniæ oppida. Vt cuiq; legibus ſuum tenere, ac frui licuit, luxus pacis comes & alumnus, contagionibus auaritiæ, mores, leges, iuraq; labefecit. qui ſua decoxerant, alienis manus inijciebant. Pręterea Conſtantinopolitani ſimultatibus primùm, quibus ea gens callidiſsima excellit: deinde apertè odiſſe cępit, omniaq; iam inde machinari: Gręcis enim dolebat, ſua ſibi adempta, in alienos, & eos intolerabiles, transferri. Cæterum Monferratenſis Marchio, cui ante Balduini Imperatoris declarationem, ex pacti conuenti formula, Cretam Inſulam, cum Bithynia, & Ponto de Baronum, & Danduli Ducis, conſenſu, tanquam futuri Imperatoris ligio homini attributam fuiſſe memorauimus, Inſulam Veneto vendit. Venditionis cauſam ferunt, quòd Bonifacius ad gerenda bella, & Regni Theſſalonicenſis componendas res, inops æris, cogendæ pecunię ſtudio intentus, Inſulam ſe, in cuius poſſeſsionem nondum eſſet profectus, aduerſus Græcos exules difficillimè tutari poſſe arbitraretur. quando ex Subalpinis in Cretam venturo, obſtructus aditus, neq; portus eſſet: ſubindeq; implicitum iter: quod ſibi ex dignitate nominis, nequaquam alieni arbi-

trij

trij beneficio reponendum foret. Præterea ad terreſtre bellum cum ſupra cęteros ſui ſęculi Duces præclarum ingenij robur extendiſſet, & rerum naualium omnino rudis eſſet; neq; enim cum terreſtri pugnandi gloria naualedecus addiderat, quum alia ſit regendorum equorum, & copiarum, alia gubernandæ claſsis ratio, illius inſulæ Marchionem tædium cęperat. Proinde Ponti & Bithyniæ Vrbibus Theſſalonicenſi Regno, cum Imperatore paulò antè commutatis, Cretam quoq; Venetis pecunia commutare cupiebat. Re igitur diu multumq; cum Dandulo Duce per Legatos tractata, confectiſq; Adrianopoli tabulis, anno Chriſtianæ ſalutis quarto ſupra milleſimum ducenteſimum, pridie Idus Auguſti, in has tandem vtriq; conditiones inclinant. Eas in curioſi lectoris gratiam, ex monumentis publicis de Veneto Archiuo exceptas, hoc loco inſeruiſſe non piguerit. Summa conditionum iſtiuſmodi fuit. Bonifacium Marchionem Cretam Inſulam, quam tandem ſibi paulò antè Alexius Angelus Iunior, Iſaacij Imperatoris filius, vetere affinitate coniunctus, & beneficio alligatus, honorario munere ſpoponderat, dederat, eam Marco Sanuto Veneto, & Rauano à Carceribus Veronenſi, quibus libera eius negocij adminiſtratio à Dandulo, & Venetis permiſſa erat, pro Duce, Venetiſq; ſtipulantibus, cedere. Creditum præterea centum aureorum hyperperorum numûm millium, quos idem Alexius Bonifacio de conſtituta pecunia tenebatur. vnà & Feudum, honoremq; ac ius ex militiæ beneficio, & fidelitatis præſtito à ſe ſacramento, quod Marchio ipſius Bonifacij frater, ab ſocero Emanuele Comneno Imperatore accepiſſet. Totum deniq; ius ſuum tradere, tàm directum, quàm vtile, quod vel ſuo proprio, vel alterius iure habet, tenet, poſsidet; vel habere, tenere, & poſsidere poſſet, eius clientelæ cauſa, in quibuſcunq; Conſtantinopolitani Imperij regionibus, quæ tàm Ortum, quàm Occaſum ſpectant, & quod ſibi quoquo iure ſacro, & religioſo, vel ciuili competit. Contra Dandulus, Venetiq; mille argenti Marcas præſentes darent; itemq; tot latifundia, & poſſeſsiones per communes arbitros in Occidentali Macedoniæ parte deſignandas, ex quorum prædiorum fructu x. millium hyperperorum aureorum, Marchio annuum reditum perciperet. Quem quidem agrum, cum agri finibus, Coloniſq; ab Duce, Venetiſq; idem ipſe Bonifacius, liberiq; ac hæredes, hæredumq; ſucceſſores, mares, fęminæ, liberè & abſolutè perpetuò poſsiderent, tenerent. Imperij tamen, & Imperatoris operarum, & obſequiorum iure ſaluo, pro ſeruitijs ex formula præſcripta, per Imperatorem indicendis, atq;

aſsignandis. Cæterum, quò in omni fortuna, atq; honore Marchio incolumes Venetos haberet, ad Veneti nominis cultum, honorem, vtilitatemq; iureiurando Bonifacius obſtringeretur, ſe pro tutela honoris, dignationis, fortunarumq; Venetarum, quas vbiq; Veneti in Imperij ditione poſsiderent, tenerent, aut in poſterum poſſeſſuri eſſent, amico (vt par eſt) animo, & inuiolata fide, eductis copijs, ſuppetias laturum, aduerſus omnes qui eorum muneribus, honoribus, dignationibus, rebuſq; infeſti, moleſtiam illis inferant, aut inferri curent; Veneti iuris quicquam inuadendo, aut occupando. Hæc omnia ſuprà conuenta, mutuo conſenſu, ac ſolenni ſtipulatione intercedente, more maiorum ſancita, & confirmata eſſe voluerunt. Ita Marchioni agris, & poſſeſsionibus opportuniſsimis, & fructuoſiſſimis de quadrantis, & ſeſcunciæ Venetæ portione, vt antè egerant, integra fide in Macedonia aſsignatis, argentoq; per Venetos in eadem Vrbe Adrianopolitana perſoluto, quando ei abundè ſatisfactum foret, Creta inſula, Dandulo & Venetis adquiſita fuit. de cuius ſitu & feracitate poſtmodùm loco magis opportuno dicetur. Eodem quoq; tempore Balduinus Imperator, Aloyſio Bleſenſium Carnutumq; Comiti honoratiſsimam in Bithynia ex toto Imperio Conſtantinopolitano clientelam, & fructuoſiſsimam Nicęæ Deſpotiam, quam Græcorum more, Ducatum appellant, vtendam contulit. Ea regio cum in fidem Imperatoris nondum veniſſet, Græcorum Regulis parebat. Nicæa Bithyniæ Metropolis eſt, iuxta Lacum Aſcanium, quem Nicænum hodie appellant, Turcæ Iſnichium vocant, fertiliſsimo agro clauſa, & mater Vrbium Bithyniæ dicta. conditam ab Antigono Macedone, & Antigoniam primo mcminatam; deinde à Lyſimacho de vxoris nomine, quæ Antipatri filia fuerat, Nicæam appellatam, ſcriptores tradunt. Nemo ignorat Synodum Nicænam hac Vrbe, tempore magni Conſtantini, celebratam, anno à nato CHRISTO CCCXXIIII. Syluestro Romano Pontifice Max. Petri Sedem tenente: primam videlicet ab eo Conuentu quem Apoſtoli Hieroſolymis egerant; atq; ideò non tàm vetuſtate, quàm ſanctitate CCCXVIII. Epiſcoporum, qui interfuerunt, ſacroſanctam. Huius vrbis, ſuperiori ſęculo Archiepiſcopus fuit, Beſſarion ille Conſtantinopolitanus Patriarcha, homo natione Gręcus è Trapezunte Pontica vrbe celebri, lux omnium doctrinarum. quem ob excellentem eruditionem, & multiplicem vtriuſq; linguę facundiam, Eugenius IIII. Pontifex Max. celeberrimo illo gentium omnium Concilio Florentiæ peracto, quo diſceptantibus Græcis, & Lati-

Latinis, præſidenteq; Eugenio ipſo ad Ioannis Palçologi Conſtantinopolitani Imperatoris præſentiam, Chriſtiani dogmatis fides, publici conſenſus authoritate, firmata eſt XV. Kalend. Ianuarij, MCDXXXIX. Florentiæ, quod totius Græcię honori datum eſt, in Cardinalium ordinem aſciuit: virum liberaliſsimum, & cuius domus, Romę ſub Quirinali, ad Sanctos Apoſtolos, inſtar Academię, olim fuit eruditis omnibus patens. Is, Græcorum codicum in omni diſciplinarum genere, mille trecentorum amplius voluminum, inſignem Bibliothecam, ſed potiſsimùm poſt cadentis Græcię excidium, & Byzantium à Mahomete Turcarum Imperatore captum, ſummo ſtudio, maximis ſumptibus, & laboribus tota Europa, Aſiaq; collegit: & quum nullus omnino locus, ipſa Vrbe Veneta tutior & commodior occurriſſet, quo ipſo viuente, ad Gręcorum, & Latinorum hominum vtilitatem Gręci codices collocarentur, nec eodem defuncto diſsipari, alienariq; poſſent, Bibliothecam Venetijs deſtinauit. atq; vt erat amico in Venetam Rempub. animo, quę illum Turcarum armis Gręciam vaſtantibus, inſignis beneficij loco in patricium ordinem aſſumi petentem, pauloantè ciuitate, & comitiorum iure donauerat, honorificentiſsimè, ad Chriſtophorum Maurum Principem, & Senatum, ſcriptis litteris, pridie Kal. Iunij MCCCCLXVIII. per Petrum Maurocenum Equitem, & eundem Senatorem Venetum, Romana ad Paulum II. Pontificem Max. legatione domum rędeuntem, Marcianę Eccleſię, quò facilius ad Doctorum, & eruditorum vſum pateret, dono dedit. Eam, per multos annos interiori aula Occidentali ſupra Ædis veſtibulum locatam, nouiſsimè eiuſdem Templi Procuratores, Philippus Tronus, Antonius Capellus, Andreas Leonus, Victor Grimanus, Ioannes Legius, Michaelis F. cum altero Ioanne Legio Equite, M. Antonij Triuiſani Principatu, in eruditæ iuuentutis gratiam, Architecto Iacobo Sanſouino Florentino, Dorici, & Ionici pulcherrimi operis luculento Gymnaſio, è regione fori magnificè extructo, quod inter præclara vrbis ornamenta recenſetur, iuxta Ducarim ſtatuere, anno vrbis conditæ MCXXXIII. & locum honeſtarum artium Profeſſoribus, Senatus liberalitate dicarunt. Ei Bibliothecæ à Gymnaſij Patauini Curatoribus primùm Marcus Antonius Sabellicus, Clariſsimus vir, velut alter Demetrius Phalereus, Alexandrinæ Ptolomæorum Regum LXX. millium voluminum Bibliothecæ; mox Andreas Nauagerius præalti ingenij & eximiæ doctrinæ Patricius, vnà cum munere Venetæ hiſtoriæ conſcribendæ; deinde Petrus Bembus nondum Cardinalis fa-

ctus, duo Venetæ Vrbis, & Orbis lumina, poſtmodùm Bernardinus Lauretanus Andreæ F. doctiſsimus Patricius. nouiſsimè verò dum hæc commentaremur, Aloyſius Gradonicus Andreæ Senatoris F. nobiliſsimarum artium, atq; idem Philoſophiæ ſtudijs clarus, Præfectus fuit. In Gymnaſio autem Aloyſius Piſaurus, Marini Senatoris F. nobiliſsimis moribus, & excellenti doctrina Patricius, Venetę iuuentuti, patrio more, Philoſophiam honeſtiſsimo Senatus decreto, è ſuggeſtu ſumma cum laude interpretatur. Sed Bibliothecam publicę eruditorum vtilitati deſtinaſſe non contentus Beſſarion, Venetæ etiam Charitatis Collegium, in quod MCCCCLXIII. Pij II. Pontificis Maximi Legatus de Latere in Vrbem veniens, amantiſsimè receptus fuerat, aurea Cruce excellenti artificio elaborata, in qua veri ligni particula Chriſtianæ Crucis, necnon eius diuinæ veſtis nonnihil repoſitum eſt, liberaliter honeſtauit. eam in Vrbem aduectam, Nicolaus Tronus Princeps cum vniuerſo Senatu ſolenni ſupplicatione Trinitatis feſta die, in eiuſdem Charitatis Collegium intulit IX. Kalen. Iunij MCCCCLXXII. vbi hodieq; interiore Sodalium conclaue multa religione ſeruatur. quo loco eiuſdem Beſſarionis effigies ad viuum ducta, eximio eius ſæculi promiſſæ barbæ decore venerabilis, nullo purpuræ faſtu, atra tantum cuculla, iuxta ritum Monachorum Diui Baſilij, non ſine ſummo Gręci nominis honore, & Collegij laude conſpicitur. Sed, vt ad Nicæam reuertamur, Clientela Nicæna accepta, Aloyſius Bleſenſium Comes, non ita multo poſt, centum viginti Equites, quibus Petrum Braiaquellum, & Paganum Aurelium præfecerat, in Aſiam mittit; quò oppida, & vicos, ſibi, Nicænæq; Vrbi attributos, recuperet. Conſtantinopoli Kal. Nouembris, die omnium Sanctorum exeunt, copiasq; Propontidem traijciunt. Iis, ad Abydum, enauigato Helleſponto, in terram expoſitis, Cyzicum peruenere. Cyzicus, Propontidis Vrbs eſt in inſula eiuſdem nominis, ex Helleſponto Propontidem nauigantibus, ad dextram: per pontem continenti iuncta, à Myleſijs olim condita: ſitus opportunitate, amplitudine, & feracitate, duobus clauſis portubus, & naualibus quondam ſupra ducentis, ſed Dindymo vicino monte, & delubro Dindymenæ matris Deûm, ab Argonautis ædificato, quod ex ſummo vertice Vrbi imminet, maximè nobilis. Cyzicenæ Vrbis pars in planitie, pars ſecus montem ſita eſt: ad Rhodiorum, Maſsilienſium, & antiquorum Carthaginenſium æmulationem inſtructa. Ciuitas, quondam magnitudine, pulchritudine, & æquitate cum primis Aſiæ Vrbibus contendens:

dens:

dens: paci & bello apta, adeò vt aduerſus Mithridatem, centum quinquaginta armatorum millibus, & multo equitatu Vrbem terra, mariq; oppugnantem, Cyziceni quadringentis quandoq; nauibus fortiter reſtiterint. Id oppidum Latinis hominibus frequentatum erat. Eo noſtri potiti, Latinorum populorum conſilio, qui Vrbem incolebant, cum Græcis in Aſia deinceps bellare cęperunt. Ponti autem & Bithyniæ Ciuitates Tranſpontidis Aſiam verſus, quæ ab Imperio ad Theodorum Laſcharem defecerant, omnibus detrimentis dedititios Imperiales afficiebant. quandoquidem Laſcharis Imperij Deſpota, Gręcorum rebus euerſis, in Aſiam cum fugiſſet, Annę Alexij fratricidæ Imperatoris filiæ, dotali iure imperabat; à Græcis etiam popularibus, in Latinorum odium, Auguſtorum more, Orientis Imperator dictus, & ſoceri loco coronatus. Iiſdem diebus Imperator Balduinus, alteram clientelam, totius Thraciæ longè honeſtiſsimam (Ducatum Philippolitanum Græci dicunt) Raynerio Traiectenſi, ex ſuperiori Moſæ Traiectu in Aduaticis, qui Brabantes ſunt, Equiti magnanimo, fruendum attribuit. Cęterum, eodem tempore Alexius Ducas Murtzuflus rumore noſtri Exercitus perculſus, an conſilio dubium, quòd ab omnibus amicis, vel popularibus, in quibus aliquid opis erat, deſtitutus, acie dimicare non poſſet, cùm paucis profugerat: Ille ipſe Tyrannus, qui Iuniorem Alexium Cæſarem, Iſaacij Imperatoris filium vita priuarat, ab Alexio fratricida, vt ſupra memorauimus, luminibus paulò antè orbatus, turpiter latitare cępit. Fama fugæ nunciata (neq; enim magnus Deus ſcelerum vindex, crimen vllum diu inultum, aut impunitum dimittit) Theodoricus Loſius hominem inditio proditum, ex latebris eruit: captiuum, vinctumq; Conſtantinopolim ad Balduinum ducit. Imperator de Murtzufli vinculis certior factus, vehementer gaudere, teterrimum hominem, & importuniſsimum in ſuam poteſtatem cecidiſſe. In eum igitur Balduinus, vnà pariter & Barones Aſſeſſores abdicata omni Imperatoriæ clementiæ, vel iuſtæ humanitatis laude, maiorum more ſententia pronunciata, animaduertunt. Supplicij genus fuit. In media Vrbe ad Forum Taurum, quod in ſeptima regione fuiſſe antiqua Conſtantinopolitanæ Vrbis regionum deſcriptio declarat, ſublimis columna cochleis intus peruia fuerat, miro artificio, & ſumptuoſo marmore ab magno Theodoſio excitata. vulgus Gręcorum Turcæq; hodie quoq; hiſtoriarum columnam vocant. Hęc, vt quidam volunt, Imperatorum Conſtantinopolis res geſtas, iam inde ab ipſo Conſtantino Magno, ad vſq; Vrbis excidium, repręſentabat:

tabat: vt alij verò, trophęa & pugnas ipſius Theodoſij contra Scythas, & Barbaros continebat. Columnę, Theodoſij Æneam ingentem ſtatuam tradunt ſuperimpoſitam fuiſſe, quæ poſtmodùm ventorum turbine decidiſſe fertur, eo anno, quo antiqua Roma à Gotthis, & Vandalis, in noſtram perniciem graſſantibus, capta eſt, qui CCCCXII. ſalutis fuit. Igitur in eius faſtigium parricidam Murtzuflum, carnifices ſpectante populo, extrinſecus rapiunt; vt qui Alexio frangendæ fidei hortator, & belli author inter Cæſarem, & Barones extitiſſet, ſummumq; iuuenis Imperatoris fatum veneno, & laqueo præcipitaſſet, idem vili penula indutus, & more latronum vinctus, non Imperatorum modò, ſed infimorum etiam hominum miſerrimus, è ſumma columna præceps exturbaretur: meritaſq; impietatis atq; perfidiæ pęnas daret: ſimul vt populo qui vniuerſus (quod ex hominum memoria non contigerat) ad Theodoſij forum in Tauro conuolarat, ſublimis, ſpectaculum luculentius præberet. Ille, de ſummo columnæ demotus, antequam in ſolum daretur, vi ipſa proſciſsi aeris exanimatus, membris penè omnibus diſsipatus eſt, atq; diſcerptus. Iam verò & illud memoriæ defigendum; in illa ipſa columna, vt diximus Orientis Auguſtorum Icones, ſeu (vt alijs placet) Theodoſij res geſtæ, graphicè elaboratæ ſuſpiciebantur; & in eodem marmore inciſa Imperatoris ex alto cadentis mitrata imago, multo enim ante Diuini, nec actorum Theodoſij, nec futurarum hiſtoriarum gnari, prædixerant, Conſtantinopoli Imperatorem, de ſummo columnæ præcipitatum iri. Græci, quæ natio delirij ſemper, & muliebris ſuperſtitionis plena fuit, ex eius Imperatoris imagine, mira opinionum commenta effingere. Sic pęna Murtzufli, oraculi fidem, & cælatæ hiſtoriæ interpretationem impleuit. Illo ipſo tempore, iam & altera victima fratricida Alexius Angelus, qui Iſaacium Imperatorem, germanum fratrem, & dominum, occæcarat, in Bonifacij manus cum Euphroſina Auguſta, non procul Theſſalonica, deuenit. Ita nefandi homines, cineri ſanctiſsimo, atq; oſsibus patris filijq; iuſtorum Imperatorum, vltoribus Superis, non ſerò admodùm, pęnas dederunt. Bonifacius rubras ocreas, Imperij inſigne, tyranno detractas, vnà & trabeam Imperialem, cum Calyptra Auguſtali, Conſtantinopolim ad Balduinum ſuum dominum mittit, cui id munus longè gratiſsimum fuit: deinde ipſum Alexium Imperatorem captiuum, vinctumq; tanquam vile mancipium, naui impoſitum, in Italiam ad ſubalpinas regiones, in perpetuum carcerem Monferratium amandauit, eo exitu, vt cum vellet, ipſo vincto atq; producto,

quod

quod nulli antea, ne ipſis quidem Romanis, terrarum Orbis dominis, aut ante eos, Perſarum Regibus contigit, nobiliſsimum de ſubacto Orientis Imperio, ad æternum ſui nominis decus, triumphum inſtrueret. Martinalibus, III. Idus Nouembris (qui dies Diui Martini cultui habetur) Henricus Balduini Imperatoris frater, in Aſiam contendit, Conſtantinopoliq; diſcedens, ſecunda Propontide Abydum, centum & viginti Equitibus benè ſtrenuis ſeptus, deuenit, & oppido potitur. Id oppidum Helleſpontiæ Phrygiæ, non longè ab Sigęo promontorio, à Myleſijs, vt diximus, conditum; copia rerum omnium, frumenti inprimis, reliquorumq; commeatuum refertiſsimum offendit. In eo, milites hoſpitia ſibi omnes domeſticatim vſurpare. Continuò noſtri, eo loci, acri bello Aſianos Græcos, & Theodorum Laſcharem laceſſere cęperunt. Armenij, tota Troade ſparſi, & hi magno numero mercenarij pedites, & qui ſuperato Euphrate, per Cappadociam, & Galatiam prædarum ſpe, in minorem Aſiam ſe receperant, ad noſtrorum conſpectum, ſeſe Henrici fidei deuouere, quàm Græcis parere, maluerunt: quos durius æquo imperantes capitaliter, præcipuè, ob grauia tributa oderant. Eò ipſo tempore, Raynerius Traiectenſis Conſtantinopoli diſcedens, per Thraciam Philippopolim verſus iter facit, quam Ciuitatem beneficio Imperatoris in feudum obtineret. Eò ſecum centum viginti Equites fortiſsimos duxit, iuſtiſq; itineribus Adrianopolim venit, atq; inde per abruptas conualles, Philippopolim ad Rhodopen contendit, quem hodie argenti montem nominant. Populares, magno plauſu, magniſq; honoribus dominum accepere: talem præſertim, qui egentibus, & afflictis opitulari poſſet. Hos enim Ioanniſſa Rex Myſorum, & Triballorum, frequenter tranſcenſo Hæmo, magnis detrimentis afficiebat, quotidianis populationibus agrum deſolans. Itaq; Græci Traiectenſem opportunè aduenisſe, Deo grates agebant; nam populati ac vexati, ſalutarem aliquem dominum expectabant, qui Ciuitatem metu ſolueret, & belli mala ſedaret. Itaq; qui paulò antè à Raynerio ſubacti, in Francorum dominatum venerant, quiq; Ioanniſſæ voluntarij parebant, apertè fidem, opemq; Raynerij implorare. Vnde bellum in Thracia grauiſsimè geri cęptum, in dies recrudeſcebat. Interim Balduinus Imperator Macharium Sanmanechaum dimittit, qui vt citius in Aſiam traijceret, cum centum Equitibus, inferis Boſphori faucibus iuxta Vrbem ſub ipſa Chalcedone, Propontidem tranſmiſit. ad eius ductum ſe applicant Aloyſius Valencurius, & Robertus Roncęus, vnà omnes Nicomediam adequitant. Hæc Vrbs, Bithyniæ

Bithyniç emporium eſt, ad intimum Propontidis ſinum, qui ab Aſtaco vrbe, Aſtacenus cognominatus eſt, ſita: duorum dierum itinere, Conſtantinopoli procul; à Bithyniæ Rege Nicomede, qui eam condidit, ſic appellata. nam plures fuerunt Nicomedes Bithyniæ Reges, ſicuti Siciliæ Ptolemæi, & Ægypti Pharaones, propter prioris claritatem. Sed Aſtacenæ proximæ vrbis ruinis ab Lyſimacho euerſæ, quam Megarenſes, & Athenienſes, ante condiderant, Nicomedia luculenter exornata eſt, & ædificijs aucta. Ciues enim direpta vrbe Aſtaco, Nicomediam conceſſere, ſinui tantum euerſæ vrbis Aſtaci nomen relictum. Græci ſimulac præſenſerunt ad ſe veniri, Nicomediam deſerunt. Noſtri, in ea, caſtra facere, operibuſque & munimentis ſepire, vbi frumentum & commeatus in vſum belli conderent, prædaſq; adſeruarent. tum quò tutius ſeſe, ſi quid Marte communi accideret, ex vſu belli reciperent: maritimo enim & terreſtri vrbs itinere percommodè aditur. vnde etiam deniq; apparatius bellum in Aſia cum rebellibus vicinis gererent. Nec eos conſilium fefellit. agrum hunc Orientalem vltra Helleſpontum, Pruſęos, Nicęnſes, Lydos, Philadelphios, Smyrnam præterea, Epheſum, & interiora oppida Theodorus Laſcharis Proimperator, Pontum, & Bithyniam Imperio tenebat. Huic Laſchari, Alexius Imperator ille, qui fratrem Iſaacium luminibus priuauit, Venetorum, Francorumq; virtute Conſtantinopoli fugatus, quem paulò antè à Bonifacio Theſſaliç Rege in Monferratenſem agrum captiuum miſſum fuiſſe memorauimus, Annam filiam nuptui antea dederat; & (vt diximus) Deſpotæ honorem conceſſerat, dotiſq; nomine Imperij titulos illi tribuerat. Ita Laſcharis, poſt Soceri Imperatoris captiuitatem, Imperator à Græcis declaratus, tùm Græco faſtu, tùm dotali iure audacior, in Nicomedenſes æquo grauius dominabatur, fabricatiſq; aliquot longis nauibus, pleraſq; inſulas ſubegerat, tanto terrore cuncta implens, vt etiam Caichoſroes Iconij Sulthanus cum eo fędus percuſsiſſe, decorum putaret. Theodorus igitur perpetuus Latini nominis inimicus, non Nicomediæ modò, hoſtiliter nobiſcum agere, ſed tota Aſia vbicumq; Francos conſiſtere audiebat, eò concurrere, & conuolare, & omnibus malis quæ bellum apportat, onerare atq; affligare. Interea Balduinus Imperator Conſtantinopoli, vnà & Ludouicus Bleſenſis Comes, cum paucis admodùm Equitibus agebant. Comes item Sancti Pauli Hugo, qui in Vrbe podagra valdè cruciabatur, quod ei non pedes modò, ſed etiam genua vehementer laborarent. Iiſdem ferè diebus, eò magna multitudo veteranorum Equitum,

tum ex Chriſtianis caſtris Syria profecta nauibus appulerat, partim Francorum, partim Belgarum, qui ſuperioribus annis, aut anguſtia animi, aut meliorum prędarum ſpe, Venetenſem Exercitum deſeruerant, & diuerſos Europæ portus petierant. Hi, rumoribus exciti, quibus Venetos, & Francos Conſtantinopolim cępiſſe, & Balduinum Imperatorem magno Gallorum commodo declaratum fuiſſe memorabant, rei gerendæ pariter, oſtendęq; virtutis cupiditate incenſi, ad ſuos venerunt. In his qui ex Apulia, aut Liguria traiecerant, fuit Stephanus ille Perticenſis, Gotthofredi Comitis frater, & Reginaldus Monmirallus, quem Ludouicus Bleſenſis, ipſius frater amitinus, reducem adueniſſe mirificè gratulabatur, ſemperq; in propinqui loco, & honore habuit. magna profectò vis pietatis. quorum fuga Exercitum propè in fide vacillaſſe conſtabat, in eo etiam nimio plus indulgentes ſumus. Nam & Imperator Balduinus, & cęteri Equites, hos gratiſsimis animis acceptos, poſtea ſemper coluere. homines enim erant magni nominis, nec mediocris potentiæ; ſecum etiam optimorum equitum copias Syria deduxerant. Inter eos qui Acone à Chriſtianis copijs diſceſſerant, eminebat Hugo Tapaneus, cum Rodulpho fratre, Theodoricus Teneromondanus, qui ſecum permultos Cataphractos, multos equites Turcopulos (hi expeditorum equitum genus ſunt, qui Phęniciæ, & Syriæ more arcubaliſta in equo merent, antiquorum Velitibus ſimiles) & Centuriones deduxerant. Itaq; Imperator Stephanum Perticenſem, ob ſummam generis claritudinem, cum virtute coniunctam, clientem adoptat; nempè Ducatum Philadelphiæ aſsignat. quæ Lydiæ Metropolis eſt, in Mediterraneis Aſiæ, Attali Philadelphi olim Regia, inter Cayſtrum, & Pactolum fluuios conſtituta, vt communicatis honoribus ex æquo regnare videretur. Per idem tempus nuncius ab ijſdem adfertur, cùm omnibus Francis, tùm verò Imperatori ipſi, luctuoſus, & lamentabilis, de morte Mariæ Vxoris, in itinere Conſtantinopolim vita defunctæ, quam diſcedens Belgio, grauidam reliquerat. venter in cauſa fuit, ne ſecum illam duceret. Interea Margaretam filiam altero partu Balduino pepererat, nam multò antè, Ioanna filia maior natu edita eſt. ea recreata puerperio, Virum ſequi conſtituit. Sed multò maius deſiderium, in dies rumuſculi faciebant, qui Virum tot palmarum victorem auſpicatò, inauguratoq; Imperatorem factum referrent. Itaq; claſſe cum nobiliſsimo Belgarum Matronarum choro, ex Maſsilienſi portu in Syriam venit; vbi, quum Aconem appuliſſet, quæ ciuitas, ex paucis Syriæ oppidis, vna omnium reliqua, Hieroſo-

lymarij Regni Chriſtiano Francorum præſidio tenebatur, ex certis Authoribus intelligit, rumuſculos veros eſſe, Conſtantinopolim à Balduino captam, eumq; Orientis Imperatorem creatum. Nam ferreas ingentes captæ Vrbis portas, & cathenam, quæ Ceratino ſinu Conſtantinopolis portum occludebat, Barones Francis Equitibus in Syriam dono miſerant; quæ res cunctis maiora animo concipientibus, Chriſtianam Rempub. maximis gaudijs imbuit. Itaq; cum viri deſiderium menti vxoris altius reſideret, ex Syria certum itineris ad virum conſilium capit, in quo ægritudine correpta, IV. Kal. Septembris, Aconę animam egit. felici, vt videtur, exitu: vt, in qua Vrbe Theobaldi quondam Bleſenſium Comitis, eius magni proaui, qui ſacro bello Vrbis obſidione deceſſerat, oſſa inhumata eſſent, in eadem illa Orientis Auguſtæ honore affecta, tumularetur. Sed tanto omnium dolore ſublata eſt, vt nulla magis lugeri, ac deplorari poſſe videretur. Iure id certè quidem. Erat enim, virago cordatiſsima, eadem & magnificentiſsima, viri peramans, & amicorum eiuſdem, ac familiarium tutrix æquiſsima. Hęc (quam ſupra memorauimus) Balduini filia Margareta, ex cuius puerperio mater obijt, ea eſt, quę Ioanna ſorore maiore natu, quæ Ferdinando Sanctij Regis Luſitaniæ filio primùm, mox Thomæ, fratri Ducis Sabaudiæ nupta, ac ſine liberis defuncta, totorum bonorum lege hæres fuit. Sed Margareta poſt Bocchardum Comitem Auiennenſem, ſecundò nupta Guilielmo Dampetræ Burgundo, multos liberos, & omnium ditionum hęredes edidit: ac potiſsimùm Guidonem Dampetram Flandriæ Comitem, à quo Niuernenſes, & Maleani Comites fluxerunt. Ab huius verò Margaretę ſtirpe, ſexto gradu edita cognominis altera etiam Margareta Maleana, vnica filia Ludouici Maleani, Flandrię, Arteſij, & Niuernij Comitis, Philippo Franco, Ioannis Francorum Regis filio, cognomento audaci, Burgundionum Duci nupta, mortuo patre, Flandriæ Comitatum, Arteſij, atq; Niuernij, ad ſecundæ ſtirpis Burgundiones Duces tranſtulit: quorum Caroli Caroleſij poſtremi Burgundionum Ducis, ad Nanceium cæſi, Maria Burgunda, vnica filia, & hæres, Maximiliano Auſtriaco, Federici Cæſaris filio, eidemq; Regi Romanorum nupta, Flandriæ Comitatum, atq; inſuper veterem Burgundiæ Comitatum, quem hodie Imperialem, ſeu Comitatenſem Burgundiam appellant (Ducatu Burgundiæ, Ducalem dicunt, ex vi Salicæ legis, ad Franciæ Reges delato) in Maximilianum Cæſarem tranſtulit. Præterea Lucemburgenſes, Limburgenſes, Namurcenſes, Hollandos, Zelandos, Hannonios, & Brabantes,

quibus

quibus Comitatibus Philippus auus, cognomento bonus, locupletatus fuerat, in Auſtriam domum, dotales intulit. ab hoc demum Maximiliano Auſtrio Cæſare, natus eſt Philippus ille Archidux Auſtriȩ, Burgundiæ Dux, atq; idem Flandriæ Comes, ab Ferdinando Aragonio, Hiſpaniæ Rege, qui Sarracenis Bȩtica expulſis (Granatam eam Hiſpaniæ partem vocant) quam DCCC. fermè annos tenuerant, Catholici cognomentum ſortitus eſt, veluti in filium adoptatus, & locata illi Ioanna filia ſecundo genita, & Hiſpanici Regni hærede, Caſtellæ Rex factus. qui Carolum V. ætatis noſtræ inclytum Imperatorem genuit, quem omnes de facie vidimus, gerentemq; pro Deo, & Religione bella, varijs periculis, atq; innumerabilibus victorijs, non Pij modò, ſed Inuicti nomen adeptum, ſupra antiquorum Cæſarum gloriam excelluiſſe cognouimus. Is, ex Iſabella Emanuelis Luſitaniæ Regis filia, Philippum Hiſpaniarum Regem genuit, veram paternæ virtutis effigiem, qui hodie Flandriæ Comes, non modò Flandros, atq; Hannonios in Belgis, iterum velut alter Balduinus Conſtantinopolitanus, per Burgundiam domum, hæreditario iure poſsidet, atq; ijſdem Lucemburgenſibus, Limburgenſibus, Namurcenſibus, Hollandis, Zelandis, Arteſijs, Brabantibus, atq; ipſis demum Imperialibus, ſeu Comitatenſibus Burgundis, ab eadem Maria Burgunda proauito iure imperat (ipſis demum Inſubribus ac Tranſpadanis, in Ciſalpina Gallia, paterna interim virtute cum Mediolanenſi Principatu partis) ſed & Hiſpaniarum Neapolis, vtriuſq; Siciliæ, Balearium, ipſiq; adeò ſacro Hieroſolymorum Regno per Aragonios, & Caſtellæ Reges, non modò in noſtro Orbe, verùm etiam auriferis regnis ſuperiori ſȩculo ad Occidentem Solem Hiſpanorum virtute prolatis; quod ad ſummam Hiſpaniæ felicitatem euenit, ad ipſos penè Antipodas, altero in Orbe, qualem ſapientiſſimi quondam homines deſcripſerunt, totius ferè Europæ Regna legitimo iure hæreditatis, ac rara felicitate complexus, Rex abſolutæ pietatis, atq; iuſtitiæ laude regit. Sed, vt ad Mariam Balduini Vxorem reuertamur, ei mulieri Regia ingenuitas, atq; indoles inerat, Campano genere, ac Francico ſtemmate nobiliſsima, quando (vt ſupra meminimus) Henrici Largi Campaniæ, & Briæ Comitis Palatini filia fuerit, & iunioris Theobaldi ſoror. moderatio prȩterea, pudor, atq; pudicitia mirabilis, comitas, affabilitas ſuauiſsima: alia deniq; omnia caſtis optanda, ſuperabant: tanta porrò prudentia (quanquam id rarum in hoc ſexu eſt) vt viris etiam admirationi foret. vt minus mirandum ſit, eius mortem cum cæteris aulicis pro

nonitate Regni intempeſtam, tùm coniugi Imperatori, qui Mariam in Diuæ Sophiæ, de Grçcarum Auguſtarum more, Calyptra Auguſtali, ſuis manibus inaugurare cupiebat, acerbiſsimo dolori fuiſſe. Eo tamen tempore m ęrorem voluptas occupauit, vt viciſsitudinem bonorum ac malorum, Dei dono acceptam, grati, & eius numinis memores, referamus. Nunciatur, equites qui in Aſiam Duce Petro Braiaquello, & Pagano Aurelio Cyzicum profecti erant, Palermum Propontidis Caſtellum, Græcis cępiſſe, & in ſuum vſum muniſſe, pręſidioq; ibi poſito, per Æolidem, & Troadem, Bithyniæ interiora adquiſitum contendiſſe. Hæc, dum per populares ſuos cognouit Theodorus Laſcharis, quàm maximis copijs in vnum coactis, VIII. Idus Decembris, qui dies Diuo Nicolao ſolennis eſt, ac ſacer, in Braiaquellum, in planitie ad Caſtellum Pęmaninum, quod eſt minoris Myſiæ oppidum, ſub Olympo Myſio, ad Dolionas pertinens, incidit, conſilio an caſu, dubium; ſed tamen vtraq; pars comparet, & cruento maximè pręlio concurrit. Theodorani animaduerſa paucitate noſtrorum, denſatis ordinibus intrepidè præliantur. Noſtri, equitibus in agmen quadrata acie diſtributis, ea animorum conſtantia pugnabant, vt ſuorum maxima parte orbatos, quum Fortuna iniqua conditione pugnare coegiſſet, egregia virtus abundè ad ſuſtinendum, redintegrandumq; prælium, animos miniſtraſſe videretur. Noſtris pro tanta paucitate, victoria non ſine Diuino numine euenit: ſed ea multorum virorum fortium cæde conſtitit. Igitur Franci tot palmis florentes, in Dei benignitate, ſuaq; virtute ſpes omnes ponere; nec iniuria. Eo enim die, boni numinis erga ſtirpem, nomenq; Francicum, monumentum illuſtre fuit. In Exercitu noſtro, centum & quadraginta equites tantum erant, nec ita multi Centuriones in equo; cum ex aduerſo in Thedori Caſtris, pręter pedites, ad mille amplius, Græco more leuis armaturæ equites cenſerentur. Laſcharis, ab holoſerico turbinato purpureo capitis tegumento conſpicuus, quem vnum præcipuè noſtri petebant, equi celeritate periculum effugit. Græci, Gallorum victoriæ, quamuis vtriq; parti luctuoſæ, quàm apertè Laſcharis fugę, ſocij eſſe maluerunt. Hi confeſtim ſe, ſuaq; omnia dedere. Captum Pęmaninum Caſtellum, præ cęteris munitum. Captum & Lopadium vicinum oppidum, eius regionis opulentiſsimum. Id in minori Myſia, intra fines Bithyniæ, & Æſapum fluuium, ad Olympenam regionem, Olympo proximum, inter Cyzicum & Pruſam Vrbes, medium conſtitutum. Capta item Apollonia, minoris Myſię oppidum, ad Rhyndacum

dacum amnem, litori Apolloniatici lacus aquæ dulcis, impoſitum; qua nullum firmius Caſtellum, antea in Francorum poteſtatem venerat. Ita noſtri, Dei bonitate fortunatiſsimi, omnia ex ſententia agebant. Eodem fermè tempore, Henricus Balduini Imperatoris frater Troianorum Armeniorum, qui auxiliares erant, precibus Abydo ſuorum præſidio firmata, per Idæ montis anguſtias, Atramyttium, proficiſcitur. Hæc maritima Aſiæ Ciuitas eſt, Æolidis antiquiſsima: ad Ægæum mare, contra Lesbon, conſtituta; habens eiuſdem nominis ſinum, qui regioni nomen dedit; Athenienſium Colonia: à Lydis (vt quidam volunt) quondam condita, portu olim & nauali inſignis, Mytridatico bello magnas Clades experta, conuentu olim Atramytteno nobilis; ſed nobis Atramyttena illa potiſsimùm naui longè nobilior, in qua Paulus primùm vinctus, à Iulio Centurione Romam nauigaturo, impoſitus eſt. duorum dierum itinere Atramyttium ab Abydo diſtat. Oppidum, Henricus in deditionem accipit, atq; ibi tabernacula poſuit. Tota regio ſupplex, pacem deditione petere, ſuiq; poteſtatem ſedulò facere. Hæc Ciuitas commeatus plena, ſumma fuit opportunitas, Græcos perſeueranter bello perſequendi. Theodorus Laſcharis, tot detrimentis ad Pęmaninum paulò antè acceptis, nihil immutatus; bellum acrius renouat, & vndecunq; poteſt, milite collecto, manum comparat. hanc, ad ſuos aggregat, vt iuſtum propemodùm Exercitum (niſi quod tyronibus ac gregarijs conflatus eſſet) temerè conſuit. Ei Conſtantinum fratrem in re militari benè iactatum, Ducem etiam omnium Conſtantinopolitani Imperij peritiſsimum, ſuum Legatum dicit. Ipſe, rectà Atramyttium verſus adequitat. Vbi Henricus Balduini Imperatoris frater, per Troianos Armenios exploratores reſcijt, Conſtantinum Laſcharis Imperatoris fratrem, cum non mediocri Exercitu, infeſtis ſignis ad ſe properare, omnia quæ in bello vſui eſſe ſolent, arma, tela, equos, baliſtas, tormenta, reliquumq; pręlij inſtrumentum, apparat; ac ſuorum virtute fretus, aciem more conſtituit, pugnam ſi per hoſtem liceret, non detrectaturus. Armenij, moris hoſtium, locorumq; periti, in cohortes diſtributi, ſub ſignis anteibant. his equites leuis armaturę, ad ferendam opem erant coniuncti: ſuccedebant continenti ferè ordine equites Cataphracti, in maiores alas diſtincti. Itaq; ex pręparatò, & eductorum iuſſu, ambæ acies ferro decernere geſtiebant. In equitatu Henriciano, fuere Balduinus Bellouiſus, Nicolaus Mayllius, Anſelmus Caemus, Theodoricus Loſius, Theodoricus Teneromondus. fortè

for-

MCCV. fortuna Conſtantinus Laſcharis, IV. Idus Martij, ad Atramyttium omnes copias oſtentat. Henricus ſimulac de Græcorum Exercitu intellexit, conſilium egrediendi oppido cum Exercitu capit, nec ſe circunſideri paſſurum affirmat: tùm, quòd eum receptum vti fugæ perſimilem nequaquam pro dignitate ſui nominis eſſe exiſtimaret, tùm quòd vetere Gallicæ gentis inſtituto, id ſignum eſſet ducis acie decertare metuentis. Itaq; Ciuitate præſidijs munita, Exercitum inſtructum, in campum repentè educit, militemq; pro tempore alloquitur. tot victorias ſuæ virtutis pignora recordari iubet: ſibi rem cum Græcis eſſe: quorum tot bellis ſatis iam natura cognita, & perſpectus pugnandi modus; qui non coniectione telorum, non armata acie, ſed acie ſolùm oculorum fundi, fugariq; ſoleant: Nec, quod magnæ hoſtiles copiæ ſint, idcirco tàm difficilem victoriam facere. Adhæc, ſæpe contemptam paucitatem, innumerabiles hoſtium copias profligauiſſe. de pugnæ euentu feliciq; victoria nihil dubitandum, cum pro Superis, & dignitate Romanæ Eccleſiæ, cum inermi atq; fędiſsima gente dimicarent. manere victoribus ampliſſima præmia, ab optimo, liberaliq; Imperatore; egregiè autem fato functis, à Deo Opt. Max. vti optarent, æternæ fęlicitatis in cęlo ſedes. Confirmatis accenſiſq; animis, noſtri protinus ſigno dato, acriter in hoſtes inuecti, prælium tàm obſtinatis animis committunt, vt ſolo ardore oculorum, telorumq; vibratu Theodoranos in fugam conijcerent. hic manifeſtè vis Cęlitum inter omnes conſtitit. multis cęſis, multiſq; captis, & præda opima onuſti, noſtri victoriam inter ſe gratulantur. Populares omnes, fidei Henrici, ſe deuouere. Quaſcunq; in Bithyniæ, ſeu maioris vel minoris Myſiæ partes ibat, Ciuitates in Imperij ditionem redigebat. Verùm miſsis rebus ad Conſtantinopolim, in minori Aſia non ita procul geſtis, ad Bonifacium Monferratenſem Theſſaliæ Regem redeamus, qui in Macedonia ad Theſſalonicen rem curabat. Illi, deliberatum erat Leonis Sguri tyranni præſidia, Nauplij, & Corinthi impoſita deijcere, Ciuitateſq; per dolum & latrocinium à Sguro ſubactas, in poteſtate habere. Erat Sgurus humili genere Nauplij natus tyrannus qui à patre ſuſceptum aliquandiu, vi magis, quàm Ciuium voluntate Principatum tenuit: cuius etiam imitatione, non ſine ſanguine imperauit. Sed capta à Latinis Conſtantinopoli, & euerſo Græcię Imperio, proferendæ tyrannidis occaſionem nactus, Athenas, partim Exercitu, partim claſſe, per Iſthmum traducto, adortus eſt: Atticæq; & Bęotiæ captis oppidis, vehementer ditatus, latè dominatum extulerat.

Itaq;

Itaq; Bonifacius per Theſſala Tempe, Lariſſæ campeſtria prætervectus, & fuſo, fugatoq; Sguro, qui ei circa Thermopylas, inſidias ſtruxerat, Græciam & Peloponneſum, Naupliumq; & Corynthum, duas Peloponneſi vrbes, natura & munimentis, hominum militarium iudicio fortiſsimas, vno tempore circumuallat. Iacobus Auennes ab equitatu paratus, Nauplij obſidium in Argia cogitat, & ſuſcipit. Nauplia, Argiæ ciuitas eſt in Peloponneſo, olim Argiuorum nauale; ad Argolicum ſinum (quem hodie Neapolis dicunt) Ægæum reſpiciens; Nauplia appellata, quòd eò naues nauigarent: eſt enim portu commoda, in quo innumeræ naues tutò conſiſtant. Sed Nauplio circumſeſſo, cæteri Corynthum in Iſthmo, locupletem olim vrbem obſident, machiniſq; omnium generum oppugnare aggrediuntur. Per idem tempus accidit, vt Gotthofredus Villharduinus, alterius Gotthofredi Mareſchalli Campaniæ & Romaniæ, ex fratre nepos, qui duplicato Mareſchalli patrui honore, Syria initio profectus, Conſtantinopolim contendebat, atrociſsima tempeſtate, ex Rhodio & Carpathio mare, in portum Methonenſem deferretur. Nauis, tempeſtate iactata & conflictata, inibi hyemandi cauſam dederat, dum ea reficeretur, & inſtrueretur. Vt Chamaretus Leo, Lacedæmonis Deſpota (quam antea vocari Miſitram diximus) & Laconum Tyrannus, appulſam nauem reſcijt, hominem honorificè compellat, eiq; optatiſsima de Gallis nunciat. Ipſos, Conſtantinopolim cępiſſe, ac Balduinum de ſuis Imperatorem Conſtantinopolitanum creaſſe, qui iam omnium conſenſione regnaret. Græcus & Gallus, dextris fidei teſtibus vltro, citroq; porrectis, ſalutis ac periculorum ſocietatem coeunt. Ita regione, maximam partem, armis communibus parta, Villharduinus iunior, in Græco fidem (quod mirum fuit) Gręca fide meliorem, expertus eſt. Interim Gręcus iam ſenior, in eum morbum incidit, vnde breui extinctus eſt. Cuius filius, omni ſe perfidia; & ſcelere obſtringens, paternum hoſpitem Caſtellanis Methones cuſtodibus, prodit. Illi, inimico animo Francum tractant. Villharduinus, cum fama accepiſſet Nauplium Bonifacij Exercitu circumſeſſum eſſe, vt ſe ex Methonenſium manibus eriperet, eò, ne id quidem ſine periculo, adequitat, ſexq; dierum itinere, ſuperato Tiphoo amne, qui Paniſus olim fuit, & Eurota, Inachoq; Peloponneſi fluminibus, per Laconicam ad Exercitum in Argiam peruenit. vbi omnibus, inprimiſq; ipſi Bonifacio, Villharduini Mareſchalli nepos, quò inſperatior, eò iucundior fuit: & præcipuo honore apud Marchionem, & Equites habitus: homo prudens, & tamen

men bellator non mediocris, omnibus pariter acceptus fuit. Vbi, Marchio ſibi in animo eſſe oſtendit, nepotem Mareſchalli, omnibus rebus ornare, eiq́; agros ad columen domus ſuſtentandum, iure clientelæ aſsignare, & in tutelam recipere, ſi ſuam conſuetudinem ac familiaritatem amplecteretur; quòd ille in Macedonia agri ſatis, abundeq́; haberet, vnde ſuum militem locupletaret; Villharduinus dixit, conditionem accipere inſciente patruo, ſibi non licere. Mox iter ſuum, caſuſq́; omnes, Guilielmum Chiamlitem, qui Marchione Duce mereret, quicum amicitiæ vſus erat, ſeorſum edocet. ſe, de Morȩa regione longè ditiſsima, quaſi Romȩa (Peloponneſo antiquis dicta) redire. vox enim Romæa, contractis atq́; immutatis literis, à Grȩcis recentioribus verſa eſt in Morȩam: quum & Romæi veteres Græci, qui Conſtantinopolitanis Imperatoribus parebant, quaſi Romani vocarentur, & Conſtantinopolitanum Imperium, idem Romanum, & ipſa demum Conſtantinopolis noua Roma, iam inde à magno Conſtantino identidem vocaretur. Peloponneſum enim hodie adhuc cum Macedoniæ parte, atq́; ipſa Theſſalonica, Euboea prȩterea, Epiro, Ætolia, Acarnania, Locride, Phocide, Bȩotia, & Attica, Romanȩam ſuperiorem, recentiores dicunt: Thraciam verò, cum ipſa Conſtantinopoli, aduſq́; inferiorem Myſiam, hinc Ægȩum Propontidem & Boſphorum, inde ad Euxinum mare, Romanȩam inferiorem vocant. Itaq́; ſi Marchio ipſi copias, quòd commodo ſuo poſſet, traderet; eò apud Elidas, Achæos, atq́; Meſſenios, vel ipſos etiam Laconicos aut Argiuos, nouas ſedes quȩſitum, Deo auſpice, vnà adituros, ſeq́; rerum partarum portiuncula, quantulam ſua voluntate largiretur, contentum fore pollicetur, eamq́; omnem, eius ditione ſuprema, iure clientis (Ligium hominem vocant) tenere. Porrò Ligios inde dictos volunt, quòd ſolenni cȩremonia ligatis Reges pollicibus illos fidei, imperijſq́; ſuis vinciant, atq́; obnoxios faciant. Chiamlites, honori, & amicitiȩ Villharduini hoc tribuit, vt continuò ad Marchionem eadem de cauſa, oratum adiret. Is, Chiamliti poteſtatem abitus cum ſuis fecit, ei benè fauſteq́; euenire precatus. Ita Guilielmus Chiamlites, & Gotthofredus Mareſchalli nepos, cum centum Equitibus, & magno numero Centurionum in equis, in Peloponneſum reuertuntur, Methonemq́; accedunt. Comnenus Michael, vt Francorum paucitatem, ſpeculatus eſt, popularium maximum numerum aggregat. ea multitudine confidens, ex æquo noſtros conſequitur: qui in opinionem venerat, ſe noſtros iam iam manu conſtrictos tenere. Vt de Michaelis aduentantis fama ad noſtros dimanauit,

uit, continuò Methonem pręſidio firmant, vetereſq; munitiones reficiunt, quòd eas paulò antè crebris oppugnationibus diſiecerant, ne earum opportunitates ſecutus hoſtis, caſtra locaret. Methone, maritima Peloponneſi vrbs eſt, in Meſſeniorum agro, ad Occaſum brumalem ſpectans, quà pelagus Siculum alluit, ex his ſeptem vna, quam Agamemnon ſpopondit Achilli, Pedaſus olim appellata. quam cum obſideret Philippus Alexandri Macedonis pater, damnatus eſt oculo, ictu ſagittæ. In ea vrbe, Agrippa Bogum Mauriciorum Regem, Antonij in Actiaca pugna partes ſecutum, ſupplicio affecit. portum habet ad Ionium, ex ſinu quem Acritas promontorium, hodie Gallum caput dicunt, longum in mare circumductum, ſenſim efficit. Impedimentis, lixis, calonibuſq; & gregarijs, Methone relictis, diei iter adequitant; ac, pro ſuorum paucitate, acies vel ſpecioſas inſtruunt. Sed, hæc Ducis ratio (malum) temeritati affinis videbatur. quòd quingentos equites, cum quinque millibus commiſſuri eſſent. Sed nihil viris fortibus deſperandum, qui ſe Dei præſentia comitari, atq; animari, Vatum oraculis, perſuauiſsimum habebant. vulgò enim prædicari, Gallos cęleſti fortitudine homines eſſe, aut Dei benignitate omnia proſpera, ac ſancta illis portendi. Ea fiducia in hoſtem procurrunt, ſimul & fundunt ac fugant: vnde noſtri, captiuis equis, armis, reliquaq; hoſtili gaza ditati, victores læti Methonem repetunt. Vtriq; fuit iter, neq; ita conuerſum in vrbem Coronem. Ea proxima Peloponneſi vrbs eſt, ad Meſſenium ſinum, duodecim fermè paſſuum millibus Methone procul, ſi terreſtri itinere petatur: mari verò, paulò minus viginti. Nam, Acritæ promontorium, quod Gallum caput vocari diximus, medio fermè interuallo in mare procurrit; in cuius læuo promontorij latere, quà ſinus Creticum, & Ægęum pelagus reſpicit, Corone conſtituta eſt; adeò in pelagus exporrecta, vt magna ex parte maris fluctibus alluatur. Coronęi, ſimulac continente inſeſsi fuerunt, in Chiamlitis, & Villharduini poteſtate, ſalutem nedum fortunas omnes ponere. Vrbem Chiamlites Villharduino attribuit, qui ſe eo nomine de more clientem, in cenſu profeſſus eſt. Ibi præſidio conſtituto, ad Caſtellum Callematam pergunt, in intimo Meſſeniaci ſinus receſſu, quod Abea olim fuiſſe, dicunt, inter Coronem, & Laconiam; oppidum ædificiorum pulchritudine, & munitione ſpectabile, non ſine ſudore, & ſanguine receptum. Nam noſtri maximis laboribus exudatis, oppidanos, eò anguſtiæ adducunt, idq; ſatis longo tempore, vt deſperatione propugnandi ſumpta, deditionem facerent.

Eorum exemplo, reliqua Peloponneſi oppida, Meſſeniorum, & Laconum facilè domantur. Eodem tempore Bonifacius in Peloponneſo (vt dixi) ad Nauplium vehementer laborabat, & ſpem potiundi abiecturus, atq; Exercitum deducturus videbatur, quòd ea Vrbs præter maritimi loci naturam, propugnaculis etiam terreſtri parte, præſidij tutiſsima eſſet, vt omittam Exercitus detrimenta, non leuia. Alia parte, Iacobus Auennes, ſine intermiſsione Corynthum obſeſſam vrgebat, vti à Marchione præceptum erat. Corynthus, ampliſſima & opulentiſsima olim totius Gręciæ Ciuitas, in ſummis Peloponneſi anguſtijs ad Iſthmum, æquo ſpatio inter vtrunq; mare conſtituta, & totius Grçciæ quondam lumen appellata; ſitus opportunitate cæteris Europæ vrbibus præſtat: quando arx Peloponneſi, clauiſq; atq; vna ex compedibus Græciæ nominata, duorum portuum domina, ab vtroq; mari Ægęo, & Ionio, ac Siculo inſuper, magnos ex portorijs & mercaturis prouentus perciperet. Ex quo clariſsima opibus, poſt clade notior. à Romanis enim L. Mummio Duce ſolo ęquata, ob violatos Legatos, ſed multos poſt annos, eodem ferè tempore quo & Carthago, rurſum ab Orbis reſtitutore Auguſto, inſtaurata fuit, Colonis Libertini generis eò miſsis. Corynthо proximum in Ionij maris litore, Lechæum oppidum quondam fuit, cum nobili portu: contra quod, in Ægęum & Ortum ſpectans alterum, & ipſum nobili portu clarum, Cenchreas vocant, nauali Corinthiorum celebres. elaboratum Corinthium æs, quod ex ruderibus, ſepulchriſq; Corinthiorum effoſsis, Romam afferebatur, diu ſummo in honore fuit. Ciuitas nempè vna rerum omnium nobiliſsima, & opulentiſsima fuit: ſeu viros ad Rempub. natos, ſiue eximias opificum artes ſpectes. Hinc enim, & in proxima Sicyone, pictoria, & plaſtice, & omne aliud huius generis opificium, peruenit ad ſummum. Eius vrbis, vnà, & totius Peloponneſi Geographicam vetuſtiſsimam effigiem, vt ſcriptores tradunt, ob ſinus & promontoria, quibus, vt fibris, litora eius inciſa ſunt, ſimul quòd tenui tramite, in latus effunditur, Platani folio ſimilem, latiſsima membrana ſcitè expreſſam vidimus. ea fuerat illius ſenioris Vincentij Capellij, viri bellò & pace clariſsimi, qui, Turcico bello Venetæ claſsis Imperator ad Actium, Caſtronouo in Rizonico ſinu expugnato, egregia Reipub. nauata opera, abſens Diui Marci Procuratoriam dignitatem, in Petri Landi ad Principatum euecti locum, vniuerſæ Ciuitatis conſenſu adeptus eſt. hac, quam diximus graphica Peloponneſi effigie, erudiтiſsimi Pictoris manu ex fide delineata, ipſe Capellius Venetæ,

vnà

vnà & Andreas Auria Cæſarianę, ac Marcus Grimanus ex Diui Marci Procuratore Aquileienſis Patriarcha, Antonij Principis nepos, Pontificiæ claſsis Imperator, vſus olim dicitur, dum Hariadeno Barbaruſſæ, Ambracio ſinu cum tota Otthomanica claſſe incluſo, onerarijs nauigijs ad ſinus fauces demerſis, expoſitiſq; in terram militibus Preueſæ Caſtello expugnato, egreſſum, dictis ſententijs eripere conſultarent: atq; in Naupactum ſinum claſſem inferre, Naupactumq; oppidum ſummo Chriſtianæ Reipub. commodo expugnare; quæq; ad Corinthiacum Iſthmum pertinent Caſtella, diripere & vaſtare, vel ipſo maximoperè cohortante Capellio, cogitarent. In ea, Iſthmus ille inter Ægęum & Ionium anguſtiſsimo quinq; millium paſſuum interuallo, ſcitè repręſentatus ſpectatur, hinc atq; illhinc ingentium vndarum impetum tanto ſęculorum decurſu, tàm pertinaci litorum conſtantia ſuſtinere, vt etiam transfodere conatis ſeſe impatientem præbuerit. Demetrius Rex, Cæſar Dictator, C. Caligula, Domitianus, Nero, magnis conatibus, ſed infauſto omine, nauigabili alueo transfodere aggreſsi, cępto deſtitere. vnde, enatum vetus adagium: Iſthmum fodere; quum fruſtra aliquid moliri quempiam ſignificamus. Auorum noſtrorum ætate C. ab hinc annis, Aloyſius Lauretanus Procurator, Ioannis F. Aloyſij Procuratoris nepos, Pauli Procuratoris pronepos, Venetæ claſsis Imperator, bello aduerſus Amuratem Turcarum Imperatorem, quò Barbaris in Peloponneſum deſcenſum prohiberet, murum continentibus bellis dirutum, quem Conſtantinus Palęologus, nouiſsimus Conſtantinopolis Imperator, ac Gręci Deſpotæ, cum in Europam Turcarum potentia penetraret, ex mari ad mare Iſthmi anguſtijs produxerant, quò Peloponneſum à reliqua Græcia diſiungerent; ex loci diſtantia Examilum appellant, intra quindecim dies, addita latiore foſſa, ad Romanæ magnitudinis exemplum, admirando labore, ſed parum felici euentu, reſtituit. Cæterum ad Iſthmi fauces in vetuſtiſsima Capellij membrana, præruptus cernitur collis, arduo aſcenſu, in quo tot ante ſęculis Acrocorinthus, veteris Corinthi arx fuit, quæ vrbi olim imminebat, è qua duo diuerſa maria, hinc Ionium, inde Ægæum ad Saronicum ſinum latiſsimè proſpectantur, loci natura quondam munitiſsima: quando nullibi, pręterquam ex vrbe, acceſſus pateret. Romanorum rebus euerſis, Corinthus cum reliqua Peloponneſo, Bęotia, & Attice, Gręcocum prouincia facta, Conſtantinopolitanis Imperatoribus paruit. Leo igitur Sgurus, qui vt ſupra meminimus, in præſidio Corinthi curabat, Dux vafer, & in-

genioſus, quadam die conſpicit Auennis equitum paucitatem, qua opportuno in loco ad Ortum, Cenchreas verſus, conſtiterant, ſimul & eum, vigilias diſſolutè ducere, ac deſidere. Itaq; hoc cognito Sgurus, diluculo cum copijs, nullo cum ſtrepitu vrbe egreſſus, repentino procurſu, ratus ſe ea hora ſegnes & imparatos aggreſſurum, confeſtim impetum in ſtationes inopinantes facit, atq; in caſtra interiora, imò potius in Auennis tabernaculum, audacter atq; fortunatè penetrat, vſq; adeò perturbatis & commotis caſtris, vt complures antequam repoſita arma caperent, occupati cęderentur. Sed inter cæteros, adacto per galeam telo, Draco Struenus confeſtim cæſus. Ille, certè quidem Eques prouidus & idem pugnax; vir & corporis, & animi viribus pariter inſignis. Tanti viri mors, dolorem Exercitui cum magno detrimento coniunctum attulit. cæſi permulti, alij vulnerati quamplures. Iacobus Auennes ipſe Dux fortiter pugnans, in tibia graue vulnus accepit. Sed equites, qui cum Auenne propugnabant, quiq; anguſtia temporis in tantum periculum venerant, collectis viribus, auctiq; animis, in Sguri copias ſe recipientes, adeò præcipites facta eruptione deferuntur, vt non diu Græci, illatis damnis lætarentur. Siquidem terga dantes, & Corinthum adproperantes tanto impetu, tantaq; impreſsione ſubſecuti ſunt, vt poſtremi agminis permultis cæſis, ad vrbis vſq; portas conſectati, nuſquam frontem in noſtros conuertere audentem hoſtem, in oppidum turpiter compellerent. Ea re feliciter patrata, noſtri ad vnum omnes, incolumes ſeſe in caſtra receperunt. Porrò Sgurus Leo, multis cladibus paulò poſt à noſtris illatis perturbatus, & exterritus, amiſſæ Argos, atq; aliorum oppidorum mœrore, in Acrocorinthum quam veteris Corinthi diximus, in arduo montis, alto atq; munito loco arcem inexpugnabilem, confugit. Cæterum Græci, qui dolo & inſidijs magis quàm virtute certabant, dum Francos in Peloponneſi, Macedoniæ, & Thraciæ oppidis, in agris & hoſpitijs diſiectos, ac pallantes, prædæ ſtudere conſpiciunt, veniſſe tempus aiebant, ipſos omnibus incommodis affligendi. Itaq; ſingulæ Peloponneſi, & Græciæ Ciuitates, idoneos eligunt, qui Ioanniſſæ Regi Myſorum & Triballorum ſuadeant, arma in Francos ſumenda. facilè erat Regem per ſe Francis infenſum, & iam bellantem, inſtigare. Id ſi faceret, omnes in eius poteſtatem vltro venturos, ſeq; illum iam Græcorum Imperatorem habituros; ac, ſi fidem daret, Francos omnes de medio ſublaturos. iam, iamq; ſe in eius verba iurare, ſe dedere, ſi viciſſim ipſos ſuorum loco, & amicorum haberet. His fœderibus res con-

fecta.

ſecta. Per ea tempora Conſtantinopoli grauius opinione accidit, vt Hugo Sancti Pauli, inclyti nominis Comes, qui ſeptuagenarius diuturno morbo podagræ intabuerat, cum alioqui indomito animi vigore, vel inter tot articulorum cruciatus, nunquam à militiæ laboribus, atq; periculis abſceſsiſſet, eiuſdem vi conſumeretur. vnde luctus & mæror ſingulis, atq; vniuerſis maximus fuit. Eum Barones in Diui Georgij Manganij magnificè ſepelierunt. Mangana locus Conſtantinopoli ita appellatus eſt, quòd ibi veterum Auguſtorum temporibus, Tollenones, Onagri, machinæ bellicę, & militaria tormenta aſſeruarentur. Erat autem locus, iuxta promontorium Boſphorium, in ea Conſtantinopolitanæ Vrbis parte, vbi nunc in maritimo angulo Vrbis, clauſtrum Regium Turcarum Imperatorum videmus; aut certè propè ipſum clauſtrum, iuxta Boſphori fauces extremas. Ibi Conſtantinus Monomachus, ſeu gladiator, qui poſt Zoen, & Theodoram imperauit, cum inſignem aulam ædificaſſet, Scleręnę Auguſtę amicæ cauſa, vt eam dum in venatione eſſet, per ſpeciem ſtructuræ inſpiciendæ, crebrius inuiſeret, fiſcum & publicos theſauros, vſq; ad inſaniam exhauſerat. Sed Scleręna paulò poſt defuncta, Monomachus ad pietatem conuerſus, eodem loco celeberrimum templum à fundamentis inſigni religione couſtruxit, atq; inuicto Martyri Georgio dicauit, in quo Scleręnæ oſſa condidit, quod poſtea Manganorum appellatum eſt. In id templum, atq; adeò in ipſius Scleręnæ Auguſtæ tumulum, vt Nicetæ Choniatæ annales Græci referunt, Hugo Sancti Pauli Comes illatus eſt. Nunc, Regiorum clauſtrorum mole, direpta Æde, & Monomachi aula, cum reliquis Chriſtianorum templis, vt in rebus mortalium ſunt rerum vices, adeò, vt neq; Regnis, quæ & ipſa ſuas habent periodos, quicquam diuturnum maneat; tota loci facies, centum ab hinc annis, Othomanorum Imperatorum ſubſtructionibus, immutata eſt. Cæterum Hugo, tanto bellicæ gloriæ ſtudio flagrauit, vt in eo, ad extremam ſenectutem varia fortuna exercitus & iactatus, glorioſam etiam mortem in caſtris, in militum oculis, Baronibus Francis ſemper exoptatam, oppetierit: &, cum podagra ferè ſemper laboraret, dolores tamen pedum grauiſsimos, aſsiduis militiæ laboribus fallebat; nuſquam enim à militaribus muneribus diſcedens, vel imperatis, vel ſponte ſumptis, ſæpe etiam lectica vectus, faſcijſq; illigatus, propter acutiſſimos cruciatus, ſigno dato, pugnæ præſto ſemper aderat. Dux certè, rei militaris ſcientia æqualibus anteferendus. Declarant hoc, egregia hominis conſilia & facinora, quem dormientem, hoſtis ſolli-

citius

citius quàm cæteros vigilantes cauebat; magiſq; omnibus vnum formidabat: cuius artibus, & vaframentis, quę ſtratagemata vocant, etiam militares ipſi veteratores ita capiebantur, vt Comitis virtuti fortuna ſemper comitari videretur. nimirum vir conſilio pariter, & manu promptus, perantiquam diſciplinam militarem in Gallorum caſtra, ſeueritate indulgentia condita, induxit. Imperio enim ingenuo, militem in officio continebat, liberalitate magna quidem vſus, ſed, ita vt remunerari magis, quàm eblandiri videretur. Ad hæc, nunquam plus laboris militi impoſuit, quàm ſibi ſumpſit. in prædæ partitione, omnium ſuæ ætatis æquiſsimus, vt facilè milites Exercitumq; votiuum & Comites, dicto obedientes haberet. Domus porrò Sanpauliana in Arteſio, apud Leonenſes, Britonicenſis Britanniæ, in Armoricis, vetuſtate antiquiſsima cum ſit, & rerum geſtarum gloria cumulata, eo honoris, non noſtris modò, ſed etiam priſcis temporibus proceſsit, vt potentiſsimi cuiq; Belgarum Reguli, eius affinitatem libenter appeterent. Hugo etenim, Balduini inclytæ famæ Imperatoris Iolem amitam, alterius Balduini Hannonij, & Adelæ Namurcenſis filiam, Caroli Magni ſanguine progenitam, in matrimonium duxit. Ex qua moriens Eliſam, & Euſtachiam hæredes filias reliquit. Sed Hugoni Sancti Pauli Comiti, alter Hugo ſenior auus fuit, qui ad primum bellum votiuum, in Syriam cum Petro Eremita profectus eſt, manumq; lectiſsimam ex ſuis clientibus, atq; ex his qui ipſum ex Armorico, honoris cauſa ſecuti erant, eodem duxit: tantumq; bellicis rebus inclaruit, vt omnium conſenſu digniſsimus haberetur, qui Hieroſolymis Exercitui præeſſet.
Engerranus pater, & idem Comes Sancti Pauli, ſacræ militiæ operam egregiè nauauit: quando adoleſcens adhuc, ſed ingenio bellici decoris auido, cum patre, noſtri Hugonis auo, vt primæ militię rudimenta deponeret, ad tranſmarinum bellum alacri animo profectus, pietatis in Deum, Diuoſq; ſtudium, Sanpaulianæ domui, aut natum, aut eductum, ac retentum iure optimo oſtenderit. Sed quoniam Hugo viuens Didymoticum Thraciæ Caſtellum, edito in colle ſitum, benè munitum & copioſum, quod Hebro fluuio ad radices collis circundatur, tuendum acceperat, eoq; fortiſsimos Equites, ac Centuriones deduxerat; hoc Caſtellum Gręci, qui Francorum internecionem Ioanniſſæ coniurauerunt, Hugone mortuo, Regi quamprimùm tradunt. Francorum partim compoſitò necantur; reliqui, & hi pauci, clanculum ſe fugæ mandant. & ſalutis cauſa Adrianopolim verſus ſeſe recipiunt, quam Veneti in Vrbium Imperij

rij partitione adepti, in ditione tenebant. Sed paucis interiectis diebus, dum concilium coiretur ad Adrianopolim, ciues itidem rebellionem faciunt. Veneti, qui non magnis admodùm copijs in vrbis præſidio erant, vrbe, ne id quidem ſine capitis periculo, exeunt. Hæc, fama litteris, atq; nuncijs Conſtantinopolim ad Balduinum Imperatorem, & Ludouicum Bleſenſem, perferuntur: qui cum paucis equitibus in Vrbe agebant. Ex eo die, in Vrbe angi, & cruciari cęptum, cum in dies triſtiora alia ſuper alia renunciarentur. Nihil, niſi vndiq; ſociorum deſertorum, nulla iuris ęquitate confirmatorum & recreatorum, rebelliones in Baronum aures inſtillabant; noſtrorum etiam à Græcis Centurionum, & Præfectorum occiſiones, præſertim Baliuorum Vrbium & oppidorum. Nam iuxta veterem Galliæ ritum, Ciuitatum præſidiarios magiſtratus Baliuos patrijs etiam nominibus vocabant. Veneti, qui Adrianopoli confugerant, cæteriq; fugæ Comites, Tzurulum Thraciæ oppidum aduolant. Id oppidum medio itinere inter Adrianopolim, & Conſtantinopolim conſtitutum, ſexaginta paſſuum millibus Conſtantinopoli abeſt, Tzurulo fluuio ablutum. hodie vicus eſt, Turcarum ędificijs frequens, Chiorlicum Barbaris corrupto vocabulo appellatum. Imperij ciuitatem, cui defendendæ Braiaquellus cuſtos, ac præſes à Balduino Imperatore datus erat, ingrediuntur. Veneti, nouo auxilio freti, & à Braiaquello recreati, Arcadiopolim ipſis attributum, quæ diei iter à Tzurulo diſtabat, regrediuntur; ibiq; pręſidium vrbe vacua relinquunt. Arcadiopolis, inferioris Thraciæ Ciuitas eſt, in planitie Propontidi proxima, aduerſis ventorum flatibus obnoxia: ab Arcadij Theodoſij filio ędificata, Arcadiopolis nomen adepta eſt. Tertium ab eo diem Græci populares in agmen coeunt, & ſe ad Arcadiopolim conferunt, vrbemq; acerrimo impetu vndequaq; aggrediuntur, ſed defenſorum ea virtus fuit, vel fiducia, vt Veneti non maritimarum tantum, ſed etiam terreſtrium pugnarum periti, portis repentè apertis, in hoſtem animosè ingrederentur, quem ſubitò in fugam conijecerunt, cædendoq; hoſtem duo paſſuum millia conſecuti, latè propulſarunt, vnde prædarum pleni, maximè verò equos, ac plurimam gazam, hilares Arcadiopolim reportant. Nuncios victoriæ certos homines Conſtantinopolim ad Imperatorem Balduinum, & Dandulum protinus mittunt. qui luctum (vt par eſt) gaudio publico commutarunt, doloremq; attenuarunt. & quanquam Veneti hoſtem diſieciſſent, Arcadiopolim tamen inſequenti die inalbeſcente cęlo deſerunt; munitionibus, multo etiam

magis

magis oppidanis, diffidentes, & Tzurulum repetunt. Hoc noſtros malè habebat, quòd non ſolùm clandeſtinos hoſtes & occultos, intra parietes & muros vrbis incluſos metuebant, ſed etiam apertos vindicandos habebant. Itaq; omnes Tzurulum, proximum oppidum ſeſe recipiunt: nec multo tutius, quòd coniuratores nulla ratione ſatis caueri poterant. hoc in cauſa fuit, vt nonnulli rectà Conſtantinopolim pergerent. Eo nuncio accepto, Balduinus ſuos Aſſeſſores repentè in concilium adhibet, atq; inprimis Dandulum Venetiarum Principem, & Bleſenſium Comitem. de rebellione ſociorum refert, & Rege Ioanniſſa illorum copijs aucto. Conſilium commune hoc ferè fuit. Imperator Balduinus, fratrem Henricum, qui Atramyttenæ prouinciæ præſidebat, litteris quamprimùm certiorem faceret, vt vrbe relicta, cæteriſq; rebus omnibus poſthabitis, ex Aſia ſuppetias ſibi latum veniret: ſimul & Comes Bleſenſis, Paganum Aurelium, & Petrum Braiaquellum, è Nicęna Bithynię prouincia, quam à Balduino Imperatore beneficiario iure tenebat, in Thraciam cum toto equitatu Lopadio reuocaret: vno Cyzico ad Propontidem præſidijs quantulis commodo Imperij facere poſſent, munito, cum cæteris copijs Conſtantinopolim ad ſe, nauibus properarent. Imperator Balduinus Machario Sanmanechao, Matthæo Valencurio, Roberto Ronccio, qui in Bithynia ad Aſtacenum ſinum, centum Equites Nicomediæ in præſidio haberent, mandat, vt omnibus Propontidis rebus poſtpoſitis, ſibi opitulatum venirent. Balduini iuſſu Gotthofredus Villharduinus Thraciæ ac Campaniæ Mareſchallus (nam ab Imperatore Balduino ob eximiam virtutem, Thraciæ Mareſchalli honore auctus fuerat) Manaſſes Inſulanus, cum quot poſſent equitibus, qui ſanè perpauci fuerant, quod reliqui periclitanti patriæ neceſſarij eſſent, Conſtantinopoli exeunt, & Tzurulum, Thraciæ oppidum, vnde Conſtantinopolim trium dierum iter erat, perueniunt. Ibi Guilielmum Braiaquellum, cum ſuo equitatu inter ſpem & metum iactatum, offendunt: Ita tamen aggregati, animum ſibi faciunt, & inter ſe cohortantur, quatriduum ibi commorati. Imperator verò Balduinus, ſtatim ab Villharduini Mareſchalli ab Vrbe exitu; quantum poteſt equitatum cogere, conſequi iubet. Ita, vt quatuor diebus, octoginta equites Tzurulum ingreſsi fuerint. Vnde Villharduinus Mareſchallus, & Manaſſes Inſulanus præſidio aucti, cum omnibus ſuis copijs Arcadiopolim adeunt; Ibi diem fuere. Inde, iter Bergulam intendunt. Ea Thraciæ ciuitas eſt, apud Cherſoneſum, à Græcis vacuam, & deſertam offendentes, caſtra locant. poſtridie

ſtridie

ſtridie oppidum Neutzicum petunt, ędificijs ſpecioſum pariter, & munitum, rerumq; omnium copia abundans, duodeuiginti paſſuum millibus Conſtantinopoli procul. Ibi cognoſcunt Gręcum pręſidium Adrianopolim profugiſſe, quò & Græcorum maxima copia ſeſe receperat; quod illis iudicatum erat, ibi Balduinum Imperatorem cum copijs operiri conſtituunt. Nunc de Raynerio Traiectenſi ad Moſam pauca, ſed ea admiratione digna. Is, qui pridem Philippopoli, ad Rhodopen cuſtodię erat, quòd vrbem cum Strategia, Imperatoris beneficio, in feudum obtinuiſſet; quam inter & Conſtantinopolim nouem dierum ſpacium numerant, Eques ſanè virtutis præter cæteros eximiæ, ſed non ita boni & felicis auſpicij, vt omnium ſermone iactabatur, centum & viginti equitibus præerat: eum tamen Raynerius filius, Ægidius eius frater, Iacobus Bondinęus eiuſdem nepos, Carolus Vertodunenſis eius gener, maiore tamen aliquanto infamia quàm cęteri, impiè deſerunt: & ab eodem, triginta equites, per ſpeciem opis Conſtantinopoli ferendę, impetrant: ſed eos populares rebelles, in itinere adoriuntur: captoſq; in Ioanniſſæ Regis Myſorum manum, tradunt, quibus Rex, noſtris infenſior, paulò poſt capita ceruicibus amputari iubet. Horum cladem, pęna quæ perduellibus diuinitus debetur, tantum abeſt vt noſtri męrerent, aut deplorarent, vt etiam Deum Opt. Max. Traiectenſis iniurias probè vltum fuiſſe, prædicarent. complures ad octoginta Raynerij equites, qui nulla ſicuti priores conſanguinitate tenebantur, propinquorum exemplo, coniurationem ſibi facere licere putabant. Itaq; quo libitum erat, tàm turpiter, quàm perfidioſè digreſsi, nunquam ad ſuos diuerterunt. Ita Raynerius extremis Thraciæ finibus, ad Rhodopen & Hæmum, inter Græcos & Myſos cum tàm paucis equitibus, vt tantum vigintiquinque Philippopoli & Stenimachi (quod Philippopolitanæ prouinciæ eſt Caſtellum) haberet, deſtituitur. Nihilominus, vt erat præſenti animo Dux, nihil ſe deſerens, ac omnia obſidionis incommoda forti animo ſuſtinens, impauidus conſtitit; Fortunam quæcunq; accidiſſet, experturus. Ita intra vrbem incluſus, perdiu obſidionem tulit. Cæterum Imperator Balduinus, eo rerum ſucceſſu perturbatus & exterritus, quod eſſet, ab equitatu & peditatu non ſatis inſtructus, Conſtantinopoli valdè anxius agebat, & magnum ea de re animo dolorem, concipiebat. Nec enim aduerſus Ioanniſſam hoſtem numeroſo equitatu, & terrore innumerabilium iaculatorum, & ſagittariorum cuncta quatientem, aperto in campo conſiſtere audebat. Statuit igitur Henricum fratrem ex Aſia euo-

Digitized by Google

catum, expectare, ſimul & copias quæ Lopadij, & Cyzici vltra Propontidem agebant. Prima Nicomedenſis acies Conſtantinopolim adproperauit, Macharius Sanmanechaus, Matthæus Valencurius, Robertus Ronceius. hæc acies, centum equitibus maximè ſtrenuis conſtabat. Horum aduentus Balduini mæſtitiam, imminuit; atq; hinc ſpe præſumpta, de ſumma rerum pluribus, cum Ludouico Bleſenſi colloquitur. Conſilium vtriq; fuit, cum copijs quæ in Vrbe eſſent, Villharduinum quem præmiſerat, celeriter conſequi, ne expectatis quidem reliquis copijs, quæ nondum Propontidem traiecerant. Ita homines hoc tantùm conſilio præcipites & deuij, ſine reliquis ſubſidijs exeunt, cum ſic pauco milite, vt in non dubium periculum ruerent. Quid enim progreſſus tàm demens promitteret, niſi reditum incertum & calamitoſum, ac ne vix quidem reditum, ſed obitum longè fœdiſsimum? Ita, Imperator Balduinus & Ludouicus Bleſenſium, Carnutumq; Comes, cum centum & quadraginta equitibus, Vrbe Conſtantinopoli egreſsi, iuſtis itineribus, Villharduinum Mareſchallum ad Caſtellum Neutzicum, vbi ſubſederat, aſſequuntur. Nocte, conſilium inter ſe communicant. deliberationis ſumma fuit, vt diluculo mouerent, ac rectà quadrato agmine, Adrianopolim circumſeſſum proficiſcerentur. Vt conſultum, ita maturrimè factum. Adrianopolim prima luce diligenter recognoſcunt: & in muris ac turribus, Regis Myſorum vexilla defixa vident; ac pro portis & muris, numerum defenſorum maximum; iudicant oppugnatione capi non poſſe. Itaq; ſedulitate non mediocri, vrbem IV. Kal. Aprilis (is Martis dies fuit, qui à Chriſtianis Palmarius dicitur) circumſidunt. Ita tres dies ſub pellibus ad vrbem, magna cum ſolicitudine & angore, ex paucitate equitum, fuere. Eò Dandulus Venetiarum Princeps, qui noſtris conſilio dando deeſſe nolebat, ſenectute confectus (ſeptem enim & nonaginta annos natus erat) ad cuius grauiorem ſenectutem cæcitas acceſſerat, Venetam aciem duxit, Balduini Imperatoris, & Bleſenſis Comitis copijs, numero parem. Ad portam vrbis, erectis tabernaculis tentoria facit, eamq; obſidet. Quarta die, quæ eadem IV. nonas Aprilis fuit, noſtri aliquo numero Centurionum in equo aucti. Illos omnes certè neceſsitas, telum acerrimum, animabat, quòd famem expugnatione vrbis, ſibi antecapiendam videbant. nam mercatoribus qui in caſtra commeatus comportarent, iter ab hoſte tutum non erat, ſed nec obſidio, miles, ne latum quidem vnguem, diſcedere poterat: tanta popularium multitudo in agris graſſabatur. Præterea, Ioanniſſa aſperioribus Hæmi

iugis

iugis peragratis, iter ad Adrianopolim liberandam maturare, & cum ingentibus Myſorum & Triballorum copijs aduentare, iactabatur. adiunctos etiam illi Cumanos ad quatuordecim millia, (homines generis Scythici) nondum, vt Villharduinus tradit, Baptiſmate Chriſtianorum ritu initiatos, iaculandi, ſagittandiq; peritiſsimos, homines prædatorios & feroces: & quibus poſt arma, venationis ſtudium potiſsimum eſt: nam & ſyluis immanibus clauduntur, quarum tàm vaſtam alicubi ſolitudinem eſſe ferunt, vt in prouerbium etiam abierit; & Scythica dici cępta ſit, quæuis ſolitudo paulò aſperior, ampliorq;: & ferarum nullis gentibus maior, aut numerus, aut varietas ſit, vt de magnitudine taceam. Sed de Cumanis (vt & hoc obiter indicemus) Ioannes Baptiſta Rhamnuſius Pater, ſui temporis non ineptus Geographiæ Scriptor, ſecundo de itinerum, ac nauigationum perdifficili curſu volumine, cum tribus voluminibus, ex recentiorum, qui Orbem explorantes peragrarunt, & ſe vel nauigationum authores, vel claſsium Regiarum Præfectos fuiſſe aſſerunt, Commentarijs, ad non mediocrem noſtri æui vtilitatem, omnes ferè cogniti Orbis ad hanc diem plagas, ab ipſo Meridiei cardine ad Septentriones, exinde ab Ortu in Occaſum, & proinde ad Antoecos pertinentes, ingenuo labore illuſtrauerit, Cumanos antiquos Aſiaticæ Sarmatię populos (cum Tauroſcythas, vel Alanos quidam velint) hodie ſupra Tauricam Cherſoneſum, Męoticę paludi proximos refert: Hircani olim maris accolas ad Septentriones, ſub Scytharum, & Sarmatarum nomine comprehenſos, eam terrę plagam, vt veteres ſcriptores tradunt, ceu damnatam, & frigoribus quaſi perpetuis infamem, incolentes; gentem ad arma natam, & quæ laboribus, periculiſq; militiæ indurata, ſumma alacritate pręlia ineat; & licet ſæuas fermè frigore, & niuibus hyemes habeant, tamen haud eſt illis adeò aſsidua cęli, tamq; inimica ſemper inclementia, quin contra æſtiuos menſes, & temperie aeris eximia, & vbere rerum prouentu, peragant. vt non dubium ſit fabuloſa omnino eſſe, quę de imperuio illo ſupremi ſyderis gelu & glacie, antiquitas nulla fide prodidit; & parum æquè, quidam veterum ſcriptorum, eam partem Orbis, ceu damnatam, & frigoribus quaſi perpetuis infamem, tradiderint. vt ſinamus interim modeſtiæ gratia inexcuſſum, quòd tantoperè diſſentiunt. Enimuerò ſi ſereno cęlo, ſoloq; fertili, Hyperborei, ad extimum Septentrionem illorum teſtimonio remoti, fruuntur, vt in Olai Magni Vpſalenſis Archiepiſcopi, rerum Septentrionalium hiſtorijs legitur; ſi tàm clemens Arimphæis, & ipſis in pe-

Bb 2 ni-

nitiſsima Scythia locatis aer eſt, ſi tanta rerum vbertas, quantam illi prædicant, ſponte etiam enaſcentium; quid (oro) cauſæ ſit cur minus fertilibus alicubi locis agere, Sauromatis & Scythis videri debeat, qui tot tamen parallelorum interuentu Soli magis adproximent? Præterea experientia conſtat, Prutenorum & Liuonorum (vt hodie vocant) maritimam oram, quorum paralleli, ad ſexageſimum tertium gradum latitudinis abeunt, vel negligentiori culturæ benigniſsimè frumentum reddere ſolere, & intimus interim angulus Mȩotidis, vbi Alopetia inſula prætenditur, quinquageſimum quintum gradum latitudinis ab æquatore circulo non excedat: citra quem, tamen maior frequentiorq; Sarmatiæ Aſiaticȩ pars, & Cumania ipſa iacet. vt dubitari nequeat nihil obeſſe, quin illi vt Auſtro ſunt, & Solis viæ propiores, ita quoq; temperiem cȩli haud minus commodam habeant, atq; illi habent, qui propius axem habitant, ac perpetuos dies, & perpetuas multorum menſium noctes habent. Sed omnem ambiguitatem Maximiliani Cæſaris, parentum noſtrorum ætate, ad Moſcos Legatio ſuſtulit; & eorum commentarij qui multos ante annos, trans Arcticum parallelum in Septentrionem, plagas peragrarunt atq; explorarunt, nihil horum agris, quæ modò ad commodam vitæ alimoniam attinent, ſupremum illum Orbis & rerum omnium artificem, Deum Opt. Max. denegaſſe, affirmantes. Antiqua porrò Cumaniæ regio, ſi recentioribus noſtri ſæculi ſcriptoribus credimus, fit enim (prout in rebus mortalium viciſsitudo eſt) vt gentium migrationibus, ſubinde ſedes mutentur & nomina, ab Ortu, Coraſmis Sogdianæ populis, per deſerta ſparſis; à Meridie, Rhà fluuio, & Hircano mari; ab Occaſu, longo per Hircanos, & Albanos Iberios tractu, ad Euxinum protenſa; à Septentrione, Caſsijs montibus clauditur. ad Scythiam intra Imaum montem, pertinere ſcriptores tradunt. Cæterum, vt ad hiſtoriam noſtram reuertamur, Bleſenſis Comes, Cumanorum copijs vniuerſam ferè Thraciam depopulantibus, iam difficillima annona famem veritus, III. nonas Aprilis, qui hoc anno Palmarum celebritati Chriſtianis dicatus eſt dies, vnà & Stephanus Perticenſis, frater Gotthofredi Comitis, & Reginaldus Monmirallus, Hugonis Niuernenſium Comitis frater germanus (is Comitatus Auguſtonemetum in Niueduno antiquis fuit) Geruaſius Caſtellanus, maxima breuiter pars Exercitus, Peucem (id Thraciȩ oppidum eſt, ad Iſtrum pertinens) frumentatum eunt. Caſtellum defenſoribus frequens, fortiter propugnatum. noſtris re infecta regredientibus, pudori & detrimento, hoſti

lætitiæ

lætitiæ fuit. Noſtri etiam quæ neceſsitas ſuadebat, effodere, & ſcaturigines aquarum, ab obſeſſorum vſu deriuare: magnum quoq; numerum operarum adſcribere, qui Adrianopolitanæ vrbi cuniculos aliâ agerent, aliâ murorum fundamenta excinderent. tantum operę intermiſſum, dum ſolennibus Reſurrectionis appetentibus, Paſcha ad Adrianopolim, inter tot rerum anguſtias, vt copijs maximè exiguis, ſic tenuiſsimis ſanè epulis, celebrarent. Eodem ferè temporis puncto, annunciatur Ioanniſſam Regem Myſorum Adrianopolitanis ſuppetias ferentem, cum ingentibus armatorum copijs, iam adeſſe. Ea res, ſollicitiores noſtros habuit. Balduinus Imperator præſenti animo, copias omnes educit, luſtrat, aciemq; inſtruit, cum Rege congreſſurus, ſi pugnæ poteſtatem faceret; Villharduino Mareſchallo, & Manaſſe Inſulano cuſtodiæ caſtrorum relictis; atq; ita, in ordinibus ſtetit, ad proximas Idus Aprilis, qui Mercurij dies fuit. Iam tum, ad decimum ab vrbe lapidem, Rex Ioanniſſa cum maioribus copijs, apud Adrianopolim conſederat. Nam Cumanos Leuis armaturæ equites, Scythas ante, excurſionibus noſtros laceſsitum præmiſerat: ſed hi, ne clamorem quidem noſtrorum ferre potuerunt: ſolaq; fronte & vultu, continuò duo milliaria turpiter fugantur: At, ijdem Cumani expediti, aſſuetiq; velitationi magis, quàm prælio, paulò poſt in noſtros cataphractos ab hoſtium perſecutione ad caſtra reuertentes, crebra ſagittarum procella celeriter regrediuntur: noſtroſq; ſagittis confixos acriter laceſſunt, & complurium equos eminus confodiunt, aut grauiter ſauciant. Franci his incommodis affecti, ad caſtra redeunt, cum in tempore auxilia non conueniſſent, quibus incondita hoſtium multitudo, acri & repentina eruptione pelleretur. Illis ijſdem incommodis commonitus Imperator, continuò concilium vocat, in eo, equites cataphracti pugnam poſcentes, ſuam temeritatem euentu indicant, qui Cumanos equites velociſsimos, graues ipſi, ſub armis longiùs ęquo inſectati eſſent. Nihil tamen omnibus deliberatius fuit, quàm acie pro caſtris inſtructa, Regem manere, ſi iterum caſtris inſultaturus eſſet. Imperator, imminentis publicæ cladis, tanquam fatalis Vates, per præconem toto Exercitu diſertè pronunciari iubet, ne quis ex quauis auditione, rumore, clamore, vlulatu ordinibus egrederetur, aliàs inobedienti capitale fore. Idem Villharduino Mareſchallo, & Manaſsi Inſulano vigilia in obſeſſos Adrianopolitas demandat. Ita in armis noctem Exercitus egit. Prima luce, XVIII. Kal. Maij, qui dies Iouis fuit, poſt CHRISTI reſurrectionem quarta, milites Miſ-

ſa

Digitized by Google

ſa perorata, (quod nobis ſanctiſsimum ſacrificium eſt) prandere. Ecce, inter prandia affertur, Cumanos antecurſores Regis, ingenti armorum ſtrepitu, & terribili clamore vndiq; ingruentes, in noſtra tentoria ab omnibus partibus circunfuſos, concurrere, atq; inuadere: temeritate tamen ac audacia potius, quàm ordine, & bellica ratione. hic, quamuis profuſis clamoribus initio tumultuatum, quòd vi celeritateq; incumbentis hoſtis, dum ad fręnandos equos & galeas induendas tempus deeſſet, ægrè aciem inſtruere, ac repugnare poſſent, tamen tubarum ac tympanorum ſtrepitu, ad arma conclamatur, omneſq; vt iuſsi erant, ordinatim egrediuntur. Balduinus Imperator, hoſtium ſuperuentu perculſus, vt Cumanos adeſſe, & fatalis pugnæ tempus inſtare animaduertit, quando Barbarorum celeritate præoccupatus fuiſſet, neq; temporis ſpatium ſupereſſet, quo in re ſubita conſilium cum Bleſenſe caperet, nihil tamen territus animo ſe demittit; ſed equo celeriter conſcenſo, vt rerum aſperitas, & temporis anguſtia dabat, equites alloquitur, hortaturq; vt priſtinæ ſuæ virtutis, memores eſſe velint: &, quod tàm iniqua rerum ſors diſcrimen offerret, vna maximè impauidi animi fortitudine, ſuperandum exiſtiment. Viris quidem fortibus, quales ij eſſent, ac Francis, de honeſta morte, non de turpiſsima fuga, quæ Cumanorum equitatu circumdato etiam futura eſſet incerta, eſſe cogitandum. Cunctis pręaltè manum extendentibus, ſibi omnino conſtitutum eſſe reſponderunt, qui ſæpius eum anteactis bellis feliciter ſecuti eſſent, repulſis Cumanis, recepta de Ioanniſſa Adrianopoli, aut opimam eos ex Scytha hoſte prædam parare, aut vnà ſecum, ſi ita ſors ferat, egregiè pugnando, non indecoro vitæ exitu, mortem oppetere. Bleſenſis alioqui ſanę mentis, pręclarus Dux, & bellator egregius, ſed vir æquo acrior, & parandæ laudis auidior, quum fortè hoſtes in conſpectum ſe dediſſent, quin in eos confeſtim erumperet, contineri non potuit. Leuiſsimè igitur ſuam aciem in Scythas primus dirigit, miſsis qui Imperatorem rogarent, vt ſe cum reliquo Exercitu celeriter ſubſequeretur. Sed Franci equites gentis more, nihil de victoria dubitantes, animo elatiore, & idem cùm victoriæ cupiditate, tùm recentium damnorum vindicta incitati, quòd Cumanos Ioanniſſæ auxilia ſibi comparare, & nouas vires ſumere nollent, priſtini conſulti in ipſo temporis articulo obliuiſcuntur: atq; inſidiarum ignari, quatuor millia paſſuum Cumanos fugam ſimulantes, inauſpicatò perſecuti, à caſtris procul in inſidias, abruptis Thraciæ conuallibus, haud difficilè trahuntur. Nam Cumani, auſu aſtuq; prædatorio inſignes, ex Schyta-

Scytharum conſuetudine inſidiati, vbi noſtros in laqueos inductos vident, de repentè vlulatu edito, maximiſq; ſublatis clamoribus, frontem conuertunt, magnoq; impetu procurrunt, & noſtros eminus (nec enim pedem conferre audent) telis petunt, multiſq; incommodis confuſos equites, & locorum imperitos, & conſternatos adorti, affligant & confodiunt. Adhæc, alia, ex inſidijs leuis armaturæ milites emergere, noſtroſq; laceſſere: ſed hi, excurrere magis quàm præliari aſſueti, reſpectare, & ferè animo deijci. Ludouicus Bleſenſium Comes, qui cum ſua acie pugnam præpoſterè commiſiſſet, errore animaduerſo, cum receptum, vti fugæ perſimilem exiſtimaret, nequaquam pro dignitate Gallici nominis eſſe ſtatuebat, aufugere. Itaq; cum mori præſtaret, quàm indecoro deformiq; reditu Balduinum Imperatorem & dominum deſerere, ante ſigna accerrimè pugnans, ſolido thorace Cumanica cuſpide perforato, grauiter duobus acceptis vulneribus ſauciatur: quorum dolore equo excidiſſet, niſi ipſum turmalis eius Ioannes Friaſçus, in equum repentè alleuaſſet. Cum in equo ſatis benè, vt in tantis malis, adhuc ſederet, à ſuis maximis precibus monetur, vt ſibi conſuleret. reſpondit, ſi loco illorum eſſet, fortaſſe ſalutem fuga quæſiturum fuiſſe; ſed Bleſenſi præclaro genere in Gallia ad arma nato, nefas inexpiabile eſſe, Orientis Imperatore ſuo domino in prælio deſerto, fugere. imò verò, quandiu vires atq; arma ſupereſſent, pro religione, proq; optimo Imperatore, ac Imperij libertate, cum Barbaro hoſte pugnaturum. Imperator, Equitibus, familiaribus, & clientibus vehementer preſſis, ſe vndiq; circumuentum proſpiciens, ac tum demum in inſidias delatum, reliquos milites voce quàm clariſsima poterat, appellat; ne per Deum immortalem, per vetera clientelæ iura, quibus vt Domini Beneficiarijs, ita etiam conuerſim clientes patronis, mutua obſtringuntur fide, ſe impiè deſererent. ſibi perſuaſum eſſe non fugere, ſed potius, vt Hannoniæ ſtirpis hæredem decebat, Namurcenſi ſanguine progenitum, extremo eo vitæ actu, vnicam veræ fortitudinis laudem ſpectantem, & quicquid vel iniqua belli ſors afferret, tàm æquo, quàm indomito animo ferentem, ſuo mortui corpore locum, quem viuus occupaſſet, retenturum. His duobus tantis, ac talibus viris, ſuæ virtutis teſtimonium, ad perpetuum gentis decus, Gallicis Commentarijs Villharduinus nominatim dicit. meliores nec Duces, nec milites ſua memoria extitiſſe. Pluribus horis continenter, ſine intermiſsione certatur. tum verò à Cumanis horribili clamore ſublato, Franci equites & Imperatoris clientes cæduntur,

tur,

tur, atq; ita, vndiq; vertuntur in fugam, vt cuncti ferè in eo tumultu admodùm cruento, cum indagine innumerabilium turmarum clauderentur, interfecti captiq; ſint. confodi equi, ſubſterni equites, vulnerari, Scytharum conclamatione, ac noſtrorum cadentium gemitu, cęlum conſonare. Sed Balduini vox Regalis, & digna Auguſtorum genere, vnde illi origo fuit, non ita omnibus animum fecit, quin multi ſeſe fœdè prælio ſubducerent, & fuga ſalutem quærerent. Superantur tamen noſtri atrociſsima cæde. Balduinus Imperator fortiter pugnans, multitudine hoſtium circumuentus XVIII. Kalend. Maij, anno qui fuit à partu Virginis quintus ſupra milleſimum & ducenteſimum, viuus capitur; dolor & lamentum omnibus incredibile: & ad Ioanniſſam Ternobum deducendus (ea vrbs Myſiæ Regum, ex omnibus Hæmi ciuitatibus munitiſsima, & pręſtantiſsima, in montis vertice, Regia eſt) aſſeruatur. Ipſe Ludouicus Bleſenſium Comes, vulneribus debilitatus, interficitur. Caput eius haſtæ præfixum, lugubri humanæ miſeriæ ſpectaculo, hoſtis abſtulit. Cęſi ſunt, Petrus Epiſcopus Bethlehemitanus, quem Imperij Electorem ſuperiùs fuiſſe memorauimus. Stephanus ille Perticenſis Gotthofredi Comitis frater, qui ob eximiam virtutem, à Balduino Philadelphiæ Ducatu aſsignato, in clientelam ſuperioribus menſibus ſuſceptus fuerat. vnà & Reginaldus Monmirallus, frater germanus Hugonis Comitis Niuernenſium præclara nobilitate conſpicuus. ambo cęſi Bleſenſis amitini. Cęſus Matthæus Valencurius, qui ſecundam aciem, prima Conſtantinopolitana aduerſus fratricidam Alexium oppugnatione, duxerat; atq; ibidem, in ſuburbano ponte ante portam fortiter pugnando, ſuffoſſum equum amiſerat. Robertus Ronceius, qui quintam aciem in prælium duxerat, cum Monmorentiaco. Ioannes Friaſæus Bleſenſis cliens, qui eius nomine, Villharduino Legationis principe, cum reliquis Legatis, Dandulum Principem Venetias adijt, & Gualterius Nuylliacus, quem ſuperiùs Conſtantinum Laſcharem, Theodori fratrem, pro Alexio Imperatore propugnantem, captiuum feciſſe docuimus. Theodoricus de Arenacio, quod olim Minoriacum fuit, & Ioannes eius frater; Euſtachius Caumontius cum Ioanne fratre, Balduinus Nouauillanus multiq; alij virtute, & natalibus clari, qui ſuis nominibus (quod ea cęſorum ſtrage occulebantur) notari vix poſſunt. Verùm longè maxima cædes edita eſt, in Nicomedenſem aciem, quę ex Aſia Machario Sanmanechao, Valencurio, & Ronceio Ducibus, Propontidem traiecerat. in quam è tranſuerſo à Myſis continenti ſagittarum

gittarum procella perturbatam veteranę Cumanorum turmæ, quæ ex inſidijs prodierant, acriter inuectę, grauibus, & incuruis gladijs fruſtatim cædendo arma, & clauis ferreis pertundendo caſsides, & generoſos equos perfodendo, paſsim ſternebant, cum iam ipſo Balduino capto, & Henrico fratre cum auxiliaribus turmis ex Aſia ſeriùs aduentante, nemo inopinato oppreſsis opem ferret. ſpirantibus ſpolia detrahunt Scythæ, & capita obtruncant, atq; haſtis infigunt. complurium tamen fuga è Barbarorum manibus, multa noſtrorum cęde feſsis, & ſatietate captis, in maiora caſtra ad Adrianopolim fuit noſtrę calamitatis nuncia. Nam hęc atrox in noſtros à Cumanis clades illata, omnium ſuperiorum temporum ad illum diem ſtrages ſuperauit. Nam flos equitum, qui cum Balduino Imperatore erant, fatali quadam, & inauſpicata temeritate potius, quàm hoſtium virtute deletus interijt; ſic, vt totum Exercitum aſsiduo luctu funeſtarit. Nunquam enim antea acciderat, poſtquam in Orientem Francorum arma penetraſſent, ſicuti videre fuit, à Gotthofredi Bullionis vſq; temporibus, è tot Balduini, Fulconis, Hieroſolymarum Regum; Boemundiq; Antiocheni Principis aduerſis pręlijs, vt Barbarus, & victor, & incruentus euaderet. Itá, vt noſtri qui Cumanorum inſidijs ad Thraciæ conualles, ſupra Adrianopolim ferè inulti ceciderant, detrimentum acceptum, graui etiam ignominia cumulaſſe videri poſsint. Ea re perſpecta Gotthofredus Villharduinus Thraciæ, & Campaniæ Mareſchallus, qui ad portam obſeſſę Adrianopolis excubabat, ſeſe minus deſerens, reliquijs diſsipati Exercitus colligendis, omnes animi neruos intendit; protinuſq; cum ſuo equitatu, turpiter fugientes anteuertit; iubetq; Manaſſem Inſulanum, qui alteram Adrianopolis portam cuſtodiebat, ſe maturè ſubſequi. Is, tàm ſubito, quàm felici conſilio, complures in fuga aſſecutus, quos vi & minis cohibere nollet, eorum animos oratione confirmat, ſibiq; ad ſummam rei conſeruandam, beneuolè conciliat. Manaſſes, quod iuſſus erat, in tempore ſe, ſuoſq; Villharduino coniungit. Tum, acies copioſior redintegrata videbatur. Eam ſic inſtruxit, vt retractos è fuga, inter ſuorum ordines commiſceret. Villharduinum multæ res cohortabantur quare hoc munus exequeretur; ad ſuam enim dignitatem Mareſchalli, & Campaniæ, & Thraciæ pertinere. deinde in morte, vel vno ſecundo prælio immortalitatem nominis adepturum. Poſtremò, niſi hiſce reliquijs auctus, & firmatus fuiſſet, aut ſibi effugiendum, aut omnibus ad vnum nullo commodo Imperij, cadendum. Pauefacti, quæ maxima multitudo fuit, ex fuga quę ad

noſtrorum cędem, pomeridiano tempore facta erat, etiam ante ipſius Mareſchalli, & Manaſsis oculos, nullo ordine, nulloq; pudore, in tentoria aduolare. alij, diuerſoria petere, alij aliò locorum, & latebrarum, vbi ſe tutiſsimos fore putabant, gradum celeriter inferre. Ad eum modum reliquiæ ex fuga, diligentia & ſagacitate Vilharduini, vſui Reipub. reſtituuntur. Cumani, qui noſtros fugientes acriter infeſtabant, perſecutione deſiſtere. Sed Myſi, ac Triballi, itemq; Græci, ſagittis, & fundis hoſtem oblatum ferire, & fundere. Noſtri, qui in ordinibus erant, ſatis habebant tela declinare, ac ſe tueri. Eo modo vſq; ad veſperum, Adrianopolitanis conuallibus, die quem XVIII. Kal. Maij, atq; eundem nobis pernicioſiſsimum fuiſſe diximus, dimicatum, quo tempore Cumani, & Triballi, nullo propè ſuorum ſanguine, tanta potiti victoria, multis noſtrorum interfectis & cęſis, nuncio de Imperatoris Balduini captiuitate accepto, ad ſuos ſub noctem alacres ſeſe recipiunt: noſtris interim Adrianopolim obſidentibus; eo exitu, vt vertente anno, qui Conſtantinopolitanæ Vrbis captæ, & Balduini inaugurati memoria, nobis feſtus dies eſſet, idem cęſi Exercitus, captiui Imperatoris, & Bleſenſis clade, Latinis omnibus maximè dirus, & luctuoſiſsimus haberetur.

PAVLI RHAMNVSII VENETI

DE BELLO CONSTANTINOPOLITANO

LIBER QVINTVS.

VILLHARDVINVS Campaniæ, & Thraciæ Mareſchallus, qui, vt ſuprà memorauimus, cuſtodiæ caſtrorum relictus Adrianopolim obſidebat, ſtatim ac tantæ cladis nuncium accepit, ad maiora caſtra mittit, qui Dandulum Venetiarum Principem, cum ſuis copijs ad ſe accedere iuberet, quòd ipſe, ne latum quidem digitum, Adrianopolitanæ portæ obſidione diſcedere, ſine ſuo maximo periculo, poſsit. Is luminibus orbatus erat, & ſenex; ſed pro annis, viuidus ſatis & vegetus: animi autem magnitudine, & dandi conſilij ſapientia, quæ in hominibus id ętatis liquidior eſt, tanta, quantam exiſtimare poſſumus. Villharduinus hunc, apud ſe ſimul aſpectum, & ſalutatum, ſeducit, vt cum ſolo de ſumma rei communicaret. Oſtendit Balduinum Imperatorem prælio, quod XVIII. Kalen. Maij, cum hoſtibus Cumanis, quatuor paſſuum millibus ab Adrianopoli, commiſſum fuerat, à Scythis victum: captiuum ad Ioanniſſam, Myſorum &

Triballorum Regem, in interiorem Myſiam trahi. hoc, nuncios,& authores qui certiores haberentur, de Imperatoris Fato attuliſſe. Adhæc, Comitem Bleſenſem occiſum: Exercituuſq; maximam & validiorem partem, deletam: Imperio demum Fatum ſuum videri inſtare. ipſum, quàm maturrimè tantis malis pro ſua ſapientia mederi oportere; ac reliquias,quamuis perexiguas, vel potius nullas, qūoad fieri poteſt, ſeruare: eò deniq; calamitatis rem proceſsiſſe, vt in precibus ad Deum & votis (qui niſi noſtra obſecratione Fatum ipſum flectat, & opem miſeris rebus ferat, iam iamq; de Imperio actum eſſe) ſalus, magis quàm in conſilio humano poſita videatur. Conſultationis hæc ſumma fuit. Dandulus, ad Exercitum adiret, conſolaretur, omnes in armis paratos, in ſuis quemq; tabernaculis, nullo ſtrepitu ac tumultu, tacitum ſignum receſſus operiri, iuberet. Villharduinus autem ſuos pro caſtris apud Adrianopolim,in ordinibus ad primam noctem produceret, eo tempore, quod dictum eſſet, caſtra moturus, quò facilius iter clam hoſte faceret, ſuoſq; hoſtili offenſa eximeret. Dandulus porrò aciem primam regeret; Villharduinus agmen ſuorum clauderet. ita indicta profectione,expeditiſſimi omnes primis tenebris conſulta maturè exequi, agmen equitum peditumq; certo ordine, ſed deuio itinere, minus ab hoſte infeſto, vt, aliquot paſſuum ad iter circuitu addito, integri, & ſaucij ad vnum omnes,ſalui reducerentur, quòd ſanciorum commodo fieret, Rhædeſtum verſus, caſtrenſi gradu incedere. quæ ciuitas Thraciæ maritima ad Propontidem,ab Adrianopoli, viam tridui abeſſet. Sed magnus numerus eorum qui ſeſe prælio ſubduxerant, quod die Iouis, ſupra Adrianopolim ad Hæmi conualles, cum Cumanis factum fuiſſe memorauimus, inſequenti nocte, qua noſter Exercitus caſtra ab Adrianopoli mouit, rectà Conſtantinopolim, quæ quinque dierum iter abeſſet, tanta fugæ celeritate intenderunt, vt eò bidui ſpatio penè prius improuiſi in vrbem peruenirent, quàm iuſtis itineribus profecti à noſtris crederentur. qui eos ex caſtris vel ob id nuſquam diſceſſuros exiſtimabant, quòd fama increbuiſſet ab Cumanorum equitatu, paulò antè Balduinum Imperatorem,& noſtros acriter infeſtari. Hæc feſtinatio nimio plus diligens, omnibus probro fuit; cum vt viæ, ſic honoris ſui compendio,tutius etiam ſeſe noſtris, ad Adrianopolim coniungere poſſent. in his fuerunt Craſſus Longobardus Comes, in Tranſpadanis, Bonifacij Marchionis cliens, Odetus Hamus, qui cum Balduino notam Cruciatorum acceperat,Hami in Veromanduis Toparcha (ita enim Franci Equites, more gentis de beneficijs

neficijs militiæ, quæ Feuda vocant, quod ea & in ſuis, & in legitimis hæredibus continuata, è gente vel familia, alienare nefas eſt, nomen accipiunt) item vnà vigintiquinque Equites, qui pugna turpiter exceſſerant. illi ſunt, qui vltimi materes in prælio intendunt, primi remittunt. veriti credo, ne fama, quam omnem perdiderant, prius de Imperatoris calamitate, quàm ſua nunciatione ad Petrum Capuanum Cardinalem, Summi Pontificis Innocentij III. in Vrbe Legatum, Cononem Bethunium Conſtantinopolis Præfectum, & Milonem Brabantium afferretur, non tàm in Vrbem venire properabant, quàm aduolare. Illi, re intellecta, caſum acerbiſsimum grauiter inter ſe lugere & mẹrere; atq; aduerſa, vt fit, fama maiora facere; reliquum Exercitum, qui Adrianopolim inſidebat, occidione occiſum, aut captum credere. Sed iſtos in luctu & mẹrore Conſtantinopoli relinquamus, & quod ad hiſtoriam pertinet, Ducem Venetiarum Dandulum, cum Villharduino Mareſchallo commemoremus. Illi, ab Adrianopoli continentem noctem in lucem itinere facto, Pamphilum, amicam, & in fide Imperij poſitam vrbem, deueniunt. Sed in bello, paruis momentis magni caſus intercedunt. Nam, tum eò Petrus Braiaquellus anteuerterat, Paganus Aurelius, & reliquæ manus Ludouici Bleſenſis, qui numero ad centum equites planè ſtrenui fuerunt: itemq; centum quadraginta Centuriones ad equum reſcripti. Hi ex Nicæna Bleſenſis prouincia (Ducæam vocabant) iuxta Troadem, Helleſpontum traiecti, ad caſtra apud Adrianopolim conſtituta, proficiſcebantur; noſtrorumq; aciem procul ſpeculati, Græcos ad ſe venire rati, illico ad arma conclamant, & fortunam experturi, reſiſtunt. proinde exploratores ad noſtros mittunt, qui ſciſcitentur vnde gente, quæ cauſa viæ, amici an inimici, gradum inferrent. Renunciato Francos & Venetos eſſe, ab hoſte reduces, magna vniuerſorum calamitatis comploratio, tota vrbe excitata; ſed longè maxima Balduini Imperatoris caſu, Bleſenſiſq; & complurium Baronum cæde cognita, plangore & lamentis caſtra complebant. dolorem augebant Bleſenſes equites, Ludouici clientes, populareſq; qui in luctu & ſquallore Dominum pro Imperio oppetijſſe proclamabant. Is, Regia domo prognatus, vtrumq; genus, paternum ſcilicet atq; maternum, ab Regibus duxit. nam in paterna gente, Reges Daniæ nuſquam interciſa ſerie ſuos progenitores ciet. Stephanum Bleſenſem proauum habuit, Conradi Imperatoris filia genitum. Is, primo ſacro bello, in Syria Duce Bullione, militis iuxta, atq; Ducis muneribus, perdiu cum functus eſſet, quòd fortiſsimo,

cuiq;

cuiq; ad nominis immortalitatem apprimè glorioſum eſt, per ſummum decus, in acie vir maximè pius, cauſa Religionis in Palæſtina propè Ramulam oppetijt: vt ſuo ſanguine in CHRISTI cultu tuendo, effuſo, quod veræ pietatis eſt munus, peccatorum maculas elueret. Huius hæreditariam bellicæ mortis gloriam, Theobaldus frater, noſtri magnus propatruus, Bleſenſium Comes ſecutus, prima Ptolemaidis obſidione periculoſiſsima, cecidit: vt, iam Stephanum illum Bononiæ Comitem patruum mágnum, Angliæ Regem, poſt Henrici Regis auunculi mortem, in gentilibus ſuis, ad perpetuum Bleſenſis familię decus, habere poſsit. Maternum verò genus à Francis Regibus habuit. quippe qui Adela Ludouici VII. Francorum Regis filia genitus eſſet. ad hæc Philippi Regis amitinus: cum Philippus Aliza Bleſenſis amita, eadem ſenioris Theobaldi Campaniæ, & Briæ Comitis Palatini filia, natus eſſet. Balduino autem Imperatori Conſtantinopolitano, affinitate coniunctiſsimus; quando Mariam Ludouici ſororem, patruelem Henrico Largo, Campaniæ & Briæ Comite Palatino genitam, idem Balduinus vxorem duxiſſet. Sed, vbi à dolore paulùm reſederunt, primi, medij, vltimi, toto Exercitu luſtrato, luctum fletibus penè redintegrare, quando voce non poſſent; ſeq; mutuò conſolari: inter ſe reduces ſalutare, & quòd incolumes eſſent, gratari: atq; è veſtigio noſtris obuiam procedere, quoad in Mareſchalli conſpectum ſe darent. Villharduinus poſtremi agminis reliquijs deducendis ſedulò, atq; anxiè curabat: quòd Ioanniſſam Myſorum & Triballorum Regem pugnandi cauſa, ſi hoſtem offenderet, cum omnibus copijs, ad Adrianopolim veniſſe comperiſſet, ne quod maius detrimentum acciperetur; huic vni rei potiſsimùm proſpiciebat. Ioanniſſa, vbi ſpem ſe de hoſte debellando feſelliſſe vidit, noſtroſq; è veſtigio ad prælij aduerſi nuncium abſceſsiſſe cognouit; motis repentè caſtris, celeriter conſequi ſtatuit. qua de re noſtri mirandum in modum gaudere, Deoq; gratias agere, quod ſeſe hoſti importuniſsimo non obieciſſet: quandoquidem Francorum paucitas, in non dubium vitæ periculum veniſſet. Qui Aſia paulò antè ad noſtros Pamphilum ſe receperant, ſuppliciter Villharduinum orant, ſua opera vteretur, omnia ſeſe eius fidei permittere, omnia imperata tanto ſtudio, vt naturam vincere poſſe viderentur, facturos polliceri. Proinde omnes ſecum quò vellet, terrarum traheret. Villharduinus homines in tam ſecundæ voluntatis curſu, laudat: addit, eos probè cognoſcere, quo in ſtatu Francorum & Venetorum res eſſent. itaq; nouiſsimos in agmine, qui defatigatione milita-

militarium onerum penè enecti eſſent, ſubleuandos eſſe: propterea ſuadere, quod ipſorum bona gratia factum velit, ipſos refectos & pro tempore integros, in ſuorum de via feſſorum locum, poſtremo agmine tuendo, aſciſcere ſtatuiſſe, vt ſi opus facto erit, virtutis ſpecimen ſe dignum, in omnium oculis edant: ipſum è veſtigio ſuos aditurum, & hac militaris operis vice, homines periculorum, necdum præteritorum recordatione pauentes, recreaturum. Illi, ſe confidentiùs Villharduini dicto audientes fore profitentur. Itaq; nihil ille cunctatus, militum nouorum ſubſtitutionem admaturat, & eo libentiùs, quòd eos equites perbonos, & rei militaris peritos, honoratos etiam inprimis, & fideles noſſet. Ita inſtructi Calliopolim, Cherſoneſi Thraciæ vrbem ad Propontidem, Imperio fidam, quòd itinere continentis noctis, equi penè rupti eſſent, meridie ingrediuntur; vbi tabernacula ſtatuunt, ſeq; & equos ſatis duriter curant. Cæterum, quæ fors ſuppeditabat, his & quidem exiguis veſcuntur; ibi reliquum diem manſerunt. Ioanniſſa certiſsimis vſus exploratoribus, noſtros in equis, velocitate quanta maxima poteſt, diem continuum veſtigijs abeuntium inſecutus, quatuor paſſuum millibus à nobis tendit. Primis tenebris, qui in vrbem venerant, ad arma parati, ſub ſignis ſummo ſilentio exeunt. Villharduinus, vt Regis Myſorum ad ſe accurſus præſenſit, aciem ducit, vt pridie eius diei fecerat, & omnibus copijs, quò militum animos ex pauore & fuga receptos reficeret, Rhædeſtum vrbem contendit; tantumq; itineris nocte & inſequenti die continuatis obijt, & nullo detrimento accepto, eò incolumis perueniret. Rhædeſtus trium dierum itinere Conſtantinopoli procul, à Græcis habitata. Ea, cum in Venetorum quadrantem ceſsiſſet, opum affluentia, & mercium omni genere referta, per maris facilem aditum, & crebrum omnium gentium acceſſum, quòd portu eſſet commoda, maritima negotiatione clariſsima omnium vrbium Propontidis habebatur. Ita vrbem, nullo defenſore pro muris portiſq; conſiſtere auſo, ingrediuntur, tamen re, vt in malis, ſatis commoda, vrbis omnibus naturæ, artiſq; munimentis, niſi propugnatoribus, firme copia, etiam incolarum Grecorum, rebuſq; bello neceſſarijs abundantis, nullo negotio potiuntur. Sic virtus popularium animos deferuerat. Tum primùm noſtri, vti procul à periculo, reſpirare ac ſalutem ſperare ceperunt. In hac tamen fortuna pro incommodis, non ita abiecta & miſera, Villharduinus Campaniæ & Thraciæ Mareſchallus, qui pro omnibus excubaret, Senatuſq; Imperialis, qui ex clade cum Villharduino ad Rhædeſtum conuenerat, ſollicitiùs de Vrbe Con-

Conſtantinopolitana, quàm de ſua ipſorum ſalute angebatur. Itaq; prima luce de communi ſententia, certi homines in Vrbem paſsis velis, cum his ferè mandatis nauigant. quoniam Fato miſero ac funeſto Imperatoris, Vrbem perculſam ſuſpicarentur, Vrbanorum animos explorent, hortenturq́; ne ſeſe deſerant, ne've tranſuerſos agi patiantur; ſcirent Exercitum Dei benignitate, & ipſorum virtute incolumem Rhædeſti ab illis ſtare: propterea decernant, vtrum ius & fidem, an fortunam ſequi malint. Hanc, ſi optarint (quod Dij omen auertant) ſe ſibi conſulturos; ſin in fide conſtent, ſe poſtmodùm fatales ad ciuium ſalutem concurſuros, & in puncto temporis adfuturos. Balduinum Imperatorem (vt ſunt belli euentus) Cumanorum equitatu circumuentum, fortiter pugnando captum, in Myſiam ad Ioanniſſam in ſeruitutem trahi: Bleſenſi, cęteriſq́; Baronibus, eodem prælio, vbi loci ſingulariter optabant, exitum contigiſſe. nec enim mortem Equiti poſt bellicam, ſecundam honori vllam eſſe poſſe. Quo verò die nuncij ex Rhædeſto Conſtantinopolim appulerunt, quinque onerarias ingentes naues, viris armiſq́; & reliquis rebus, quæ ad bellum vſui forent onuſtas, Deuotis equitibus, itemq́; Centurionibus, qui partim equo, partim pedibus mererent, compluribus etiam Venetis, qui vrbe mercibus & rebus precioſis penitus exinanita, ijſdemq́; in naues impoſitis, ad ſuos remearent, plenas & refertas, in portu offenderunt. In quinque nauibus, armatorum ad ſeptem millia numerus portabatur. Eodem Guilielmus Bethunius Aduocatus, Balduinus Aubeniacus, Ioannes Virſinus origine Bleſenſis, Ludouici Comitis cliens, atq; alij ferè ad centum numero; quos nominibus tacitis, in gratiam ſuorum gentilium, fugam inhoneſtam lucrifacere ſinamus. Petrus Capuanus Cardinalis, Innocentij Pontificis Max. in Græcia Legatus, Conon Bethunius Prothoueſtiarius Imperij, & Milo Brabantius Priuinus Pocillator, honorarij Imperatoris miniſtri, quos ſuperiùs à Balduino Græcorum aulicis miniſterijs præfectos fuiſſe memorauimus, qui Vrbem præſidio tutabantur, vnà etiam complures magni nominis viri, in tanto rerum diſcrimine portum petunt, ac non prece modò, ſed etiam obſecratione magnam lamentorum vim & lachrymarum effundentes, perfugas per Deum immortalem orant, Reipub. Chriſtianæ vt miſereſcerent, vſuramq́; temporis ſe tantulam petere, dum ſanguine Barbarorum, mortuos in bello expiarent, dum eorundem capitibus CHRISTI Sepulchro, cuius recuperationem vnicè moliebantur, parentarent; pro ſua tandem pietate, ſanctis Baronum manibus, ſuorum patro-

norum qui pro Imperio fortiter occnbuiſſent, pij clientes iuſta perſoluant: neu deniq; Cruciatos milites, Religioni propugnandę deuotos, auibus eſcam aut feris relinquant; nec, dum ipſi de Sepulchro CHRISTI omnium noſtrorum ſoteris in alieno ſolo, fortiter dimicant, ſuum etiam humi extorres miſerè amittant. proinde maneant, ſecumq; communibus auſpicijs pium bellum gerant. Cæterum homines inexorabiles, vti erant fluctuoſo, atq; præcipiti ingenio viri, contempta pietate, contempto Diuino numine, deſperatis rebus, anchoras incidunt, portuq; in altum prouehentes, ventis ſeſe permittunt. Sed Deus impietatis vindex, precibus vocatus confeſtim adfuit. Ecce namq; imbribus, nimbis, turbinibus, procellis, cæteriſq; tempeſtatibus abrepti, fluitantes in alto poſtridie eius diei, quo die noſtri ab hoſtili cæde reduces Rhædeſtum euaſerant, in Rhædeſtinorum portum retorquentur. Ibi Villharduinus, ac Dandulus ſummæ authoritatis Princeps, nihil Clericorum, & Baronum Conſtantinopolitanorum precibus, aduerſus hos pelagi emenſores concedentes, idem omnes precari: qui Mareſchallo aderant, aut eum ſtipabant, ad pietatem excitare, monere, hortari, orare non deſiſtebant: aliquid pietati dandum eſſe, quæ vna omnium virtutes complecteretur, dicere: nullum verò poſthac tempus fore, quo ſua vſquam manſio gratior eſſet & clarior. illi, ſe conſideraturos reſpondenr, & quæ videbuntur, poſtero die Dandulo & Villharduino renunciaturos. Verùm inſequenti nocte, Petrus Froeuillanus Eques, & idem Bleſenſis Comitis olim cliens, homo cæteroquin quantiuis pretij, clam nocte ſeſe ſubduxit, equo atq; armis pro derelicto habitis, in nauem Ioannis Virſini, eiuſdem Bleſenſis popularis ſeſe abdidit, & flagitioſè exceſsit. qui poſtridie reſponſum rogatis Villharduini, Duciſq; Veneti ſe daturos dixerant, homines nulla conſtantia promiſsi, & fide, mari tempeſtiuo, vt diluxit, Duce Veneto & Mareſchallo inſalutatis, vela faciunt: ſuoſq; conturmales & conſanguineos, improbitatis atq; perfidię notati, turpiter deſerunt. Sic fides violata, magno dedecore homines onerat. Illi Exercitum quidem ex animi ſententia declinant, ſed ignominiam ac ſermones hominum, quacunq; nauigant, declinare non poſſunt, maximè omnium Froeuillanus. Itaq; hoc verè dicunt, fato eſſe inexpiabili, qui metu vitæ amittendæ, perpetuum probrum admitteret. Is certè, honori nuncium remiſiſſe omnibus videtur, qui mortem dedecori anteponit. Quis enim eſt, qui modò ſenſum aliquem, non dico ciuilem, aut Martium, ſed humanum habeat, qui non illa in ore populi ſer-

mones & probra fugiat. Hui commilitonem reliquit; hui, commilitonis, Imperatoris, & ſignorum deſertor, & præſidij deceſſor. At hos mittamus. De Henrico Balduini Imperatoris fratre agendum. Is, Atramyttio, ex Æolide, vbi fratris Legatus bellum, vt ſuprà diximus, in Aſia cum Theodoro Laſchare Pſeudoimperatore adminiſtrabat, quòd Imperij commodo poſſet relicto, vt ſe fratri adderet, & ſubſidio veniret (nondum enim de Fatali claude audierat) Adrianopolim verſus, equitum agmen agebat, cum ſequentibus Armenijs peditibus, auxiliaribus, ad viginti millia, qui ei contra Laſcharim in Aſia opem tulerant. Sed quòd Henrici diſceſſu, ob Laſcharanorum metum in ſuis ſedibus conſiſtere non auderent, ſecum Propontidem traiecerant. In itinere, Græci qui prælio effugerant, nunciant fratrem Imperatorem Balduinum à Scythis victum & captum; Comitem Bleſenſem, ac Barones, ad vnum omnes, cæſos. Paulò poſt, ijſdem de rebus certior fit ab his, qui Rhædeſtum ex hoſte ſe receperant. Illi hortabantur, vt omnibus rebus poſtpoſitis, iter quamprimùm admaturet. Eo nuncio accepto Henricus, etſi animo grauiter conſternaretur, compreſſo tamen dolore, multis de cauſis cęptum iter approperare conſtituit. Porrò profectionem in equis acceleranti, neceſſariò Armenij pedites ponè relinquendi erant, qui vxores, liberoſq;, veriùs belli impedimenta, quàm adiumenta, carris cum veherent, equitatum conſequi non poterant. Cum verò Henricus multos popularium motus perſentiſceret, ſic tutò viam inituros rebatur, ne eis neceſsè eſſet equitatu tegi. Proinde quod tutum atq; vtile videretur, ſeorſum ad vicum Cuperium, nullis obſeptum muris, ſed incolarum frequentia munitum, Cortacoplam Caſalem Græci dicunt, tabernacula ſtatuit. Eo ipſo die, caſu potius quàm conſilio, Anſelmus Cordius eundem in locum conuenit. vnà etiam Villharduinus iunior, Villharduini Thracię & Campaniæ Mareſchalli nepos, antè à Patruo Macram vrbem, & Traianopolim, ac in Abbatiam in agro Beroenſium dimiſſus, qui ager ei fruendus temporario beneficio conceſſus erat. Paulò poſt, eodem caſu, manus equitum Philippopolitanorum qui ab Raynerio Traiectenſi diſceſſerant, ſubſecuta eſt, (quam Henricus humaniter liberaliterq; ſuſcepit, vt aduerſus Cumanos ſibi certa parataq; præſidia eſſent.) Hæc acies centum Equitibus egregiè ſtrenuis, quingentis Centurionibus qui equo militarent, conſtabat. Ij præteritæ cladis ignari, Imperatori Balduino Adrianopolim, expeditis itineribus ſuppetias laturi proficiſcebantur. Per idem tempus, his pariter Balduini infortunium,

Exer-

Exercituſq́; internecio nunciatur. Ad eam auditionem, tantus repentè pauor omnibus inceſsit, vt nihil prius, quàm fugam Rhædeſtum cogitarent, atq́; in itinere Cuperium vicum, quem Cortacoplæ Caſalem diximus, ad hoſpitia contenderent, vbi Henricus cum ſua manu tabernacula conſtituerat. Ad eorum conſpectum, Henriciani celeriter ad arma conclamant, Græcos ad ſe rati adproperare. Ita mutuo quoq́; metu procul, vtriq́; vtroſq́; hoſtes credere. Sed cum propior acceſſus notitiam ipſorum inuicem feciſſet, læti ac geſtientes inter ſe ſalutare, & gratulari, atq́; vnà apud Cortacoplam noctem ducere. Poſtridie Rhædeſtum verſus iter faciunt, eoq́; veſpere perueniunt. vbi in Dandulum, in Villharduinum, ac cæteros, qui ſua ſe virtute ex hoſtis manibus eripuerant, bona fortuna incidunt. optatiſsimos quidem certè aduenîſſe, omnium præ gaudijs lachrymæ indicabant. præclarè fortuna cum Balduino egiſſet, ſi hæ tot lectiſsimorum equitum copiæ, in quibus Gallici equitatus flos cenſebatur, apud Adrianopolim in tempore conſtitiſſent. Imperator hoc ſubſidio fretus, non modò ſe ſuoſq́; non afflictaſſet, ſed damna quæ accepit, vel maiora hoſti dediſſet. Verùm, Imperij Fatum aliud tulit. Id, in ſolius Dei manu eſt, flectatur necne; in eiuſdem manu eſt, quem velit mentis, quem victoriæ compotem eſſe. Ita, poſterum diem ibi, itemq́; alterum ad vrbem ſuis rebus conſtituendis, ſumpſerunt. Eò tempore, Henricus vno omnium ore fratris loco Baliuus Imperij ſalutatur: qui dies, vt in tanta rerum aſperitate, & Imperij perturbatione, hilares omnibus illuxerunt. Baliuus porrò è Gallijs magiſtratus tranſlatitius eſt, Iuriſdictioni & militiæ in ſua nomo ſiue præfectura. Quòd autem Balduinus ad Ioanniſſam captiuus, Ternobum Hæmi vrbem perductus eſſet, nec certior nuncius author've eius mortis ad proceres adferretur, placuit concilio Henricum Baliuum Imperij Gallico more, velut Interregem, prodi. Aut hoc, Baronum atq́; Equitum de ſumma Balduini virtute iudicium, aut hæc animi ipſorum moderatio, ambitionem ingenuo quodam pudore tenuit: cum, in tanta Principum & Optimatum copia, ne vnus quidem aliquis Imperium ambierit. Nam Balduinum, vt omnibus chariſsimum, ita omnium conſenſu Imperio digniſsimum, tàm ſuperſtitioſa ſollicitudine, ac miſeria viuere cupiebant, vt viuere crederent; quanquam & Exercitum conciſum eſſe, & ipſum à Barbaro hoſte ab ipſa immanitate ingenerato captum ſcirent. Interea populares Græci, Armenios Henricum ſubſequi iuſſos, nec opinantes & impeditos ſub ſarcinis, coniuratione facta adorti, ſuo

in eos odio omnes ad vnum concidunt aut capiunt. paucis interiectis diebus, eodem Ioanniſſa Myſorum ac Tryballorum Rex immodicæ ſpei plenus, copioſiſsimum Exercitum conducit, cui facilè fuit non repugnantes vincere. Eoq́; oppida & caſtella capit, ac ciuitates ad deditionem perpulit. Cumani, quos eſſe Scythas antè diximus, rerum prouentu audaciores facti, Conſtantinopoli tenus excurſionibus omnia populati, omnes vicos ædificiaq́;, quo adire poterant, incendunt. Henricus Imperij Baliuus, Dandulus, Villharduinus, qui necdum Rhædeſto maritima vrbe deceſſerant, quam inter & Conſtantinopolim trium dierum iter intercedebat, concilium coeunt, cuius deliberatio hoc habuit. placere Venetum præſidium Rhædeſto cuſtodiendo collocari, quod id oppidum ad Propontidem ſitum, in rerum Imperij partitione Dandulo attributum eſſet; Rhædeſto enim conſeruato, facilem Vrbis Conſtantinopolis defenſionem fore. poſtero die, noſtri agmine quadrato Conſtantinopolim verſus, viam capeſſunt. Eò itinere Selymbriam vicinam vrbem perueniunt, vnde Conſtantinopolim bidui iter erat. Selymbria, inferioris Thraciæ maritima ciuitas ad Propontidem, loco edito in ſemicirculi formam conſtituta, olim, Selyos oppidum; cum veterum Thracum lingua, Bria vrbem ſonet, quaſi Sely ciuitas dicta, ſitus opportunitate, incolarum frequentia, & crebro vltro citroq́; commeantium nauium appulſu, opulentiſsima, triginta fermè paſſuum millibus Conſtantinopoli procul, mari verò, vnius diei paulò minus itinere abeſt. Oppidum igitur Henricus præſidio de ſuis copijs tranſcripto, firmat; quoniam id fratris Imperatoris vſu non modò proprietate eſſet; & oppidanos ad ſuſtinendum Scytharum impetum, defendendumq́; patriam magnifica concione in foro habita, confirmauit: continuò viam Conſtantinop olim pergunt, vbi hilariter ſimul & honorificè à Ciuibus, præſidiarijſq́; militibus accepti, vt quorum aduentus omnes metu ſoluiſſet. Cunctis enim Imperij oppidis, caſtellis, vicis, & ciuitatibus, præter Conſtantinopolim, Rhædeſtum, Selymbriam amiſsis, & in Ioanniſſæ ditionem redactis, Vrbi maximus pauor inciderat, adeò vt in ea propè deſperatis rebus tumultuaretur. Vltra autem Propontidem & Helleſpontum, in Phrygia, Æolide, Troade tantum Pægarum vrbs ad Propontidem, quam Cyzicum diximus à veteribus nominatam, in Imperatoris ditione tenebatur. Cætera omnia Bithiniæ & minoris Aſiæ oppida, Theodorus Laſcharis occuparat. Ea res Baronibus vehementer dolebat. Itaq́; de Baronum ſententia, Nubilonus Sueſsionum Epiſcopus, qui eximio rerum vſu, & ſpe-

& ſpectata facundia clariſsimus habebatur, Nicolaus Mayllius, Ioannes Bleſenſis, viri prudentes, efficaces, aſsidui, conſtantes eliguntur, qui in Italiam profecti, ab Innocentio III. Pontifice Max. à Francis, Flandris, ab amicis & fęderatis demum populis, opem cadenti Imperio, peterent. Interim Barones cum Exercitu in ſtatione & præſidio vrbis, quanquam ea res magni angoris eſſet, & curæ, manerent; ſed quod illos tanta ſpes Vrbis defendendæ teneret, quantus amittendæ metus ante cęperat, laborem ſibi libenter imperant. atq; ita, ad Penthecoſtem diem, qui eo anno in IIII. Kalend. Iunij incidit, conquieuerunt. Ad has tamen communes ærumnas, maximus malorum cumulus, Henrici Danduli Venetiarum Principis morte acceſsit, cuius conſilio Imperium Conſtantinopolitanum ſtetiſſe, & floruiſſe, ſi eo viuo ignotum inuidia voluit, mortuo ſanè quam cecidiſſe aperuit. ceſsit quidem è vita ſuo magis, vt qui ſenectutem propè emeritam haberet, quàm ſuorum tempore: alieniſsimo etiam Imperij tempore. Hunc Veneti honorificè elatum ſepulchro in Diuæ Sophiæ atrio condiderunt. Iidem pariter, & Galli luxere. Hæc Vilharduinus. at illa, quæ in omnium animis ac linguis palàm ſeri debent, tabulis publicis conſignata fideliter tranſcripſimus, optimum bellatorem fuiſſe, optimum Principem, idemq; optimum Imperatorem, corporis robur atq; animi prudentia, & conſilium, regenda Repub. virtuſq; claſſe CCC. amplius nauium numero gubernanda, perſpectum facilè oſtendit. Is, natus quatuor & octoginta annos, omnibus XL virum ſententijs, anno poſt CHRISTVM natum MCXCII. Kalend. Iunij Vrbis Principatum adeptus eſt; & XIII. annos Reip. quam maxima vigilantia & ſapientia præfuit. Rem nummariam ita conſtituit, vt commodorum Ciuitatis Venetę, reliquorumq; populorum ipſi cenſitorum rationem duceret, vt quid in nummis quiſq; haberet, æris & argenti flatorum nota meliore groſſos vocabant, certò ſciret, cum antea Venetijs monetæ vſus vel rarus, vel potius nullus eſſet. Captiones quoq; forenſes, quibus quaſi præſtigijs miſeri rei implicabantur, ſingulari facilitate reſoluit, & refellit; iuſq; adeò ipſum, antea durum & ſtrictum, vt interpretum leguleiorum, atq; librariorum cauillationibus eximeret, Collegio Examinatorum, vt vocant, inſtituto, æquius melius reddidit. quorum munere cum rerum cauſæ plurimarum, tum rerum publicarum, ac priuatarum fides, quæ teſtibus, tabulis, argumentis quæritur, præcipuè explicatur atq; expenditur; vnde vulgò nomen acceperunt. De criminibus quoq; è iuris formula, leges pulcherrimas de doctiſsimorum hominum conſilio

primus

primus edidit; ab præceſſore Aurio Maiſtropetro antea inchoatas, quibus ſontes plecterentur, & concepti ſceleris pœnas darent. ijs, poſtmodùm paucis adiectis, ad hanc diem vtimur. de cenſura morum, & quæ ad tranquillum Ciuium ſtatum pertinerent, cogitauit; & perfeciſſet, niſi bella interpellaſſent. In quibus ſibi ærumnoſus, ſuis autem Ciuibus fœlix fuit. Nam rei naualis ſcientia, quę in Veneta Rep. cęteris rebus omnibus gratia, & dignatione præſtat, quæq; Venetias per tot annos, in ampliſsimo maris Imperio collocauit, ipſam Rempub. beauit, atq; ad ſummum perduxit. Siquidem res maiorum virtute partas, non ſolùm incolumes ſeruauit, ſed multò meliores, atq; ampliores fecit. Teſtis eſt perlocuples quadrans, & ſeſquncia Imperij Conſtantinopolitani, quod ius in prædæ, manubiarumq; partitione, omnium voluntate qui viciſſent, Reipub. Venetæ attributum fuit: vnà & ipſi Dandulo, eiuſq; ſucceſſoribus Ducibus, Deſpotæ Imperij nomen. conceſſum etiam vt purpureos calceos indueret: quod Regium inſigne haberetur. Quę communia cum Balduino Imperatore, & Imperij Baliuo, ad extremum vitæ ſpiritum geſtauit, quadrantis, & ſeſquncię Imperij, Romaniæ titulo ſumpto; qui honor poſtea non tantùm Venetiarum Ducibus, ſed Prętoribus etiam Venetijs Conſtantinopolim à Repub. miſsis, qui in quadrante, & ſeſquncia Romani Imperij, Ducis vice ius dicerent, indultus fuit. Ea prærogatiua, Venetiarum Duces à Dandulo omnes, tituloq; Domini eius partis, ſexdecim ad Delphinum vſq; fine controuerſia, centum & vndecim annorum curriculo vſi ſunt. diem circiter Kal. Iunij obijt, Chriſtianæ ſalutis anno MCCV. & ad Sophię elatus, magnifico funere in Fani atrio, loculo è marmore ſublime ad parietem facto, conditur. Id ſepulchrum ad vſque patrum memoriam, marmoreis Diui Marci inſignibus, & Ducaria etiam infula exornatum, Mahomete II. Turcarum Imperatore, qui Conſtantinopolim cępit, atq; in Turcarum poteſtate redegit, Fanum Diuæ Sophię in Mahometanæ ſuperſtitionis vſum reficiente, demolitum fuit. thorace, galea, calcaribus, atq; ipſo demum ab inueterato multorum annorum ſitu longè conſpicuo Danduli enſe erutis. & ab Gentile Belino Ioannis fratre, eximio eius ſęculi pictore, qui apud Mahometem aliquot annis fuerat, in patriam reuertente, ad Dandulos Diui Lucæ Henrici Gentiles, Venetias poſtmodùm delatis. facie rufa Dandulus, & ſtatura procera fuiſſe traditur, glaucis oculis, quanquam eorum acies omnino hebeſceret, ſed tota corporis ſpecie ad dignitatem appoſita. ingens ſui deſiderium, Venętis, Gallis, bonis omnibus

nibus iuxta reliquit. Vixit annos nonaginta ſeptem, valetudine commoda, atq; inoffenſa. Moriens Henricus ſuperſtites filios reliquit Raynerium, & Fantinum, ambo in vita honoratiſsimos. Fantinum quidem aliquot poſt annos Patriarchatu Conſtantinopolis, morte Mauroceni vacuo; Raynerium Diui Marci Procuratione dignatos. Dandulo mortuo, Veneti qui Conſtantinopoli agebant, conſilium magiſtratus creandi, qui iuris Veneti vrbibus, atq; oppidis pręeſſet, communiter capiunt. Itaq; Marinum Zenum, hominem elegantia ingenij, & ſapientia inſignem, ſed ſupra cæteros Reipub. adminiſtrandę vſu ſpectatum, diu multumq; in opera Dandulo Principi nauanda verſatum, Prætorem eligunt; ea lege, vt quem poſthac Venetiarum Dux, Comitijs de more habitis, ſtato tempore, Vicarium eò legaſſet, ei vti iuſto Prætori cuncti parerent. Zenus ipſo Præturæ ingreſſu, eoſdem Magiſtratus ſibi habuit, quos pridem Dandulus in morem Venetum inſtituiſſet, Iudices ſex, Conſiliarios quatuor, Camerarios duos, & cum Coneſtabili, Aduocatores communes. Deſpotæ quoq; Imperij, Dominiq; Romaniæ nomen, in titulis habuit. Purpureos item calceos, Danduli more, induit. Idemq; inita Prætura, ſtatim de beneficijs, quæ Feuda vocant, legem tulit; quæ Dandulus Venetis antè fruenda in perpetuum Conſtantinopoli, atq; in Thracia, aſsignaſſet, ea cliens niſi homini Veneto, ne reſignaret, & alienaret: qui ſecus feciſſet, placere, eum quinque librarum auri mulctam publico dependere, ſimul & qui conditionem accepiſſet, iure Feudi cadere. Cæterum, Myſorum & Triballorum Rex Ioanniſſa, ad IV. Kalen. Iunij, circiter Penthecoſtes feſtos dies, re, quocunq; arma intulerat, ex animi ſententia geſta, vniuerſam ferè Prouinciam prædabundus, impunè percurrebat. Cum igitur Cumanos diutiùs in armis grauiſsima æſtate in Thraciæ campis tenere non poſſet, quin vaſis collectis, ob magnos ſolis feruores manipulatim vno tempore in patriam repedarent, in Bonifacium Theſſalonicen verſus, cum Myſis & Triballis in Macedoniam iter expedit, quem vnum ex omnibus Francis ſibi negotium faceſſere ſentiret. At Marchio Monferratenſis, noſtrorum in Adrianopolitanis conuallibus infęlicis pugnæ nuncio perculſus, vixdum ex dolore reſederat. adhæc hoſtis aduentu conterritus, re infecta ab Nauplio ſuas copias ex Peloponneſo, ſuperatis Thermopylarum anguſtijs, protinus Theſſalonicen reducit; & eam vrbem, multitudine militum, tanta quantam cogere potuit repentè munit. Eodem tempore, Henricus Imperij Balinus quàm maximis poteſt copijs, Græcos quod ſupra præſtitæ

fidei

ſidei ſacramentum efferatos animos ab Imperij ſtudio penitus auer-tiſſent, pleno gradu tota Thracia perſequi; atq; in terga Tzurulo tenus, vnde Conſtantinopolim iter eſt tridui, inſtare. Tzurulani Græciq; & vitæ & excidij metu, & ſua mobilitate impulſi, ſine cunctatione, ne præconis quidem voce audita, ſalutem fortunaſq; omnes, in Henrici poteſtatem ponere; confeſtimq; ſeſe in eius fide manſuros confirmare: tantumq; pęnam rebellium deprecantibus, Henricus pro ſua clementia, & manſuetudine ignouit, tametſi genus leuiſſimum, & ad motum fortunæ moueri ſolitum, difficilè Imperio fidem ſeruaturum intelligeret. Inde proximam Arcadiopolim adequitat. Eam propugnatoribus nudatam, ac deſertam offendit, quòd Græci, ſiue ſe vrbis defenſioni impares agnoſcerent, ſiue perterriti ne deditione pro ſuo maleficio præcisè negata, pęnas periurę rebellionis darent, ſpe ſalutis in fuga conſtituta, alius aliò, perfugerant, atq; euagati erant: ac deinceps Baliuus rectà Beroen Thraciæ vrbem mediterraneam, Græcorum defenſorum frequentia & munitione, præter cæteras adornatam, gradum infert. Ex quo ſupplicum deditio opinione omnium citior, libentibus animis accepta: quòd, is gradus, ad ſummam victoriæ factus eſſe videretur. Paucis poſt diebus, Neapolim maritimam Thracum ciuitatem accedit, Chriſtopolim vocant, oppidumq; ad deditionem voce præconis vocat. Id oppidum è Thracia, Macedoniam ingredientibus, primum obtingit, ea Thraciæ parte conſtitutum, quæ ad Strymonicum ſinum vergit, Conteſſæ vocant nautæ, Atho monti aduerſa. Neapolitani, quanquam ab equis & armis benè parati, Græcorum auxiliarium etiam maximo numero freti, cum noſtros tota mente, atq; omni animi impetu, capiendæ vrbi imminere viderent, magis adeò cupiditate prædæ quàm victoris gloria, nam apud Exercitum plerįq; clariores, quàm honeſtiores, quibuſq; præda, quàm palma potior eſſet; nihil enim penſi habebant, dum ditarentur, Henrici clementiam experiri, quàm militum rabiem periclitari maluerunt. Sed interim dum alia vrbis parte deditionis leges diſceptantur, noſtri alia vrbem clanculum eo aſtu inuadunt, vt Baliuum, atq; oppidanos, qui de deditione agebant, planè fefellerint. qua de re, cùm Henricus grauiter angi, cuius honor, Imperijq; adeò maieſtas ageretur; tùm verò ciues ius belli violatum, dolenter quæri; propterea Baliui Imperij fidem obteſtari. Franci, ipſo in vrbem ingreſſu, Græcos obuiam cædere, alios in ſeruitutem rapere, oppidum compilare atq; diripere. Cæſorum quidem magnus numerus, ſed captiuorum maior. Ita, Neapolis

Thracum,

Thracum, inſanæ credulitatis pęnas dedit. noſtri, ibi triduum commorantur. Græcis reliquis, & oppidi expugnatio, & ſtrages, tantum metum iniecit, vt omnibus Thraciæ oppidis & caſtellis deſertis, partim Adrianopolim, partim Didymoticum perfugerint, quòd ſe eorum locorum munitione, ſalutem tutari poſſe confiderent. Interea Rex Myſiæ Ioanniſſa, nihil oſcitans, in Bonifacium Monferratenſem in Macedoniam deſcendens, ad vrbem Serras, copias omnes ducit, militem hortatus, vt gradum adderet. Serræ, Macedoniæ ampliſsima ciuitas eſt, ad Thraciæ fines, Athenienſium quandoq; Colonia, Amphipolis ideò antiquis dicta, quòd Strymon amnis, ex Hæmo delapſus, vrbem circumfluat, & peninſulę forma oppidum amplectatur; à quo ſitu, vrbi poſtea nomen datum. In ea hodie, Otthomanorum Regum moneta, peculiari inter cæteras officinæ ſede, cuditur. Eius oppidi tutelæ Bonifacius Marchio præſidium validiſsimum, de ſuorum numeris delectum dediderat, eiq; Hugonem Agrippinenſis Colonię magni animi, magniq; nominis Ducem, vnà & Guilielmum Arelatenſem ipſius Mareſchallum, de ſuis manipularibus præfecerat. Ioanniſſa igitur celeriter Serras profectus, omnibus copijs vrbem circundedit; mox commiſſo prælio, & multorum ſtrage edita, nequaquam ſuſtinentibus noſtris, ſuburbium vi capit. Colonienſis, cum ſuis propugnans, vulnere medio oculo accepto, cadit. eius morte, qui fortiſsimus Dux, fortiſsimuſq; bellator omnium opinione habebatur, tantus pauor Exercitui inceſsit, quum pluribus in locis pugna ederetur, & quòd maximè terrebat, ſagittarum procellis vndiq; ſternerentur, vt iam acies fluctuaret, compulſiq; in oppidum cùm ſe nihildum à metu collegiſſent, quæ in illo veſtigio temporis reliqua ſalus erat, conſilij ancipites in arcem ſe recipiunt. Eò Rex vrbe capta, machinas celeriter admouet. qua re, noſtri inſueti obſidionis, magiſq; hoſtem laceſſere, quàm bellum defendere aſſueti, conturbantur. nec enim arcis ſitum planè oculis colluſtrarant, & commeatus qui vix biduo ſufficeret, ex penu atq; horreis renunciatus, magnum pauorem iniecerat. quare non ita poſt de deditione proloquuntur, quem animi languorem atq; imbecillitatem, tota nobilitas illis exprobrauit. Rex Ioanniſſa has deditionis leges dixit. Si Franci arce decederent, illis ad ſuos ſaluis rebus, incolumiq; præſidio, tutum iter fore. reditus gratia X X V. Proceres quos præcipuo honore haberet, iuratos comites qui eos cum armis, & equis dirigerent & cuſtodirent, adhibere: pollicitus illis neq; equos, neq; arma adimere; deniq; aut Theſſalonicem, aut Conſtantinopolim, aut in

Digitized by Google

Hungariam, aut quò potiſsimùm horum locorum adire mallent, eò tutos dimittere. Rex fide data, equites ad ſe ſalutatum introductos, placidè reſalutat, tabernaculo in proximo poſito regificè accipit. Ita muneribus prolixè donati, triduo manſere. mox, cum comitibus ſe in viam dederunt. Sed Myſus, vt ea natio inhumana eſt & infida, ſuis equitibus imperat, vt noſtros in via deprehendant, miſeros, ſpoliatoſq; rebus omnibus, expilatos, nudos, & excalciatos pedibus, qui diuturnitate belli defatigati languerent, vixq; corpus in corpore haberent, ſuperatis Hęmi iugis, in interiorem Myſiam producant, quò laſsitudine de via enecarentur. at virtute & robore qui valerent, qui peregrinationis patientes eſſent, eorum ceruicibus capita abſcinderent, vt accumulata feritate, procul Exercitu ipſius perfidia contegeretur. Ita Rex fędifragus, contra ius gentium ac fas, in noſtros iurata pactione deditos, & ad terram arma proijcientes, atrociſsima cæde graſſatur, & crudeliter excruciatos perdit. Eò euentu, vt ingens hominum multitudo mortem ſuppliciter deprecantium, paucorum dierum ſpatio crudeliſsimè fuerit trucidata. Itaq; noſtri incommodum, quod omnium bellorum detrimenta anteceſsiſſet, acceperunt. Rex è veſtigio, in Bonifacium capitali odio incitatus, Serrarum vrbe cum arce complanata, itineribus diurnis & nocturnis quàm maximis poteſt, nihil eum retardantibus fluuijs, in vnum illum inuolat. Sub idem tempus, Henricus Imperij Baliuus ad Adrianopolim caſtrametatum proficiſcitur, eamq; vrbem celeriter vallo & foſſa circundat. Sed obſidionem plenam periculi videt. nam pro muris, atq; de muro qui propugnarent, Græci Scythæq; innumerabiles ob oculos ſtabant: deinde noſtros crebris ex vrbe eruptionibus, in tantas anguſtias vrgebant, vt nuſquam per Adrianopolitanum agrum ad prædam diſcurrerent. cum alij caſtris vltra Baliuum factis, commeatu, qui ſupportari poterat, noſtros facilè intercluderent. His difficultatibus impediti, ne frumentatum quidem, niſi coacta manu, adire poterant. capiunt conſilium exeundi caſtris, vt alios pro vallo, & foſſa ſtatuant; aliorum aciem dirigant, quæ obſeſſos omni vi premeret; alios armis, ſcalis, machiniſq; omnium generum faciendis adſcribant. Sic, ab omnibus rebus expugnationi neceſſarijs, parati & inſtructi, vrbem aggrediuntur. Sed neq; virtute, neq; ingenio, atq; arte, vrbe admodùm quam munitam, capere potuerunt. quin potius (ita paruo momenro magnæ rerum inclinationes fiunt) obſeſſores ipſos obſideri videres, deinde fortiſsimus quiſq; grauiter ſauciatus. hæc incommoda incommodiora Petri Braiaquelli lapide in ad-

aduerſam frontem baliſta miſſo icti, lethale vulnus reddebat, quòd eò luctuoſius fuit, quò is vulgò equitum, maiorem virtutis opinionem haberet: ſed è conflictu elatum, & lectica in tabernaculum deuectum, medicus curauit. quum magnus Deus Francorum precibus vocatus, ſuſceptis votis, pro Braiaquelli ſalute, præſens adesſet. Baliuus obſidione parum procedente, immò re deſperata, ſe cum Exercitu, multis detrimentis à ciuibus atq; Græcis, in nouiſſimum agmen inſtantibus acceptis, Pamphilum, tanquam in portum recipit. Ibi ſtatiua caſtra duos menſes habuerunt, interdum populabundi circumiectas Thaciæ regiones Didymoticum verſus, atq; aliorſum vagari. Ciuitatum agros, niſi qui fructuum & frugum vbertate inuitarent, circumeundo magis quàm obeundo, magna prædarum copia ſeſe explebant: eo tempore hybernorum ſpeciem, qui more militari, appetente hyeme, ingruebant, Pamphili agitantes. ad quam vrbem etiam merces commeatuſq; proxima Rhędeſto, ac maritimis Propontidis ciuitatibus vicinis, largè inuehebantur. Sed tantiſper Baliuo Imperij omiſſo, quod ſeries hiſtoriæ poſtulat, ad res Venetas veniamus. Raynerio Dandulo in Patris Henrici Venetiarum Ducis Principatu vicario, nondum de illius morte nuncio in vrbem delato, Rogerius Maurocenus vſufructuarius Apſorenſis Comes (qui comitatus in altera Abſyrtidum Flanatici ſinus inſula ad maritimam Liburniæ oram, Oſſarum vulgò dicunt, ſicuti Arbenſis in Illyrio, & nonnulli alij, hodie iuris eſt annui, eius qui Reipub. videtur) Rogerius Permarenus, Benedictus Grilionus, Paulus Quirinus Senatores primarij, à Repub. Conſtantinopolim leguntur, cum ipſius Raynerij litteris, & his mandatis nominatim, Reipub. nomine Balduino Imperium gratularentur, quem nondum in prælio à Cumanis captiuum factum intellexerant, idq; Rempub. ex animo gaudere teſtarentur. Itemq; Senatum Venetum actorum Danduli Patris, in Vrbe Conſtantinopoli, & quadrante Imperij authorem profiterentur, deq; his tabulas publicas confici curarent, & confectas in ærarium referri. Sed & hæc vniuerſim, quæ commodo Reip. fierent, mandata habebant. IVviri Legati in Vrbe Conſtantinopoli honorificè accepti, de Balduini captiuitate, de Henrici Danduli Venetiarum Ducis morte, cognoſcunt. Zenum quoq; concilio publico Venetorum omnium, qui Conſtantinopoli fuiſſent, Prætorem & adminiſtratorem quadrantis, & ſeſquunciç Imperij lectum. Ea de cauſa Zenus, vt erat præſtanti ingenio, atq; vſu rerum ſingulari Senator, concilium cogit. In eo, Legati poſtulant, vt

beneficia, ſiue feuda, quæ Dux Dandulus in vita de quadrante, & ſeſquuncia Imperij tùm in vrbe, tùm in Thracia, Macedonia, aut Epiro cuiq; attribuiſſet, quæq; poſthac alij pro iure attribuerent, nulli à poſſeſſore, niſi Veneto homini alienari poſſent. Zenus Prætor de concilij ſententia, Legatorum poſtulationes dignas videri, de quibus tabulæ conficerent, & in ærarium referrentur, pronunciauit; moxq; muneribus donatos, attributo commeatu & nauigijs, quibus Venetias tranſportarentur, domum dimiſit. Dum hæc agerentur, Patres Venetijs de Danduli morte certiores facti, XIII. Kalen. Auguſti, nuncius enim actuaria naue Venetias celeriter aduectus erat, Petrum Zianum, Sebaſtiani Principis filium, vſufructuarium Arbæ Comitem, quæ Scardona Illyrij inſula antiquis fuit, & eo tempore Conſiliarium, cui multum recens Sebaſtiani Ziani clariſsimi patris memoria ſuffragabatur, omnibus X L virûm ſuffragijs, Nonis Auguſti Ducem declaratum excipiunt. Is è veſtigio vt Veneti annales tradunt, non domum ſuam, ſed palatium ad Diui Marci Ædem pertinens, populi coactu migrat; Vir egregiè probus, atq; idem æquus, & cùm morum ſuauitate, liberalitate, ac munificentia, tùm verò ſumma in Deum pietate, Patribus, & Ciuibus iuxta gratioſiſsimus. Sed ad Ioannem Regem Myſiæ regrediamur. cui, vt modò poſui, Serræ deditæ, eiuſdem iuſſu cum arce funditùs deletæ ſunt, omnibus paulò poſt contra fidem dedititijs ad vnum necatis. Is ſecundarum rerum ſucceſsibus audacior factus, extemplò Macedoniam ingreſſus, Theſſalonicem prouinciæ Metropolim adequitat. ad vrbem, atq; in Theſſalonicenſium agro, complures dies commoratur. Bonifacius Monferratenſis Theſſaliæ Rex, opinione grauius, Balduini ſui, & Imperatoris, & Patroni calamitatem, Theſſalonicæ lugebat; mœrebat etiam Barones, qui funeſto illo prælio fœdè perierant. dolorem cumulabat Serrarum deditio, ac ſuorum equitum, per ſummam Regis perfidiam, interitus acerbiſsimus. Myſus, equis excurrendo feſſis, & fractis, cum Bonifacium opprimere non poſſet, cui vni ex omnibus infeſtiſsimus erat, & inimicior quàm Balduino, progredi deſtitit; & mutato conſilio, per Hæmi rupes in Regnum redijt. De Philippopoli autem paucis dicendum. Philippopolis ad Hebrum, quem Marizam dicunt, Thraciæ ciuitas, ſub Rhodope, partim in collibus, partim in planitie ſita; oppidum antea, mox à Philippo, qui poſt Gordianum imperauit, condita, Philippopolis appellata eſt; à quibuſdam Trimontium, ob ſitum, quòd tribus quaſi montibus cingatur, dicta eſt; Conſtantinopoli nouem dierum itinere abeſt, omnium

nium

nium Thraciæ vrbium clariſsima, & munitiſsima. Hæc ciuitas per ſe infida, apertè cum Raynerio Traiectenſi domino ſuo, Imperij beneficiario bellum gerere cepit. nam paulò antè Balduinus Imperator, Philippopolim, cum agro ac reliquo ciuitatis cenſu, Traiectenſi de Imperio benemerito, atq; etiamnum benemerenti, iure feudi (vt vocant) tribuerat, quod beneficium in ærarium Imperiale relatum eſſet. Itaq; ciuitas Balduini caſum, Bleſenſis, Baronumq; interitum ac Francorum ſtragem quàm maximam, Serras expugnatas atq; euerſas, cum fama accepiſſet; ſciret etiam Traiectenſem patronum à ſuis neceſſarijs & cognatis, atq; adeò ab Raynerio filio, ac nepote, vel per indignationem, parentis iniuſtitia, ortam, vel rerum deſperationem, de hoſtis florente Fortuna præſumptam, vt deſertum nomen Francicum, ſic omnino extinctum eſſe putauit; atq; ita ſtirpitùs eradicatum, vt non modò poſthac fruticari, ſed ne efflorеſcere quidem poſſet. Infelicium igitur fortunam inſectata, ad Myſi potentiam, atq; opes maximas deuolauit, ſeq; ei dedidit: ac, ne ſine munuſculo ad Regem perfugeret, Traiectenſis domini proditionem apportat: pollicita, ſi Philippopolis muro adequitaret, ſi armatum ſe tantum ad vrbem oſtenderet, clàm, palam've in vrbem introducere. hoc clandeſtinum cum hoſte colloquium vt Traiectenſis reſciuit, hoc vnum præcipuè extimuit, ne ciues ſe Regi viuum traderent. Itaq; diffiſus ſe tueri poſſe, quod valde cuperet, ſuas copiolas colligit, ſuburbio quà præteriret, vbi Philippopolitis, qui ciuitatem Ioanniſſæ vltro dediderant hoſpitia facta erant inceníо, diei itinere continuo Stenimacum caſtellum petit, quod Philippopoli ſex millium interuallo abeſſet. Stenimacum Thraciæ oppidum eſt, in Philippopolitana Strategia, ad Rhodopen ſub radices montis ſitum, cum arce, prærupto in colle qui vrbi incumbit. Conſtantinopoli oppidum nouem dierum itinere abeſt, hodie Turcis maiori ex parte dirutum, Stamacum appellatur. Oppidum id popularium multitudine, ſed qui non magnum rei militaris vſum haberent, ſatis pro tempore refertum; at frumenti, commeatuſq; ita inops, vt ex omni copia, ne diarium quidem ſuis poſſet ſuppeditare. Eò, ſe cum ſua manu abdit, vitamq; ibi tredecim menſes, parcè ac duriter traxit. nam rerum inopia, eò hominem adegerat, vt ei neceſsè eſſet carnibus equinis victitare. hoc etiam Traiectenſem incommodè habebat, quòd cum inter Stenimacum & Conſtantinopolim nouem dierum via intereſſet, rari vltro citroq; internuncij mitterentur. Rex Myſiæ à ciuibus facile perſuaſus, è veſtigio Philippopolim Exercitum dirigit, tormenta muralia

mœnibus

mœnibus admoturus, ni protinus ſe dederint, & vrbem obſidione cincturus, ni ad eius conſpectum (quòd Rex fidem & iuſiurandum dediſſet, omnes ad ſe æquo iure habitos iri) protinus deditionem faciant. At verò, poſtquam Myſus in manu habuit, conſueta perfidia vſus, in Græcos ſæuit: vulgus omne ferro de medio tollit, idq́; in vrbis Archiepiſcopi oculis; honeſtiores, excruciatos necat: partim viuis cutis detracta eſt, partim caput ceruicibus demeſſum: reliqui in catenas coniecti, & his conſtricti raptabantur. mox vrbem diruit, domibus, palatijs, omniq́; ædificiorum genère formoſiſsimam, non modò deformat, ſed muris, turribus, arce deiectis atq́; euerſis, ſolo adæquat. Ita Philippopolim tertias pulchritudinis ciuilis, ingenij, ac dignitatis virûm omnium Imperij vrbium modò ſibi vindicantem, tanquam cadauer, non ſine lachrymis proiectum videres. Sed Henricus Imperij Baliuus, qui extremum Autumnum Pamphili egerat, quæ vrbs ad mediterranea Thraciæ, inter maritimam Rhædeſtum & Didymoticum caſtellum conſtituta eſt, ineunte hyeme, quo tempore miles conquieſcit, cum ſuis intimis, de Ruſio, quæ Topiris olim fuit, conſilium capit: vtrum præſidium eius tutelæ, quòd ciuitas inter Strymonem & Neſſum media, agri vbertate nulli cederet, & is locus Thraciæ vmbilicus eſſet, ad bellum gerendum peropportunus imponendum cenſerent, necne: omnium conſilium fuit, Vrbem rebus omnibus munire. decretum itaq́; præſidium centum quadraginta equitum, complurium Centurionum in equis, cui Theodoricus Loſius Imperij Seneſchallus, vnà & Theodoricus Teneromondanus Imperij Coneſtabilis, præeſſent. quos Imperij magiſtratus præſidiarios & militares, Balduino Imperatore declarato, iuxta patrium Galliarum ritum, vbi ſine diſcrimine hoc magiſtratu funguntur viri militares & togati, ex Baronibus creauerant, eoſq́; patrijs nominibus vocabant. Eò confeſtim Henricus Baliuus Imperij, centum & quadraginta equites, magnumq́; numerum Centurionum, in equis mittit. iuſſos, quod Imperij commodo facere poſſent, quàm latiſsimè vagari: Græcoſq́; & colonos armis laceſſere, & quocunq́; adirent offendere, quiduis facere, dum aliqua hoſti incommodarent. Ipſe, Beroen ad reliquias Exercitus proficiſcitur. ibi, centum & viginti equitum turmam, & magnum Centurionum numerum, qui equo mererent, collocat: inde Arcadiopolim milite Veneto munit. inde Neapolim Thraciç, Theodorum Branam Grçcum Equitem tutatum allegat. is Branas, Agnetem ſororem Regis Franciç vxorem duxerat. ideoq́; vnus ex omnibus cum Francis ſemper ſentiebat, cum cæteri
Græci

Grȩci rerum Francicarum euentum ſpeculantes fide vacillarent, aut nos odiſſent. huic vni Grȩcorum, quos vulgò fortunæ quàm fidei, religionis quàm veritatis ſequaciores Franci ſemper ſenſerant, maximum rerum ſuarum fidem habere, quòd eum pietas erga patrem, cuius iniuriam vlciſci miſerè cuperet, & illuſtris affinitas cum Franciæ Domo, vt Græcis inimiciſſimum, ita Latinis, ſiue ſua ſponte, ſiue quòd eos ſolos pietatis vindices videret, amiciſſimum faciebant, cum per eos ſolos, pietatis laudem, ac fructum capere ſperaret. In recenti enim memoria habebat, Alexium Branam patrem Equitem maximè generoſum, & vetere obſequio, inſigni ſtudio, atq; affinitate, cum Angelis Conſtantinopolitanis Imperatoribus inclytum, ab Iſaacio Auguſto Imperarore, viuum indignis modis habitum, & mortui caput ad ludibrium omnium, ſceleratamq; contrectationem, in mediam aulam prolatum: atq; eodem, ad ſpectaculum, matrem captiuam, fȩminam primariam, ac pudicitiȩ quàm generis laude nobiliorem, vocatam. ita, quanto odio Grȩcos, tanta fide, & beneuolentia Latinos complectebatur. Solus igitur Branas Francicæ dignitatis fautor, & adiutor Neapolitanis præficitur. Arcadiopolitæ, & Neapolitæ, ſiue Ducis Branæ ſingulari amore, ſiue natura in Francum procliuiores, ſuo ſumptu continens bellum cum Græcis gerebant, ex quo finitimorum graues inimicitias ſibi crearant. Baliuus rebus commodè, vt in incommodis, inſtitutis, Byzantium cum ſua manu redit. Vt igitur Henricus Imperij Baliuus Beroe ad hyberna Conſtantinopolim, menſe Octobri redijt, ab eo Zenus Prætor poſtulauit, veteres pactiones à nobis antè memoratas, quas Dandulus Princeps cum Balduino recens creato Imperatore, de quadrante, & ſeſquncia rerum Imperij fecerat, per arbitros diuiſionis Imperij datos à Balduino, Flandriæ & Hannoniæ Comite, qui paulò poſt Imperator delectus eſt, & eodem ipſo Dandulo Venetiarum Principe à Bonifacio Monferratenſe, à Baronibus, ac reliquis Votiuis militibus, ideſt Peregrinis, qui communibus armis Conſtantinopolitanum Imperium acquiſiuerant, & à Balduino Imperatore iam declarato confirmatas, vt iureiurando renouet. Præterea, illa pacta concilio publico prioribus addita, Henricus Baliuus Imperij Zeno Prætori Veneto priſtinis quidem legibus adiudicauit, quas à nobis ex eodem tabulario Veneto, Laurentij Maſſæ, viri doctiſsimi, eiuſdem Reipub. à ſecretis, opera exprompta, non abs re viſum eſt, hoc quoq; loco referre. Hæ, in huiuſmodi ferè verba conceptȩ. Imperatori, Regni aut ampliandi, aut tuendi cauſa, in expeditionem

nem

nem proficiſcenti, milites Imperij, ideſt Vaſalli vulgò dicti, ex Kal. Iunij, ad III. Kalend. Octobris (is dies Diuo Michaeli feſtus eſt) ſuo ſumptu & ſtipendio militanto. Milites Imperij Franci, Veneti've, priuilegiarij, qui hoſtem Imperij finitimum habebunt, dimidium eius temporis ſuo ſumptu, & ſtipendio nauanto. Illi ijdem, ſi vicini hoſtis incurſionibus, & repentinis, ac quotidianis iniurijs vexentur, ac infeſtentur, eius temporis vacationem habento. Hoſte cum Exercitu Imperij terras deperditum, aut populatum ingreſſo, milites Imperij, ſiue Clientes, præter legitimos dies & pactos, quantum temporis concilio publico videbitur, Imperatori, ſuo ſumptu militanto. his ſeruitijs, oneribus, & operis, Vaſalli, & Clientes Imperij, Veneti've priuilegiarij, Franci've, dum poſſeſsiones, & feuda in Imperio habebunt, alligantor & tuentor. Imperator cęteros ſumptus pro Imperij ampliatione, aut defenſione, de Imperij fructu, ac cenſu facito. Idem, concilio publico de Imperij tuitione dicto audiens eſto. de Imperatore militibuſq; Francis, ac Venetis, his legibus minus obtemperantibus, Venetorum & Francorum, iudicum eius rei ergò ſelectorum, animaduerſio eſto. Imperator, nihil contra leges ac iura agito. Siquid commiſſum, eorundem ſelectorum iudicium eſto. Quando verò militiæ onera grauia ſunt, eo nomine feuda (quæ nihil aliud ſunt, niſi beneficia bellica) vt ſingulis clientibus tributa, quorum fructibus ſe ipſi in armis ſuſtineant, ita Auguſto cum Imperatoris appellatione, totius Thraciæ quadrans adiudicatus eſto. Actorum Henrici Baliui, Danduli Ducis, & eius VI. Conſiliariorum, Baronum, Marchionis quoq; Bonifacij, & eius Conſiliariorum, ſi quę pactiones informandæ ſunt, addendo, adimendo've cognitio eſto. Hæc Henrico Imperij Baliuo, & Marino Zeno Prætore in Blachernij palatij aula agentibus teſtes, hinc quidem rogati, Ioannes Faletrus, Ioannes Maurocenus, Marcus Dandulus, Ioannes Balaſtrus, Marinus Valareſſus, Andreas Molinus magiſtratus Veneti, à Baliuo autem Gotthofredus Villharduinus Romanię & Campanię Mareſchallus, Conon Bethunius, quem ſuperiùs Imperij Prothoueſtiarium diximus, Petrus Brachiolus, Manaſſes Inſulanus, maior honorarius Coquus, Macharius Sanmanechaus Panetarius, Milo Priuinus Pocillator, Equites, omnes honorarij Imperatoris miniſtri. At Rex Ioanniſſa, nihil oblitus quod ſuæ incolumitati, ac dignitati conducere arbitraretur, idem valde à pecunia, & ſuo milite paratus, quòd omnem ferè Thraciam rapaciſsimè diripuiſſet, Cumanorum, quos Scytharum genus diximus, innumerabilem multitudinem trans Iſtrum, ſpe

ſtipendij inuitat. Iis Hæmo appropinquantibus, Myſos diſpartitis muneribus adiungit, eo conſilio, vt Tranſalpina regione ſuperata, in hoſtilem agrum irrumpant, & latè prædatis finibus, ferroq́; & incendio cuncta abſumant. Igitur, tertia poſt Natalem CHRISTI Domini hebdomade, communicatis viribus, hyeme iam præcipitante, Thraciam populatum dimittit, ſed præcipuè Adrianopoli atq; Didymotico opem latum, quòd in ſua fide & tutela eſſent. Cumanis & Valachis in vnum coactis, atq́; multitudine in dies creſcente, ſpecie tanti Exercitus, animi quoq́; Regijs creuerunt. ea fiducia, in Francorum caſtella, inexhauſta auiditate adequitare, atq́; incurſare. Theodoricus Teneromondanus Imperij Coneſtabilis, alter præſidij Præfectus, qui aduentantium Barbarorum motum præſenſerat, certior factus IIII. Kalen. Februarij, Cumanos & Valachos in quadam villa ſatis oſcitanter corpora curare, eò cum centum & viginti equitibus iter nocte continuat; paucis Topyris, quod Ruſium diximus, defenſioni relictis. Cum diluxiſſet, ſe in villam incidiſſe cognoſcit, in qua Cumani, & Valachi iacuerant, & pernoctarant. Itaq́; de improuiſo irruunt, vt ne à colonis quidem ſentirentur, militeſq́; Regios Cumanos, nec opinantes, ferro occupant, ſtragemq́; horribilem edunt. cęſos ſpoliant, equos ad duodecim ſecum abigunt. Mox cæde facta ſeſe in viam Topyrim verſus conijciunt. In illo ferè temporis veſtigio, Myſi, Scythæ, & Valachi ad ſeptem millia numero, ad arma, ad equos concurrere, ad noſtros adequitare iniurias vltum; ita, vt benè mane Topyrim venerint. Noſtri, & hi perpauci defenſores, hoſtis aduentu exterriti; portas claudere & in muris conſiſtere. Eò factum, vt hoſtis, cum neq; ſcalas, neq; quicquam quo munitiones diſturbaret ſecum conuectaſſet, re infecta recederet, eumq́; ſuæ temeritatis puderet ac tæderet. Huic, vix tria à Topyri paſſuum millia progreſſo, Franci in reditu, Duce Teneromondano, pridie Kalen. Februarij occurrunt. qui, cum ſe in hoſtem incidiſſe ſentirent, nequid indignum Francico nomine, & rebus ab ſe antea fortiter & pręclarè geſtis, animo conciperent, ſeſe non deſerunt. Teneromondanus Coneſtabilis ſuas copias repentè in quatuor acies diſtribuit & inſtruit, eo conſilio, vt nulla fugæ ſignificatione Topyrim lentè feſtinarent, qui paucorum tanquam portus eſſet. At Cumani, Valachi, Græci pedetentim, quæ maxima multitudo erat, populari tumultu collecta, quæq́; Regijs auxilio, agmen clauſum venerat, in noſtros infeſti adequitare, nouiſsimos incitatis equis premere, magniſq́; incommodis afficere. Theodorici Aloſtenſis Seneſchalli manus, cui Villanus

eius frater præerat, quòd Theodoricus Imperij Seneſchallus Conſtantinopolim ad ſuum munus deceſsiſſet, poſtremum noſtrorum agmen muniebat, ac tuebatur. In hanc aciem potiſsimùm Cumani, Valachi, Græci, vndiq; ingruentes, ſeſe atroci vlulatu edito, circumfundere, & certatim inuolare, equos confodere, omnia miſcere, maximi clamores excitati; tanta etiam impreſsio, & tam vehemens in noſtros facta fuit, vt turbatis ordinibus cum impetum ſuſtinere non poſſent, hoſtis in medium penetraret. Conſtat Andream Vrboeſum, Ioannem Coiſium, atq; alios fortes viros medio agmine ſuſtentando, maximos labores exudaſſe; hoſtiſq; impetum ita repreſsiſſe, vt in Teneromondani Coneſtabilis primùm, mox in Caroli Fraineſij aciem propulerint. Noſtri paucorum virtute ſubleuati, ad primum à Topyri lapidem procedunt, vnde ipſam vrbem ab oculos conſtitutam cernerent. Regij indignantes Francos ſibi eripi, animoſius noſtris in terga inſtare, equites atq; equos certius configere, vltra noſtros progredi, vt circumcluſos Topyri intercluderent. Scythis enim equitibus qui leuis armaturæ ſunt, vt ſcriptores tradunt, naturæ inſtituto, mira eſt in caſtris velocitas: vt quum procul abeſſe creduntur, proximi ſint & improuiſi obruant. quum verò paratum accinctumq; hoſtem intelligunt, eadem qua venerant, ſeſe velocitate ſubducant. iterum, in aquatione & frumentatione coercenda, & intercipiendo commeatu inſignis ſolertia. Sanè nec pugnant cominus, niſi multis à cauſis de victoria perſuaſi; atq; hoc conſilij ſemper primo loco habent, vt vexatum incurſionibus hoſtem, præterea fame, vigilijs, ſtationum moleſtia premant, tædioq; militiæ afficiant, ad copias transferendas & caſtra mouenda impellant, vt ponè ſequendo, adoriri ſparſos, & conficere imparatos queant. quibus artibus graues alioqui populi Romani legiones, haud rarò in Orientem magnis cladibus affecerunt. nunquam verò plus damni ab illis eſt, quàm cum in planis locis bellum trahitur, & omnia vagis excurſibus patent. Itaq; Scythæ equites leues, noſtros cataphractos eminus feriebant: quos fugaces, noſtri præ armorum pondere, curſu adæquare non poterant. Ita, cum Franci modò egregiè ſuſtinentes, & modò renouantes impetum, eo euentu pugnarent, vt defendendo haud offendendo parum proficerent, & conſtitutum tenere iter non poſſent, cum Scythæ iam ab omnibus partibus ſe circumfudiſſent, & noſtros velut prædam indagine clauſam, venatoria conſuetudine paſsim opprimerent, omnes ferè aut occidione occiſi, aut capti. Luctuoſum ſanè certamen; vnde ex centum viginti maximè ſtrenuis equitibus,

& ſpe-

& ſpectatæ virtutis, tantum decem Topyrim ad ſuos euaſerint. Ea in pugna Theodoricus Teneromondanus Ruſiani præſidij Præfectus, atq; idem Imperij Coneſtabilis ardentiſsimè pugnans, cum ab inſignium criſtarum ornamentis Baliuus Imperij à Barbaris eſſe putaretur, eſt obtruncatus. Pariq; ſorte, centum & decem illuſtris nominis & virtutis notæ equites, capto ab hoſte eorum Signifero, capti, trucidatiq; ſunt. In his fuere ſplendidiores, Aurius Inſulanus Eques prȩſtantiſsimus, qui cum Ludouico Bleſenſi Comite, ſuo Domino, ad ſacrum bellum venerat; Ioannes Somponus, Andreas Vrboeſus, Ioannes Coiſius, Guido Confluentinus Rhenanus, Carolus Fraineſus Gallus, ſecunda Conſtantinopolitanæ Vrbis expugnatione muralis coronæ gloria nobilis, Villanus Aloſtenſis, Theodorici Aloſtenſis, Imperij Seneſchalli frater, qui dum ſupremæ virtutis conatum edunt, adhortantibus Barbaris, vt ſe potiùs dedere, quàm interfici velint, cum his qui ſecum erant equitibus, ita obſtinatis animis certant, vt patrio gentis more, fortiter potiùs cadere, quàm in hoſtium poteſtatem turpiter venire malint. Reliquorum cæſorum, & captiuorum numerus, nec reperiri quidem, nedum recenſeri poteſt. Cumani, Myſi, Græci, multo noſtrorum cruore conſperſi, cum iam cædis ſatietas illos cȩpiſſet vſq; adeò, vt pleriſq; langueſcerent manus, re benè & feliciter certata, omnibus armis noſtrorum & equis, ac vexillis, cæteraq; prȩda & manubijs ditati, relicta Thracia celeriter domum redeunt. Decem illi quos cæde ereptos diximus, quiq; Topyris tutelæ relicti erant, primis tenebris vrbe egreſsi, itinere totam noctem contento, Rhædeſtum benè mane perueniunt. Eius cladis pridie Kalend. Februarij acceptȩ adeò funeſtæ & exitioſæ, nuncius Henrico Imperij Baliuo, ad Diuȩ Mariæ Blacherniæ puluinaria, magna cum veneratione, & Litania Sacerdotum omnium, populiq; Conſtantinopolitani, armatis militibus de more templum intrantibus, ſupplicatum procedenti, IIII. Nonas Februarij, qui dies Virgini Deiparæ, Chriſtiana cæremonia ab candelis ſolennis eſt, atq; idem feſtus, affertur. Magna religione id delubrum Byzantij colitur: communis quippe omnium perſuaſio eſt, inibi ſtolam Diuæ Mariȩ, præterea partem Zonæ, eiuſdemq; vittas capitales, in vrna aurea à multis ſȩculis, ſumma religione ſeruatas, ſupplicantibus oſtendi. Caſum omnes mȩrere, & tantæ ſtragis incommodum lamentari, ſuumq; vrbi fatum impendere, atq; inſtare dicere, quum inopinato nouæ, & prioribus quidem malis acerbiores clades, quotidie ſubirent. Eo die, Henricus Imperij Baliuus, com-

preſſo animi dolore de Selymbria maritima Propontidis vrbe tuenda, conſilium exquirit, ne deſperatis auxilijs, duriùs ſibi conſulerent. omnes cenſere, Selymbriæ, quòd oppidum ipſum bidui iter Conſtantinopoli oppoſitum, eidem vrbi aduerſus maritimas, terreſtreſq; copias, pro vallo & foſſa eſſet, quòd propinquum & primum hoſtem antecurſorem præſentiſceret, extremis temporibus perfugium ſalutis omnium certiſsimum. In pręſidio repentè eò Macharius Sanmanechaus cum quinquaginta equitibus mittitur. Non ita poſt, Rex Myſiæ Ioanniſſa de equitum Francorum occiſione certior factus, tanta voluptate debacchatur, quanta in Barbarum cadere poteſt. nuncium enim eò optatiorem acceperat, quò is equitum numerus, ex omnibus Francorum copijs ſelectior fuiſſet, & pręſtantior. Proinde ſibi maiores ſpiritus ſumere, deq; nomine Francico, ac ſtirpe radicitus excidenda, altius cogitare cępit, quòd eos ex ſuo ingenio metiens, nunquam quieturos diceret. Extemplò admirabili conquiſitione, de Cumanis quos Scythas diximus, Myſis, Græcis (quoniam ſuperiori populatione, noſtri equitatus maxima parte cæſa, egregiam operam nauaſſent) vndecunq; poteſt, maximum militum numerum colligit. cum hoc Exercitu, iterum Thraciam ingreſſus eſt. ad eum vndiq; Legati de pace mittebantur, qui ſe, ſuaq; omnia Regi dedicarent. nec id mirum. tanti enim Exercitus, tot victorijs fortunati terrore, omnium etiam per ſe fidelium, voluntatis commutatio facta eſt. Veneti, qui Regem paulò antè aduentare audiſſent, eiuſq; aduentus fama, vel conſtantiſsimos à Franci amicitia, & fide facilè detorqueri viderent: quando ſibi non cum armato hoſte certandum, ſed cum diro Sathana, eiuſq; ſatellitibus, Euro ipſo pernicioribus, quibuſcum nullam omnino operam Veneto dignam edere poſsent; Arcadiopolim protinus deſerunt. At Ioanniſſa rebus omnibus poſthabitis, magnis itineribus Neapolim Thracum venit. eam Latinorum, & Græcorum pręſidijs ſatis firmam coram cognoſcit. Blaſium Franſurem equitem Bellouacum Latinis præeſſe, Theodorum autem Branam Græcis ſpectatæ in Francos fidei, quòd illi Regis Franciæ ſoror Auguſta matrimonio iuncta eſſet. nihil tamen ille cunctatus, ſuos vrbem oppugnare iubet, ſperans primo impetu capi poſſe. nec ſpes fefellit, ea enim in pugna, vel maximè cruenta, pleriq; noſtrorum ceciderunt. Blaſius Franſures præſidij Pręfectus, inter primos captiuus ad eum deducitur, ac eiuſdem iuſſu ſtatim necatur, cęteriq; omnes Franci iuxta & Latini, quos authoritatis, aut virtutis opinionem inter Francos,

vel

vel Latinos habere cognouiſſet, ne oneri eſſent, interficiuntur: vulgus minutum, mulierculæ, puberes, impuberes in Valachia in perpetuos carceres conijciuntur. Vrbs poſtremò diues & potens, & in optimo Thraciæ agro ſita, funditùs euertitur. hoc fatum Neapolitanorum Thraciæ extremum fuit. Cæterum inter Neapolim, & Rhædeſtum ad mare ſitum, XXIIII. millia paſſuum intererant. Hæc vrbs maritimis diuitijs opulenta, & lunato portu circumambiente Propontide, benè munita, & perampla, Venetum præſidium acceperat; quum pridem in rerum partitione, in Venetæ Reip. partem ceſsiſſet. Præterea, Centurionum in equis ad duo millia manus acceſſerat. vt primùm Cumanorum eruptione cognita, Rhædeſtum pręſidij cauſa conueniſſent. Nuncio calamitatis Neapolitanę trepidè apportato, tantus repentè pauor noſtrorum animos occupat, vt inde virtutem omnem fugaret, nec quicquam conſilij in eorum pectoribus poſſet conſiſtere. Dein fama vires pauori de Regis Ioanniſſę perfidia, de captiuis excruciandis dante, Veneti momento ad naues conuolant, magno ſtrepitu, ac tumultu; nullo certo ordine, atq; imperio, cum quiſq; primus nauem conſcendere adproperaret. Centuriones in equis, Franci, Flandri, atq; aliunde orti milites, planè vecordes & attoniti, nihil expectato, vti inſtituerant tubæ ſonitu, neq; abeundi ſigno, quòd equeſtris tympani leui pulſu per ordines dari ſolet, tumultuosè properantes, terra ſtatim fugam capeſſunt. Pauor ſæpe rerum maxima momenta vertit; quòd cum aliàs, tum verò hac maximè Rhædeſtana fuga compertum eſt. hanc vrbem quæ natura & opere munitiſsima eſſet, quę loci opportunitatibus reliquis Thraciæ vrbibus præſtaret, quæ viris & nauibus abundaret, Rex vt oppugnaret in animum nunquam inducere poterat, niſi fama fugæ omnis pedeſtris præſidij ac naualis, per ſingula propè horarum momenta ab certiſsimis exploratoribus delata, ipſum ſecunda fortuna ſatiatum coegiſſet. Cum verò Francos, Flandros, Venetos fędiſsimè aufugiſſe certò reſciſſet, & in propinquo eſſet (nempè decem millibus paſſuum à Rhædeſto tetenderat) ſuam inde victoriam præſagiens, facilè iam captam vrbem captum diuertit. Græci, qui in vrbe remanſerant, numero & viribus impares, ad promerendam Regis beneuolentiam, ſeſe illico dedere. Sed omnes ad puberes comprehenduntur, exceptis his, qui fuga arrepta ſibi conſuluerant, in interiorem Myſiam relegantur. Vrbs funditùs diſturbata: qua nullum damnum maius iniuria dari poterat, quoniam ea vna opulentiſsimarum Thraciæ & florentiſsimarum eſſet, & ſitu loci opportuniſsima.

Huic

Huic propinquum Panium, haud meliore fato fuit. hæc maritima inferioris Thraciæ ciuitas eſt ad Propontidem, iuxta Cherſoneſum, Rhædeſto proxima. vrbem auxilij deſperatione repente deditam labefactat & diruit: Colonos in Myſiam relegat. Ex eo loco iter Heracleam, quàm veteres Perinthum nominarunt, accelerat. Ea pariter maritima Propontidis ciuitas, celeberrimo illo Amphitheatro marmoreo ex vno lapide exciſo, quod inſtar ſeptem Orbis miraculorum numeratur, antiquorum temporibus nobilitata eſt; ab Hercule olim condita, mox (vt diximus) Perinthi Comitis memorię dedicata. Portum habet commodiſsimum: iuriq; Venetorum in partitionibus conceſſa, quam tamen paruo præſidio munierant. Ita infirmam Rex oppugnat, nuſquam reſiſtente Veneto, primoq; impetu capit. ideoq; communem reliquarum pugnantium fortunam experta eſt. magna cæde facta, reliqui captiui in Myſiam trahuntur; vrbs ſolo adæquatur. Myſus inde profectus, Daonium peruenit, quæ in mediterraneis Thraciæ ciuitas eſt, inter Tzurulum & Selymbriam conſtituta, quam olim Daones condidere. ciuitas ſanè quam munita & ædificiorum pulchritudine ſpectabilis; virium tamen imbecillitate, nec defenſa, & ſtatim dedita, Regis iuſſu euertitur. Exinde, Tzurulum adequitat. Homines, adeò puſilli animi, vt imbelli inimico magnum animum facerent, ne aliquod grauius detrimentum ſupremæ calamitatis acciperent, ſine mora, deditionem faciunt. Hinc Cumani & Myſi, euerſione vrbis facta, captiuiſq; viris & mulierculis, in Myſiam contra fidem, ac iuſiurandum proreptis, ſola noſtrorum remiſsione confidentiores, totam Thraciam emenſi, Conſtantinopolim adequitant. Cum Henricus Imperij Baliuus in vrbe eſſet, nec ſuorum paucitate hoſtem offendere poſſet, ſimul & vrbem defendere, vrbanorum animos metus, & męror præoccupant, ita vt Vrbi fatum extremum veniſſe quererentur: eò dolentiùs, quòd Cumanum prædas opimas facere, ſuaſq; omnes fortunas diripere, & quod indignius eſt, colonos circumiecti proximè agri, mulieres, pueros in ſeruitutem abducere, vrbes deniq;, & caſtella excindere oculis cernerent. Ita Conſtantinopolitani Imperij opes omnes, prædas, rem Latinam, detrimentis poſt hominum memoriam maximis affecerunt. repente è veſtigio Athyram, inter quam & Conſtantinopolim vigintiquatuor millia paſſuum intercedebant, prædabundi contendunt. quam Henricus Imperatoris frater, Pagano Aurelio beneficio perpetuo vtendam dederat. Athyra Thraciæ ciuitas, inter Selymbriam & Conſtantinopolim conſtituta, Phœnicum Colonia, ab Thyra fluuio, qui ex Rhodope

dope Propontidem influit, nomen accepit. Sed Athyrani ciues qui fędæ mortis ſupplicio animum deſponderant, Aurelio abſente, audito hoſtium aduentu, inde maximo numero cum territorij incolis aufugerunt. Myſi vrbem aggrediuntur. Oppidani qui in vrbe remanſerant, vitæ deſperatione audaciores facti, fortiter, vt in ſupremo actu, audentes primo obſiſtunt, mox in aduolentes vndiq; Myſos pedibus erumpunt; & tanto animo, tantaq; alacritate impetum faciunt, vt ſeſe lanceis Barbarorum induere, & offerre ſagittis non dubitarent, modò Myſos vel ſemiuiui, traiectiq; vulnerarent. tantus inerat aut deſperatis, aut deuotis animis mortis contemptus, hoſtes tandem vrbem vi, atq; impreſsione expugnant. atq; hic tanta eorum qui remanſerant occiſio patrata, quanta nullo antè in oppido facta fuit. Cæterum conſtat hoc, omnes vbiq; locorum fidei Regię deditos, aut ferro extinctos, aut viuos in Myſiam raptatos, mancipia Barbarorum fieri; omniaq; oppida & caſtella exciſa fuiſſe & euerſa. Ita, tota Thraciæ regio, oppidis frequens, quæ ſunt circum Conſtantinopolim, quò quinque dierum via obiri poteſt, miſerè fędata, & vaſtata; Bergula & Selymbria exceptis, quæ præſidio Francorum ab importuniſsimi hoſtis diritate & perfidia tutæ eſſent. Bergulam Anſelmus Chaemus, centum & viginti equitum virtute tuebatur. Selymbriam Macharius Sanmanechaus quinquaginta equitum præſidio obtinebat. Henricus autem Imperatoris frater, cum reliquis copijs Conſtantinopoli conſederat. Ex quo, rem Latinam in ſummum periculum redactam licuit ccgnoſcere, quod de ſumma Imperij nihil præter muros Conſtantinopolis, Bergulæ & Selymbriæ vicinioris Thraciæ vrbium, in noſtra poteſtate haberemus; nec quo Fati peruerſitas euaſura eſſet, ſatis humano conſilio prouideri poterat. Gręci, noſtrorum miſerijs atq; ærumnis, aut ſatiati, aut pro malis illachrymantes, qui à Francis ad Ioanniſſam deſciuerant, eiuſq; ſacramento militabant, ruinis etiam oppidorum Græcię, & caſtellorum, Regiſq; immaniſsimi perfidia commoti, ſeſe Barbaro ad necem traditos putare. Itaq; ſibi proſpicere, & inter ſe colloqui. coniectare Regem Adrianopoli quoq; & Didymotico euerſionem in itinere domum, breui illaturum. Id ſi faceret, perpetuò de tota Thracia actum eſſe: quando Adrianopolis vrbs omnium Thracię ampliſsima, & opulentiſsima foret. Didymoticum autem Hebri amnis meatibus maximè tutum. Ius igitur defectionis à tanta iniuria meritò natum, eoq; bonis omnibus probabile arripiunt. Clam Legatos Conſtantinopolim, ad Theodorum Branam (is illius Alexij Branæ filius

fuerat,

fuerat, qui militum fauore ad Imperium olim Conſtantinopolis contendens, ab Iſaacio Auguſto olim defecerat) rogatum mittunt, vt pro ſuo in Græcos ſtudio, & quanta maxima apud Henricum Baliuum Imperij, & Venetos gratia atq; authoritate poſſet, hiſdem ſatisfaceret: ſuppliciter ſibi veniam peteret: doceret, Græcos bona fide ad Imperij authoritatem redituros, atq; vnà Græcos & Francos amicitiam inituros, ſi ipſis Adrianopolim, atq; Didymoticum concederent. Ea de re à Baliuo & Venetis illicò concilium habetur. deliberationis exitus fuit, ipſos, pacem petentibus dare: Adrianopolim & Didymoticum cum ſuis agris, eo iure quo Adrianopolitæ & Didymoticini clientes Imperiales habuiſſent, tabulis auguſtalibus ritè confectis, Theodoro Branę vti Grȩcorum Procerum ſplendidiſsimo, & Agneti Auguſtæ eius vxori, Philippi Regis Franciæ ſorori, nullo pecuniæ tributo impoſito, ea lege, beneficio tribuere, vt officia & obſequia patrono Imperatori atq; Imperio, cliens clienta've ederet. Hæc Agnes, vt in Vrbis captiuitate ſuprà memorauimus, primùm Alexio Comneno Cæſari, Manuelis Auguſti filio impuberi nupſit, Andronici opera de medio ſublato: eadem, ipſi Andronico, poſt Auguſto coniugata; quo demum populari ſeditione extincto, Imperioq; ad Iſaacium Angelum delato, tertiò Branæ denubit. Conditio pacis à Græcis accepta: atq; ex ea die, Baliuus & Veneti veterum iniuriarum obliti, Græcos ſinceriſsima fide, Brana conciliatore in amicitiam receptos, perpetuò fouendos à Myſorum incurſionibus ſuſceperunt. Accidit autem, quod prætereundum non videtur, vt Niceta Choniata Græcis annalibus tradit; quòd ante tantam Scytharum ex Aſiatica Sarmatia, & Caucaſijs montibus in Thraciam incurſionem, circa Thraciȩ campos Conſtantinopoli proximos, Cornicum & Coruorum legiones, aliæ à Septentrione, aliæ ab Auſtro in vnum locum congregatȩ, duram atq; ingentem pugnam in aere commiſerunt; ſiue oſtentum illud fuerit, prognoſticumq; futurȩ Scytharum cum noſtris pugnæ, ſeu naturalis contentio, quòd multitudine cadauerum ijs campis per annum ante iacentium, quibus alites ipſi veſcuntur, pugnatum ſit ob paſtus cupiditatem. Sed acri vtrinq; prælio facto, magna cæde edita, Corui magnitudine corporum, acrioribus magiſq; falcatis armatis vnguibus ac roſtris, aliſq; vtentes patentioribus, cum maiores captarent auras, Cornices quaſi pugionibus confoderunt, & proinde phalanges meridionalium Cornicum, terribilem in fugam verterunt. Cum ad cadentium Cornicum aceruos conclamare Corui, crocitatuq; ſignificare victoriam cernerentur. Fuere

tamen

tamen qui id prodigij loco acciperent, quaſi futurum eſſet, vt Latini aliquando à Scythis, & Sarmatis Aſiaticis, ſeu Septentrionalibus pulſi, rebus perditis, vehementer affligarentur. nemo tamen, qui non futurum breui in Thracia contendentium Exercituum augurarétur certamen, partiſq; alterius fœdam calamitatem proſpiceret. Alij autem felicius interpretabantur, noſtros Septentrionales pulſis Græcis quaſi Meridionalibus Cornicibus, Imperium ad Latinos tranſtuliſſe; ſimulq; futurum, vt Imperator Latinus & milites, cum Græci bello ſuperiores, prout iam cœpiſſent, ab ipſa victoria dites aliquando euaderent. Cæterum Myſus, Deûm atq; hominum apertus hoſtis, animo agitans quibus maximè conſilijs, quaq; arte Francorum reliquias proſterneret, educto ex hybernis milite, Thraciæq; oppidis, caſtellis, vicis, intra Februarium & Martium menſes direptis, euerſis, exuſtis, Fanis Dei, Cœlitumq; ſpoliatis & vexatis, è va- MCCVI.
ſtitate, tandem atq; inanitione, Aprili menſe poſt Reſurrectionis ſolennia iter Adrianopolim, & Didymoticum verſus celeriter facit. ſperans ſe vtriuſq; oppidi, conſimiliter ac cæterorum, potiturum. In eo itinere, Græci qui in Exercitu erant, ſpeculantes Regem Adrianopolim verſus copias ducere, furtim in crebris, ſed non ita frequentibus manipulis, modò viceni, modò trigenteni, modò quadrageni, modò centeni fugam, interdiu & noctu, in vrbem conſciſcunt. Vt Rex id animaduertit, à Græcis petit vt ſibi portas recluderent. Illi ſe facturos negant, & Regi perfidiam turpiter exprobrantes, cuius auarè & crudeliter dominantis Imperium, aliquot iam menſes in luctuoſa ſeruitute pertuliſſent, nominatim refricant ei fractam fidem, cum primùm à Francis ad ipſum defeciſſent. Cum enim iuratò promiſiſſet, Græciam omnem incolumem ſeruare, ſuam deditionem, miſerrima cæde & cruciatibus Græcorum exulum, innocentium ciuitatum incendijs, rerumq; omnium euerſione, remuneratum fuiſſe. Hæc (addunt) oratione non renouaremus, quòd ſatis apparent, & in omnium oculis obuerſantur, niſi eius crudelitas atq; immanitas, & iuris gentium contemptus, vbiq; gentium iam prouerbij locum obtineret, nota Myſæ nationi ad æternam ignominiam inuſta. His rebus nobis perſuaderi, illum inter tot funera noſtrorum, & vulnera, in nobis paria, ac in veteribus alijs dedititijs, exempla editurum. Rex, tametſi famæ ſuæ ignarus non eſſet, vt alienatos abs ſe Græcorum animos nequaquam intelligeret, & præſentiret quam parum ſpei in populi ſtudijs eſſet reponendum, vbi tamen nullum locum ſuis poſtulatis reliquum, ſed homines per ſe infideles palàm in ſe bellum

Digitized by Google

parare videt, Didymoticum circumſedit, Tollenonibus, vineis, machiniſq́; omnibus conductis oppugnatum aggreditur. agrum circum Vrbem latè vaſtat. Adrianopolitis, & Didymoticinis animum per ſe vegetum, & ſatis fortem, fides fęduſq́; cum Henrico Imperij Baliuo & Venetis, impendiò magis augent. Legatos itaq́; animum ſuum Conſtantinopolim teſtatum mittunt; ſimul & auxilium imploratum, deprecatore Theodoro Brana vſuri. Per Deum Cęliteſq́; Henricum Baliuum, & Venetos orant, vt Didymotico ſuppetias ferant, & obſidione teterrimi hoſtis liberent. Henricus legatione audita, confeſtim Venetos & Barones in conſilium aduocat. multiſq́; de ferendo auxilio diſputationibus habitis, quòd nihil in ipſo imminentis periculi limine, magis pernitioſum foret longa deliberatione, bona pars cenſuit Didymotico auxilium celeriter mittendum. multi, qui ne portis quidem pedem efferre volebant, Conſtantinopolim ſuo præſidio nudandam non eſſe, præſertim in tanta paucitate, quæ in ſtationibus vrbanis eſſet. Ea militum tranſcriptione, Chriſtianam rem in ſummum periculum adduci. Illud tamen ſiue altercatio, ſiue ratio obtinuit, vt Henricus Imperij Baliuus delectu, ex omnibus Græcis, Francis, Venetis, inquilinis, diligenter habito, Exercitum quàm maximum collectum, Selymbriam educeret. Ita, ſedula conquiſitione delectus fit, vt copias non contemnendas Henricus coegerit. ſed cum conſternatæ multitudinis is eſſet pauor, nouis cædibus & periculis quotidie auctus, vt difficilè ad bellum profecturi viderentur, ac certiſsimus futuræ cladis timor mentes omnium occuparet, Petrus Capuanus Cardinalis, Innocentij Pont. Max. Legatus in caſtris, vir ſpectatus, prodijt, qui vt ſacratum virum decebat, quò noſtrorum animos confirmaret, è ſuggeſtu apud Exercitum, hæc verba habuit. Hanc Ciuitatem viri Franci & Veneti, voſq́; Gręci & Inquilini, qui honeſtis artibus dediti Vrbem incolitis, vnam de Deo, vnico palmarum datore, ac militiæ præſide opinionem habere perſuaſus ſum. Sed fortaſſe pietatis erga Deum momenta, non ſatis vobis nota ſunt. Pietatis ſanè primum gradum erga Deum eſſe, qui, cùm eius caſtiſſimo cultu tenetur, tùm verò nouis cultoribus conciliandis, & refractarijs atq́; ſectarijs diſsipandis & perdendis, pauci id quod eſt, intelligunt. Iam, ſi pro patria, quæ communis eſt parens vniuerſorum, ſi pro ſingulis parentibus, ac neceſſarijs, libenter pericula ſubimus, qui ſecundus eſt, & tertius pietatis gradus, quid cauſa religionis Dei agendum? quę princeps eſt pietas, reliquarum omnium virtutum fundamentum. Nullam verò ſcitote Chriſtianis inter ſe belli gerendi

iuſtam

iuſtam cauſam eſſe, ſi diſcordiæ & inimicitiæ inter eoſdem ſuſcipiendæ, nulla æqua ratio eſſe poteſt. Nam omnes Chriſtianos è pluribus velut in vnum corpus, pace, amore, & charitate contrahi, Diuinus ille noſtrę Religionis conditor,& idem Soter omnium communis iubet: cuius corporis ſe caput vnum profiteatur. Sin autem hoc diſcordia, inimicitia, & odium diſtrahit, ac diſsipat, vbi CHRISTVM Deum relinquimus? vbi eius ſigna deſerimus? Siquidem plurium corporum plura capita eſſe neceſſe eſt. Inimicitiam certè, multo verò magis bellum ex hominibus exterminandum, ac ſtirpitùs eradicandum eſſe, vtriuſq; miſeri exitus, ſed belli miſeriores, declarant. Reliquum eſt igitur contra impios ſolùm (nam inter pietatem & impietatem medium nihil eſt) iuſtam eſſe non contentionem modò, ſed etiam dimicationem. Cumanus & Scytha quocum bellum facitis, non modò per ſe impius eſt, verùm etiam palàm hoſtis piorum; & ſi vſq; patimur, Religionis omnis extinctor,& fatalis euerſor. Quid Myſi, quid Triballi? nonne ab Romano Pontifice Max. defecerunt? Hoc verò bellum aduerſus Cumanum, Myſum, Triballum, quanta nullum vnquam patratum fuit, iuſtitia & pietate regitur. quandoquidem hę gentes, quę à Diuinis legibus & Pontifice Max. defecerunt, expiatæ veluti ſacris armis, & deniq; victoria veſtra luſtratæ, ad antiquos Chriſtianæ Religionis ritus reuocentur. Cumq; iuſta cauſa armorum (quæ conſcientia timido etiam animum addere ſolet) pars ſit victoriæ, quid in hunc hoſtem inuolare dubitamus? At, fortè laborum merces & præmia quæruntur? Superſtites equidem hoſti opulento, ſpolia opima atq; exuuias, magno cum decore, ad vniuerſam poſteritatis memoriam, detracturos confido. Animis verò pio bello mortuorum, cęlum ipſum, Romanus Pontifex Max. Innocentius clauibus (vt ſcitis) datis diuinitùs, reſerabit. Nunc agedum, maioribus Dei auſpicijs, ſed Henrici Baliui Imperij ductu, optimi Ducis pariter & militis, æternæ ſpe laudis incenſi, in prælium iuſtum & pium adite. Eodem tempore, Legati ferè quotidie ab Adrianopoli ad Baliuum, cum his mandatis venire. Græcos, niſi opem ferret, funditùs interijſſe: & quoniam rerum omnium inopia premerentur, caueret per Deum Cęliteſq; neceſsitatem, ſibi mortem conſciſcendi addere, quòd antè optarint, quàm vultum Ioanniſſæ Tyranni aſpiciant. Continuò Baliuus concilium Venetorum & Francorum conuocat; & de re Adrianopolitana refert. Sententiæ dicuntur. Omnes protinus Beroen petere oportere, vbi de toto negotio melius cognoſcerent, &, vt res flagitaret, prouiderent. Vt ſapientiſsimè conſultum,

Digitized by Google

ita maturrimè factum: motis caſtris tabernacula IX. Kalen. Iulij ad Beroen ſtatuunt, pridie eius diei, qui Diui Ioannis Baptiſtæ natalis memoria feſtus eſt. Eò ab Adrianopoli oratores, eodem die audientiam petunt. Introducti in curiam; Eadem vis hoſtis (inquit princeps Legationis) quę vos & neceſsitas, quod omen Deus obruat, aut in hoſtem malè vertat, Didymoticum in ſe admittere vrget & cogit. Eos, fortaſsis octo dies ſuffecturos putate. inde, puncto poſt temporis, niſi rebus perditis opem fertis, actum eſſe. Regem Ioanniſſam machinamentis murum quotidie quaſſantem, quatuor locis iam labefactaſſe nuncio. qua ſemel feneſtram aperiat, continuò militem iſto mortis contemptu quem vidimus, in mediam ciuitatem irruiturum. qui iterum acerrimo impetu in murum inuolaſſet, ſed Dei voluntate, & noſtra virtute depulſus eſſet. Vt Legati Curia egreſsi ſunt, Baliuus re à Venetis, à Baronibus pluribus diſceptata, Nos (ait) recentes Selymbriam vſq; progreſſos (Barones optimi, voſq; viri Veneti) Didymoticinis & Adrianopolitis, cæteriſq; in vicinia Imperij clientibus non ſaluis, in Vrbem regredi ne dicam refugere, puderet ac tæderet. Proinde omnes, vt pridie Fęcialis ſanxit, ritè confeſſos, & ſacrę hoſtię communicatione expiatos, cras in ordines dirigere, ſi ita vobis videatur, Deo Diuiſq; benè iuuantibus, auſpicabor. Equites fortiſsimos viros (quod vos quoq; ſcire arbitror) ad quadringentos in acie conſtituere poſſum: tot enim luſtrando Exercitu facilè recenſui. Baliuo ab omnibus aſſenſum eſt. Mox, Legatos accerſitos rogant, quo ſtatu res foret, quot hominum millia Rex in ipſos coegiſſet. Reſpondent, equites, patrio more armatos ad quadraginta millia collegiſſe, præter pedites innumerabiles, ſed quos nullo ferè numero in Exercitu haberet. Scythæ enim Myſi, ac Triballi, cum equitatu præcipuè polleant (namq; quiſq; vel egentiſsimus domi equum alit, quo prædetur & militet) ſcuto, haſta, incuruo gladio vtuntur, & nonnunquam lancea, miſsilibus, atq; arcubus rem gerunt. Concurſus profectò vtriuſq; aciei nimio plus impar: vt tantam noſtrorum paucitatem, tantæ Barbarorum multitudini congreſſum ducere non ſani Ducis videatur. Inſequenti die, VIII. Kalend. Iulij, qui dies eſt natali Diui Ioannis Baptiſtæ dedicatus, prima luce, delicta omnes Chriſtiano more confiteri, & ſacratiſsimam Euchariſtiam de Sacerdotum manibus, ſumma religione totis caſtris ſumere. Poſtridie eius diei, nouem acies conſtituunt. Gotthofredus Villharduinus Romaniæ & Campaniæ Mareſchallus, vnaq; Macharius Sanmanechaus, honoris cauſa iuſsi primam manum ducere, Conon Bethunius ſecundam,

dam: tertiam Milo Brabantius: Paganus Aurelius, & Petrus Braiaquellus quartam: quintam Anſelmus Chaemus: ſextam Balduinus Bellouiſus: Hugo Bellinenſis ſeptimam: Baliuus autem Balduini Imperatoris frater octauam: poſtremo Garnerius Cornaius, cum Flandris, & Theodoricus Loſius Imperij Seneſchallus, nouiſsimæ aciei præeſſe iuſsi. Milites adeundi in hoſtem, & pugnandi auiditate diſperſi, præ gaudio, atq; voluptate debacchari. Confeſtim arma inſpicere, eademq; & equos polire, nullum laborem recuſare, in omnia deniq; capitis diſcrimina ſeſe Ducibus offerre. Idcirco ſeſe tanto labore, è media cęde, è medio certaminis incendio, per medios hoſtes, & eos confertiſsimos eripuiſſe, minimè decorum putabant, ne Balduinum Imperatorem ſuum, atq; Bleſenſem, quos adhuc publicè lugebant, inultos relinquerent. Ioanniſſę anima, Principum & Baronum manibus parentandum. Itaq; noſtrorum paucitas omnibus rebus prouiſis, iuxta ac ſi hoſtis coram adeſſet, alacris, quadrato agmine, tridui iter Didymoticum verſus perrexit. nec verò meminiſſe poſſumus vllam aciem voluntate periculoſius certamen quæſijſſe. Nam præterquàm quòd Gallis perpaucis, cum innumeris dimicandum eſſet, verendum etiam fuit, ne Gręci quos obſidionis diſcrimine liberatum adibant, quorum fidem ſemper fluxam experti eſſent, coniuratione facta cum Rege, adeò capiendæ Didymotico propinquo, ipſos in periculum vocarent: ſed tamen conſueta in omnes ſupplices, & miſeros clementia, & bonitate, tanquam pro certis amicis, mortem obirent. Gallus igitur mortis contemptione nobilis, Myſo prælium denunciat. Vt Rex ex fama, & auditione accepit, Francos & Venetos Adrionopolitanis auxilium venire, incertus quid faceret, illico mente perculſus & abiectus, commutata belli ratione, machinas vrbis expugnationi deſtinatas, exurit, & clàm, ne vaſis quidem collectis, Hæmum verſus, in fugam ſe conijcit. Mirandum, cuius paulò antè non aciem militarem, ſed oculorum Barbari aciem ferre non poteramus, eum ad ſolius Francici aduentus famam modò ſurgentem, animo cecidiſſe. Omnes rem tantam & ſupra hiſtoriæ fidem poſitam, Deorum fauori & numini manifeſto, potiuſquàm Gallici nominis terrori, atq; virtutis famæ acceptam referre. Baliuus autem Imperij Henricus, die quarta quàm Beroe deceſſerat, Adrianopolim venit, atq; in Hebri ripa & pratis propè vrbem tendit. Ita vrbs Adrianopolis grauiſsimo obſidionis periculo ſoluta, ſe, cum coniugibus, & liberis ad noſtrorum conſpectum portis effundit, præ lætitia atq; alacritate in cęlum oculos, manuſq; tollens.

tollens. Obuiam properat, vnà chorus Sacerdotum ſolenni in pompa, longiſsimo ordine, ſub Crucibus, & Litanijs, ſuppliciter ſuæ ſalutis authoribus gratulatum procedit. à prima face ad altam noctem, Adrianopolis turres feſtis luminibus ornantur, quò proximis caſtellis atq; oppidis lętitiam declararunt. Nihil ſanè prætermiſſum atq; intentatum, quo lætitia re tam fœlici ſignificari ſolet. Eodem tempore rumor totis caſtris ſurgit, Ioanniſſam in caſtellum Ruſocaſtrum Triballorum finibus, ad Hæmum, quà Thraciam reſpicit, ſe recepiſſe. Ea de cauſa Henricus illò ad caſtra mouit, pręliaturus, ſi pugnæ facultatem hoſtis daret. Sed Rex noſtrorum ad ſe accurſus certior factus, caſtello clanculum egreditur, & quàm maximis itineribus, in ſuos fines repedat. Noſtri Regem quinque dies continenter inſequi, nec tàm celeriter, quamuis ſtudio ſuos vlciſcendi, naturam penè vincerent, quàm ille cum leuis armaturę equite, & pedite expeditiſsimo præcurrere poterat. Ea de cauſa, quinto die caſtellum Lelefraim in Myſorum finibus feſsi de via, ſubeunt. Ibi, quò ab hoſtis perſecutione interſpirarent, triduum commorantur. quo tempore, manus optimorum militum, diſcordia, qua nihil cùm omnibus in rebus, tùm verò in bello perniciofius, caſtris ſeceſsit. Eius manus ductor Balduinus Bellouiſus, fato neſcio quo, Exercitu certè incommodo atq; infauſto, ab Henrico Imperij Baliuo diſcordabat. Bellouiſi ſectam, Hugo Bellinenſis, Guilielmus Gominius, Druſius Belraimus ſequuti ſunt. Illi, ſuos omnes clientes, neceſſarios, atq; obęratos caſtris ſecum abducere. habuere & equites ad quinquaginta ſeditionis comites, quos optimis proximos nominabant, rati Exercitum ſua manu deſtitutum, iam hoſti imparem, his locis conſiſtere non auſurum. Itaq; Henricus Imperij Baliuus non mediocriter anxius, Barones & Venetos ad conſilium capiendum euocat. aſſenſum eſt biduum progredi. tentoria in Rhodopes valle amęniore, ad caſtellum Muniachum, propè flumen Arzum conſtituunt. Inquilini caſtelli, ſtatim ſe Baliui fidei permittunt, noſtroſq; liberaliter pro facultatibus, quinque dies acceperunt. Ibi, quò iter haberent, palàm omnibus facere. Henrico enim, Baronibus & Venetis conſtabat, ſuppetias Raynerio Traiectenſi ferre, qui iam ferè decimumtertium menſem diuturnæ obſidionis tædio affectus, Stenimachi, (vt diximus) incluſus fuerat, & ab omnibus rebus, quæ vſui neceſſario quæruntur, peſsimè habitus. Vt conſilium fuit, Baliuus cum parte copiarum eò loci conſtitit. partem ad Raynerium, qui diſcrimine obſidionis ereptum ad caſtra deducerent, Rhodopem verſus miſit. ſed pauci itinere admodùm pericu-

periculoſo, atq; infeſto, auxilium Traiectenſi ferebant. magis adeò ipſi, alienæ opis atq; ſubſidij indigentes: quòd eis ferè neceſſè eſſet quacunq; obirent, Myſo, & Triballo hoſti occurrere: quippe qui palàm trium dierum viam, per abruptas montium conualles, in terra hoſtili inirent. qui verò tantum negotij exhaurirent, deliguntur Conon Bethunius, Gotthofredus Villharduinus Thraciæ & Campaniȩ Mareſchallus, Milo Barbantius, Petrus Braiaquellus, Paganus Aurelius, Anſelmus Chaemus, Theodoricus Loſius, Guilielmus Perticenſis; vnà adit Veneta manus, cui Andreolus Valerius Venetus præerat. Hæc acies ſic inſtructa, tantum itineris obijt, vt iam Stenimacum, Rhodopes caſtellum Philippopolitanæ prouinciæ edito in colle conſtitutum, quòd vrbi imminebat, videre poſſet. Raynerius Traiectenſis caſu, rimis quà murus Caſtelli fatiſcebat, primam aciem, quam Villharduinus Mareſchallus ducebat; poſt alteram, quæ rectè, & ordine militari procedebat, ſubiecta in valle ſpeculatur: ſed ignarus in auxilio, an in exitio ſibi aduenirent, ſuos, de quibus nondum iam longo tempore interuallo, ne rumuſculus quidem ad ſe penetrarat, vixdum ſuſpicabatur, quid niſi Græcos, in ipſorum terra ad ſe circumſidendum, ingredi ſuſpiceret? Gotthofredus Mareſchallus Thraciæ & Campaniæ, aliquot Turcopolos (equites ij ſunt, baliſtarij iaculatores) prȩmittit, qui Caſtellanos de Traiectenſi percontarentur. Mortuus eſſet an viueret ignorabatur, quòd iam tanta longinquitate temporis, nullum de eo nuncium accepiſſent. Vt Turcopoli equites coram in Caſtelli conſpectu fuerunt, à Traiectenſi & militibus, maximo tubarum & tympanorum clangore, ſalutantur, incredibili profectò lȩtitiæ voluptate ipſorum, vt par erat, in tàm ſalutari aduentu. Traiectenſis militeſq; properè amicis obuiam egrediuntur, lætiq; alius alium prȩ gaudio non ſine lachrymis, appellant & gratulantur. Barones militeſq; vt gratulatio deferbuit, in oppido quod ad Caſtelli radices ſub Rhodope poſitum erat, & Caſtello negotium faceſſebat, caſtra faciunt. Ibi noſtri Barones, qui in rȩ militari experientiſsimi eſſent, in ſermone in ipſam laborum, atq; ærumnarum militarium recordationem incidunt. Anſam dabat Balduini Imperatoris caſus, & Bleſenſis, ac reliquorum Baronum cȩdes. alius aliud in medium proferre, ſuperioribus menſibus ſȩpè audiſſe, Balduinum in carcere necatum; ſed huic auditioni fidem non habere. Raynerius Traiectenſis, qui crebris ſermonibus Barbarorum, proxima Ternobo Ioanniſſȩ Regia aduentantium, certior factus eſſet, Balduinum à Myſis excruciatum interijſſe,

eiuſq;

Digitized by Google

eiuſq; rei teſtes locupletiſsimos proferre, quando Stenimacum Hæmo proximum, ab Ternobo non longè abeſſet, de morte dicere, quo authore res credita. Ferunt Annales Græci Nicetæ Choniatæ, atq; alterius Acropolitę, Balduinum pręlio, ſuperiore anno ad Adrianopolim facto, captum, Ternobi in vinculis aliquot menſes fuiſſe; deinde iuſſu Ioanniſſę, inhumanæ feritatis Tyranni, manibus, pedibuſq; Tenedia ſecuri præciſis, cadauer canibus lacerandum, in valle quadam alitibus, feriſq; expoſitum: calua autem ab labris auro circundata, gemmiſq; plurimis & lapillis exornata, ad diuturnam vindictę memoriam, teſtimoniumq; virtutis, tanquam honeſtiſsimis omnium militiæ trophæis, ad ornamentum abaci, in epulo Regem immaniter Scytharum ritu, pro poculo vſum. Porrò Balduinum annos tres ſupra triginta, & menſes decem vixiſſe; Imperio autem vnum tantum præfuiſſe tradunt: peruenuſto totius corporis habitu, maieſtate oris, & blanda oratione, vt ſcriptores referunt, ſupra eius ſęculi heroas, maximè commendabilem: cum ore probo, graui, & maximè verecundo, ab ſancta quadam hilaritate eſſet valde conſpicuus. & præter generis nobilitatem (quæ haud dubiè clariſsima fuit) tot ſummorum Principum ſerie, vel ipſius Caroli Magni ſanguine inſigni, præterq; egregiam corporis proceritatem, ac Imperatoriam planè indolem, affuiſſe illi liberalitatem, ac munificentiam, quanta in nullo antea Principum: Religionis verò ac pietatis augendę, ſed vnius pręſertim continentiæ, quam Græci ſcriptores potiſsimùm celebrant, ſupra cæteras virtutes, ſtudium incredibile. Cum ſine virili prole deceſsiſſet Balduinus, Ioannę & Margaretę filiabus, quarum antè meminimus, in Belgio ſuperſtitibus, Flandriæ & Hannoniæ hæreditatem reliquit. quarum Ioanna maiore natu ſine liberis defuncta, Margareta, totorum bonorum, lege hæres fuit. à qua mox reliqui Flandriæ Comites, & Belgicorum Regnorum, ad inferiorem Oceanum, hæredes, per varias ſucceſsiones fluxerunt. Cęterum Traiectenſis, & equites prima luce Stenimaco decedunt, & triduo, ad Baliui caſtra Muniachum optatò perueniunt. quod oppidum ad Arzum fluuium, qui è Rhodope in Propontidem influit, conſtitutum eſt. Noſtri, totis caſtris gratulantibus, reduces ſalutantur. gratulationem cumulabat vnius Traiectenſis aſpectus. quem ex hoſtis carceribus, ſaluum aduenisſe mirabiliter gaudebant. gratiæ his etiam actæ, qui periculoſum, implicatumq; negocium generosè ſuſcepiſſent, & incolumem ad caſtra Raynerium reduxiſſent. Tum, è veſtigio inter Barones & Venetos de conſilio capiendo communicatum. hoc conſultatio

habuit:

habuit: vt rectà Conſtantinopolim pergerent, vbi Henrico Baliuo, fratri Balduini Imperatoris mortui, ad Diuæ Sophiæ diadema Auguſtale, more Græcorum Cęſarum imponerent. Thedorum interim Branam, Gręcis Adrianopolitis, & Didymoticinis Ducem relinquerent. Super hęc, Baliuus Imperij eidem quadraginta equites attribueret. noſtri iuſtis itineribus Conſtantinopolim perueniunt. Ibi hilarem in modum excipiuntur, victores multitudine rerum geſtarum, nimium quàm glorioſi. &, cùm Græcorum ſociorum deſideratorum è ſummis obſidionum periculis liberatione, tùm ſuorum præcipuè ciuium conſeruatione nobilitati. Ab vrbanis verò & inquilinis, lætitiæ quantum animis exprimere poterant, ab omnibus omnium ordinum, atq; generum hominibus habiti. Igitur in Vrbe Barones iuxta & Veneti, Henricum Baliuum Imperij, in Diuę Sophiæ, XIII. Kalend. Septembris, die Dominico, qui Aſſumptionem Beatæ Virginis ſequitur, anno poſt CHRISTVM natum milleſimo ducenteſimo ſexto, maximo Procerum, atq; omnium militum ſtudio & fauore, Auguſtum de more celebrant, atq; acclamant. Henricus igitur, in Diuæ Sophiæ templo ineundis Imperijs conſecrato, ritu Græco, qui in Alexij Cæſaris hiſtoria ſuperiùs explicatus eſt, Imperator, à Thoma Mauroceno Conſtantinopolis Patriarcha, inauguratur. Is Roma ſuperiore anno, altero poſt Patriarchatum adeptum, recens Conſtantinopolim appulerat: cuiq; Innocentius III. Pontifex Max. Raynerio Henrici Danduli Principis filio deprecatore, Patriarchatus author factus eſſet. ac poſt, eidem ex ſuis virtutibus ſatis noto, Archiepiſcopatum Thebæorum deſtinaſſet. Sed prius eodem loco, Henricus Imperator nouus ad Aram maximam, Benedicto Sanctę Suſannæ Cardinali in Orientis Eccleſia, eiuſdem Innocentij Romani Pont. Max. Legato, ipſoq; Mauroceno Patriarcha teſtibus adhibitis, iuratò promittit Marino Zeno Prætori Veneto, qui poſt Dandulum Imperij quadrantem, & ſeſquunciam Reip. nomine tenebat, caſtè ac inuiolatè ſeruare pactionem ſcriptam, quam ſuperiori menſe Octobris, dum idem Baliuus Imperium regeret, confirmauit; ratamq; & ſanctam partitionem, per diuiſores Imperij delectos factam, habere: ſimulq; & pacta Martio menſe, ſecundo ab eo iam anno inita, antequam Conſtantinopolis caperetur, & Alexius Ducas Murtzuflus Vrbe pelleretur. hæc ſtipulatus Zenus Prętor, ſpopondit Henricus Imperator. Eaq; præter idem Imperator, vt ſuæ erga Rempub. Venetam beneuolentiæ teſtimonium profiteretur, auxilium Venetis pollicitus, ad res quæ in eorum quadran-

te, & ſeſquuncia ipſis obuenerant, recuperandas, in quas Græcos, Myſos, & Triballos, non ſine ſcelere, ac vi inuaſiſſe fama conſtans erat. Vt Ioanniſſa Myſorum Rex, Henricum Imperatorem inauguratum, Theodorumq; Branam, cum quadraginta equitibus, copiola ſanè quam tenui, Conſtantinopoli, Adrianopolim, & Didymoticum Auguſtali beneficio, in ditionem miſſum reſcijt, dum cęteri in vrbe deſident, dum epulo Auguſtali, & ludorum celebritate, inaugurationi noui Imperatoris, muneribus oblectantur, & per multos dies gaudijs ſumma cum voluptate exultant, dum Barones Circos equitum curſu celebrant, Franciq; & Veneti manus non defendendo Imperio, ſed nouo Imperatori in theatris plaudendo laſſarent, & conſumerent, Exercitum de Myſis, Triballis, Cumanus, vndecunq; poteſt, maximum confecit, diuerſiſq, Hæmi iugis in Thraciam tranſmiſit. Iam verò (qui fons omnium incommodorum fuit) Theodorus Branas, munitionum ex diſciplina extruendarum non ſatis peritus, nondum muros Didymotici antè machinis Regijs quaſſatos, ac labefactatos, refecerat. Sic enim crebrò eos percuſſerat, vt pluribus locis non rimæ, ſed feneſtræ ad omnes hoſtis iniurias factæ, non peditem modò, ſed equitem admitterent. His Ioanniſſa inuitatus, omnibus copijs rectà Didymoticum petit. Machinamentis mœnia deuoluit, ſoloq; complanat. Regius eques, imbellem ſenum, iuuenum, impuberum multitudinem, in agris, & quaſcunq; raptor prædas compilare poteſt, abigit. Illo ipſo tempore, Adrianopolitani vicinorum incendio commoti & anxij, ab Henrico Imperatore ſubſidium ſupplices petunt. Didymoticum captum, & euerſum docent: omnia Ioanniſſæ incendio, & prædæ patęre. Is, quanquam calamitatum concurſu penè eſſet obrutus, ſuæ tamen fidei, & maieſtatis eſſe duxit, vrbem amicam, cuius egregia fides modò perſpecta eſſet, prædæ hoſtis eximere. Igitur, vt primùm celeberrimo Baronum conuentu, Auguſtali diademate accepto, atq; omnibus militiæ Præfectis in vrbanis magiſtratibus ſacramento adactis, & Auguſti nomen, & adminiſtrandi Imperij curam ſumpſit, Exercitu quàm maximo poteſt diligenter coacto, Adrianopolim iuſtis itineribus ad Branam contendit. quòd præcurſionem ad vrbem Exercitus, maximam partem equitum cataphractorum, non pateretur. Verùm vt fama ad Myſum pertulit Galloscum Exercitu aduentare, belli rationem commutat, & ad ſuos è veſtigio refugit. Inter hęc, Henricus Imperator Adrianopolim peruenit: & erectis tabernaculis ad vrbem, in pratis Imperatoria caſtra ponit. Branas Cæſarem ſalutatum procedit.

cedit. Ad eundem populares confugiunt, quorum preces lachrymis & ploratu mixtas, leniter audit. Docent, Ioanniſſam capto Didymotico, & funditùs diſturbato, præda opima onuſtum, ſuas vxores, & liberos, colonos etiam quotquot in proximis agris cępiſſent, ſecum omnes rapere: illum impeditum vix iter diei abeſſe. Imperator, ſe eorum iniurias, pro Imperij dignitate, & ſua in Theodorum Branam, atq; Adrianopolitas beneuolentia, non neglecturum reſpondit. Ad arma protinus conclamari iubet, & quàm celerrimè hoſtem inſequitur, ſi ei de manibus prædas, ac manubias eripere poſſet, certus pugnare, ſi hoſtis poteſtas fieret. Sed quantum noſtri approperare, tantum Myſus præcurrere: quem quatridui viam inſecuti, ad vrbem Beroen deueniunt. Beroe, Thraciæ vrbs eſt, Hæmum aſcendentibus ad Thracum montana, penes Crenum montem, cuius arcem Conſtantini Leonis Copronymi filij, quondam Imperatoris mater Irene, eadem Imperatrix cum filio quum ędificaſſet, Irenopolim appellauit. Beroenitæ, ad noſtrorum conſpectum vrbe derelicta, in Hæmi iuga & ſyluas, nota perfugia ſeſe abdunt. Imperator ad vrbem caſtra habet, quam frumenti commeatuſq; omnis generis, refertam offendit: atq; ob eam cauſam, biduum ibi agitat. Interim equitem, peditemq; expeditiorem, quoquo verſus, non irrito conatu, populatum dimittit. Regione omnibus rebus, pręcipuè verò gregibus, armentorum & bubulorum, reliquiq; pecoris, ornata & copioſa. Hi, intercepta ingenti præda, dum nemo vnquam reſiſtit, præteruecti Beroem & Thraciæ montana, luctuoſas Pliſcobam vſq; excurſiones fecerunt. ita, vt paſsim atrocibus incendijs Myſorum ædificia conflagrarent, & magnus Ioanniſſæ incuteretur timor. in caſtra redeunt prædarum feliciter dites. Exercitus inde Pliſcobam vrbem locupletiſsimam, ſed ciuibus vacuam, proficiſcitur. Ibi, tabernaculis poſitis, Græci ſpeculatores Imperatori referunt, Myſos, & Triballos, cum omni prędа, & manubijs in carros impoſitis, in valle conſediſſe: tantumq; ſex millia paſſuum abeſſe, & captiuos à ſe recognitos dicere. Extemplò Imperator negotium Gręcis Adrianopolitis, ſimul & Didymoticinis imperat, quibus duas equitum turmas addit. harum alteri Euſtachium fratrem, alteri Macharium Sanmanechaum, fortiſsimos Equites pręficit: cohortatus ne Myſum ſub ſarcinis, hoc auxilio freti, adoriri dubitarent, ſi ſuorum deſiderio tenerentur. Ita omnes vna acie in ordinibus ingreſsi, hoſtem cum pręda & manubijs in conualle aſſequuntur, vt de exploratoribus didicerant. Itaq; noſtri in Myſum necopinantem irruunt. ille

ſubſtinere. compluribus verò hominibus, & mulierculis, & equis, vtrinq; cęſis, & ſauciatis, Ioanniſſa pernici equo cum ſuorum paucis turpiter fugiente, Francus Dei Opt. Max. fauore, ea die, Myſum tot ſuperiorum bellorum ſucceſsibus indomitum hoſtem, vindicatis iniurijs, fudit & fugauit, caſtriſq; exuit: pręd as omnes & manubias, itemq; captiuos Græcos ſuis recuperat: & paſsim illatas antea iniurias magnificè reſarcit. In caſtra præire, quò, non niſi multa nocte peruenerunt: Exercitus nouiſsimus ſequi; hoſtem, ſi erepta per noctem receptum veniret, prohibiturus. tanta porrò in reditu multitudo fuit, vt ordinatim incedentes, quatuor millia paſſuum longè occuparent. Hęc certè recuperatio, vt maximi periculi, ita maximi momenti fuit. Nam præterquam in mancipio hoſtis fuerat, virorum, mulierum, puerorum ad viginti millia, captiua veſtis, ac cętera pręda, ac manubiæ, vix tribus carrorum millibus portabantur: cui rei tanta ęquitate noſtrorum moderatum eſt, vt quiſq; ſuos, ſuaq; recognita aufetret; ac ne vnus quidem repertus, qui ſe non fateretur in integrum reſtitutum. His rebus Imperator Henricus, cęteriq; Barones vehementer gaudere, Dijſq; immortalibus gratari, omnibus hoſpitia in proximo, iuſſu Imperatoris præbita. Imperator alterum diem Pliſcobæ, rebus Græcorum qui ex hoſte recepti eſſent, componendis, agit. Poſtridie eius diei, omnibus ad ſuos redeundi poteſtate facta, in viam Adrianopolim ſe dedit. Hoſtiles prædæ quarum maxima copia fuit, in Exercitus partes ceſſere. Ibi diebus quinq; rebus ordinandis conſumptis, Didymoticum concedit. Poſitis ante vrbem caſtris, quomodo capta fuiſſet, ex ciuibus cognouit: quę damna ab hoſte accepiſſet, & ruinas inſpexit: an Caſtellum eo munitionis reſtitui poſſet, vt propugnaculo Conſtantinopolitani Imperij, ac tuitioni foret. Hac de re cum Baronibus, & cæteris Ducibus deliberationem habuit; quorum ad vnum hic ſenſus fuit, vt Didymoticum relinqueretur, quòd, nec munitu facilè eſſet, tam breui, & tam difficili tempore.

PAVLI RHAMNVSII VENETI

DE BELLO CONSTANTINOPOLITANO

LIBER SEXTVS.

EODEM tempore, Ottho Rocha, domeſticus Bonifacij cliens, idemq; arcani conſilij particeps, vnus certè Procerum facilè princeps, Rocha Montisferrati Vrbe ad Tanarum oriundus, à Bonifacio Theſſalonicæ Rege Legatus, iungendæq; affinitatis author, & ſponſalium præcipuus interpres, cum mandatis nominatim de Agnete eius filia nuptui collocanda, Didymoticum ad Imperatorem in caſtra venit: atq; in eam rem peracuti ingenij ſui ſtudium, & vim omnem dum explicaret, memorat Bonifacium, filiam iam nubilem, quæ ſuauitate formę, & morum elegantia plurimum excelleret, ex Tranſpadanis Theſſalonicen, ea gratia accerſijſſe, vt ei deſponderet; qua de re etiam antè inter ſe egiſſent. Henricus, ab Otthone cum ſtipulatus eſſet puellam in matrimonium ductum iri, Otthoq; Bonifacij nomine viciſsim ſpopondiſſet, & precium dotale apud Auguſtum Imperatorem nihil maius futurum eſſet pollicitus, quàm inſignem lectiſsimæ virginis formam; Theſſalonicenſium, ac Conſtantino-

tinopolitanorum concordiam, & in duobus proximis Regnis incomparabili Græcorum, & Latinorum commodo, tranquillitatem afferentem. Placuit vtriq; ſponſalia facere. Pactis itaq; nuptijs, Legatus Rocha Theſſalonicen reuertitur. Imperator interim milites è præſidijs, & ſtationibus conuocat: omnes iubet prędas, Beroes direptione partas & auectas, in medium collocare. Ita, iuſtis itineribus peragrato Adrianopolitanorum interiore agro, in Myſorum fines peruadit. Sed Henrici aduentantis fama, rectaq; in inferiorem Myſiam pergentis, Myſi metu perculſi, fermè omnes vrbibus profugere, & in proximas ſyluas, atq; Hæmi rupes, ſe recipere cœperunt. Nemine vſquam reſiſtente, Thermas oppidum cum Exercitu venit. Ea Scopiorum vrbs eſt, ædificijs ſpecioſa, in Triballorum agro ſita, altera Hæmi parte, qua ad Iſthmum vergit, calidarum aquarum medicę ſalubritatis fontibus nobilis, vnde illi nomen. Oppidum vacuum capit, & diripit. Aquilum etiam propinquum (ea erat Triballorum Regia) opima omnis generis pręda ditatus, Therma quarto, quàm capta eſt die, ingreditur, & muris turribuſq; complanatis, excindit. mox Thermas Henricus miſerabili vaſtitate diſturbari, atq; incendi iuſsit: quum nuſquam alienę calamitatis miſericordia, cędibus & ruinis gaudentem Barbarum animum mouerent. exinde omnes manubijs onuſti, inſtantis iam hyemis frigora pertimeſcentes, circiter Kalend. Nouembris, Adrianopolim ſeſe ſine offenſione recipiunt; quòd hyems à bello quietem faceret. quo tempore, Henricus Imperator & Barones, defatigatione bellorum, Conſtantinopolim in hyberna remigrarunt; Gręcis, quos tot periculis ipſorum cauſa à ſe obitis, in fide confirmarat, Adrianopoli cuſtodiæ relictis, & vnà Petro Randingiano, vicenûm equitum Præfecto. Interea Theodorus Laſcharis, qui trans Propontidis, & minoris Aſiæ accolas, Pſeudo imperator dominatu tenebat, vti erat feruido, atq; ob id fluctuoſo ac præcipiti ingenio vir, pactas cum Imperatore Henrico inducias, dolo fregit. Imperator, vt Græci natura leuis infidelitatem comprimeret, Pegas ad Propontidem, quam veteribus Cyzicum fuiſſe meminimus, Petrum Braiaquellum, quòd ea vrbs ipſi fruenda beneficio data eſſet, Paganum Aurelium, Anſelmum Cahemum, Euſtachium Germanum ſuum, turmam equitum in primis bellicoſorum, ad centum quadraginta, mittit. Illi in Bithynia Laſcharim bello acriter laceſſunt, latiſsimè circumagunt, omnia diripiunt, diruunt, exurunt. adeò, vt vaſtitate & ſolitudine, ipſa detrimenta hoſti illata, clariſsimè pateſcerent: Bellum enim vt imperatum erat, igni & ferro decernunt, ac

popu-

populabundi tandem Daſchylium vſq; penetrant, quæ maritima Bithyniæ Ciuitas ad Propontidem, in peninſulæ formam. tribus lateribus Propontide alluitur; altera vrbis parte ad continentem poſita; Daſchylitico lacu in veterum Dolionum finibus nobilis. hoc oppidum benè natura loci munitum erat, propterea quòd penè totum mari cingitur; reliquum ſpatium, quà mare intermittit, quaq́; in oppidum è continenti ingreſſus eſt, Caſtellum erat antiqui operis deſertum, quondam muro, turribuſq́; & ingenti foſſa circundatum; nunc aliquot turres vetuſtate deiectas videre licet. Eò, noſtrum Exercitum Petrus Braiaquellus, vtilis Dominus introducit, oppidumq́; quòd ſibi fruendum conceſſum erat, munire cępit, murum, turreſq́; reficere. duo Caſtella excitat, & totidem portas. vnde noſter miles eruptionibus, & excurſionibus in Laſcharis agros factis, prædaretur, & quò prædas agens, tutò receptum haberet, quales iam tum in Daſchylij peninſulam raperent. Id certè oppidum, lippitudinis inſtar, oculo Laſcharis permoleſtum erat. Nam, vt Franco tuendo, ita hoſti reprimendo, opportuniſsimum. Ea de cauſa Laſcharis die, & nocte munitionibus inſidiabatur. Ibi, ſæpè acriter, magnis vtrinq́; acceptis incommodis, pugnatum. Sed tantiſper Theodorum Laſcharim mittamus, vt quod rerum geſtarum ſeries, ratioq́; hiſtoriæ poſtulat, de Theodorico Loſio Imperij Seneſchallo, qui Nicomediam aduenerat, memoriam renouemus. Nicomedia vnius diei iter abeſt à Nicęa Bithyniæ, altera poſt captam vrbem, Auguſtorum Græcorum Regia, in qua pridem Græci Imperatores de more diadema accipere ſoliti erant, ex quo, Nicęa Metropolis iure cenſetur omnium Theodori ciuitatum. Loſius igitur cum parte Imperialis Exercitus, Nicomediam peruenit; quam vrbem ſuperiùs Bithyniæ Ciuitatum clariſsimam diximus, in ſinu, qui ab Aſtaco vetere vrbe, Aſtacenus dictus eſt. Vrbis arcem, conductis innumerabilibus operis, dirutam reficit; Diuæq́; Sophiæ Ædem cum ſacratis ædificijs peramplam & excelſam, quæ arcis ſpeciem ſpectantibus præbebat, ruinis deformatam, eandem parietibus excelſam, firmius refectam aduerſus Laſcharim, in belli vſum vertit, eamq́; caſtrorum loco habuit. In hoc rerum ſtatu, Bonifacius Monferratenſis Theſſaliæ Rex, Theſſalonica Amphipolim decedit, eam ruinis ab Rege Ioanniſſa fędatam reſtituit pariter, & Drammam ædificat: quo in oppido Ioanniſſa Rex, inſignes ruinas ediderat. Dramma, Macedoniæ oppidum eſt Theſſalonicæ prouincię, in valle Philippis circumiecta, iuxta campos Romanis aciebus iterum

con-

Digitized by Google

concurrentibus inſignes, quibus Marcum Brutum, & Caſsium Cæſaris interfectores, ab Auguſto, atq; Antonio olim fuſos fuiſſe memorabant. Tum verò Philippi, quæ altera vrbs eſt Macedoniæ, remota à mari, & ad flumen Strymonem verſa, non longè ab Amphipoli Colonia, celeberrima quondam vrbs à Philippo Macedonum Rege, Alexandri Patre, nomen adepta, omneſq; agri incolę, ſeſe in poteſtatem Bonifacij Marchionis ſubijciunt. oppida, vicos, diruere, agros vndiq; populari, & prædari. tanta vaſtitate fieri, vt tam longo interuallo Ioanniſſa hoſtis Serras, Drammam, & Philippos minus commodè inuaderet, niſi famem quæreret: neq; eò Exercitum ſine magno commeatu, atq; emolumento conduci poſſe. His rebus conficiendis multum temporis impenſum; adeò, vt adulta hyeme natalitia Dei CHRISTI feſta iam exacta eſſent. Inter eos dies, Marchionis Legati Conſtantinopolim ad Imperatorem perueniunt, ijdem, qui comites Marchionis Monferratenſis filiam, & Henrici Auguſti ſponſam, Theſſalonica Biremibus Abydon deduxerant. Imperator continuò lectiſsimos quoſq; de ſuis purpuratis, & in his præcipuè ſummi honoris cauſa, Gotthofredum Villharduinum Thraciæ & Campaniæ Mareſchallum, qui huius belli Commentarios conſcripſit, Henrici amicitia clarum, Milonem Brabantium Priuinum, datis muneribus Agnetem ſalutatum, & exceptum mittit. Iuſtis itineribus Abydum perueniunt. Ibi Legati ad eam adeunt, munera exhibent, nomine Henrici Imperatoris ſalutant, eamq; magna omnium lætitia, & gratulatione exceptam, comitatu ſuprà quàm ſcribi poteſt, ornatiſsimo, Conſtantinopolim deducunt, vt ſolennes nuptias, editis ſpectaculis, magno apparatu celebrarent. Puella virili animo, ſed Italico lepore, ac venuſtate peramabilis, ab Henrico incredibili ſumptu, apparatuq; excepta eſt, & ſub vmbella aurea, triumphali pompa in Vrbem deducta. Cæterum aduentantibus ferijs Carneualium dierum, ne appropinquarent ea tempora, per quæ Chriſtianis legibus vxorem ducere non licet, dies auſpicatò nuptiarum dicitur prid. Nonas Februarij, qui Dominicus dies à Purificatione Deiparæ Virginis ſecundus fuit: quo die Henricus Imperator, atq; Agnes illuſtrium Grçcorum matronarum choro comitata, in Diuæ Sophiæ, Deum Opt. Max. ſui in connubium perpetuum conſenſus, teſtem faciunt. Eo in templo, Auguſtæ nouę Nuptæ Henricus, & vir & Imperator, peractis de more à Thoma Mauroceno Patriarcha Sacris, caput Imperatrici calyptra, Grçcorum Auguſtarum ritu, cinxit. Itaq; honores maieſtati Auguſtæ debiti, hi ſingulares,

lares,

lares, & penè Diuini, ab omnium ordinum, atq; generum hominibus tribuuntur: Epulum namq; nuptiale apparatiſsimum; & lectus genialis in Palatio Bucaleontis regificè ſtratus; repotiaq; inſequentibus diebus ſummo ſplendore celebrata. Circenſium præterea ludorum in Hyppodromo aurigationibus, & haſtarum certaminibus tota Vrbe pręlætitia complurium dierum Græcorum, ſimul & Latinorum magnifica celebritas; dum admirantibus Græcis perpetuos dies conuiuijs, ſaltationibuſq;, & edendis ſpectaculis, nobiliſsimi quiq; Monferratenſes Equites, cum Francis decurrerent, & vtrinq; cultu virtuteq; certarent. Interim Theodorus Laſcharis, qui fide fracta (vti dictum) cum Henrico Imperatore bellum gerebat. Gręcorum equitum multitudinem in Bithyniam effudit, vt cum Henrici copijs confligant; aut ſi hoſtis armatus non occurrat, ferro atq; incendijs omnia Francorum oppida deuaſtarent. Itaq; Laſcharis, quò belli ſocium ſibi aſciſcat, Ioanniſſam Francico nomini, atq; Imperio inimicum grauem, ac maximè infeſtum, tunc ſuperioris belli diuturnitate feſſum & deſidem, quòd communem Martem, belliq; caſum nimium timeret, crebris Legationibus ſollicitat. Iam tempus veniſſe ſui vindicandi, & belli reliquias extinguendi. Imperatorem Henricum in Aſia bellum ſibi facere; eoq; tota mente atq; animo diſtrahi; ſperareq; ſe victo, & Aſia ſuo dominatui ſubiecta, Regem Myſorum facilè debellari poſſe; quod è contra illorum capiti euenturum certo iudicio auguraretur, ſi Francis alio, atq; alio loco diſtentis, conſociationem acierum præpedirent. Imperatorem ipſum, nouæ ſponſę illecebris delinitum, cum paucis Conſtantinopoli, deſidia atq; ocio langueſcere: Baroneſq; & Equites, populumq; Conſtantinopolitanum conuiuijs, ſaltationibuſq; dies inſumere, manuſq; in Theatro, non defendendo Imperio, ſed nouis maritis plaudendo conterere. ſi conſueta virtute paucitatem adoriretur, haud dubiam palmam reportaturum, quæ præteriti temporis iniuriam deleret, ſpemq; Francis poſthac Myſiæ inuadendæ pręcideret. ſe, interea loci negocium faceſsiturum. Legati hoc vnum inſtare, cuius cauſa Legationem inſtituiſſent, Imperatorem iſta paucitate contra duos vix, ac ne vix quidem ſatis defenſum iri, nec duos Exercitus, alterum in Aſia, Boſphoro & Propontide interiectis, alterum in Europa grauiore rerum ſuarum incommodo, & miſerabili prouinciarum excidio, ſubſtinere poſſe. Eo tempore, ita bona fortuna tulerat, Rex Exercitum permagnum, ex Myſis & Triballis comparauerat. Iam hyems præcipitauerat, ac ver ipſum appetebat. dimi-

MCCVII. dium enim menſis Martij agebatur, qui dies in primam quadrageſimam inciderant. Itaq; Macharius Sanmanechaus id belli tempus peropportunum ratus, murum Caſtello Characi circundare inceperat. Id Caſtellum Conſtantinopolim verſus ad ſinum Aſtacenum, qui Nicomedenſis dicitur, conſtitutum, olim maximum Emporium, duodecim paſſuum millibus Nicomedia procul. diuerſum etiam Caſtellum, olim Cium Emporium, non procul accolentis Phrygiæ à Myleſijs conditum, vel ipſius Apollonij ſummi Vatis teſtimonio, Argonautarum hoſpitio celebre, ad ſinum, inde Cioticum dictum Aſtaceno ſinui continuum, & ad Orientem Solem magis recedentem Nicæam verſus ſitum, tunc Ciuitotium à Nautis appellatum, Guilielmus Senonus muniebat. Regis Ioanniſſæ, & Laſcharis coniuratione, Imperatori Henrico tantum negocij exhibitum fuiſſe, teſtis eſt Villharduinus Mareſchallus, quantum homines vix meminiſſe poſſent: cogebatur enim diuiſis copijs, inani ſpe pluribus locis bellum adminiſtrare. Per idem tempus, Ioanniſſa Myſorum Rex, ſuis copijs, & his maximis, Cumanos ex Scythis adiunxerat, homines prædandi, quàm præliandi peritiores, magiſq; irritare pugnam, quàm decernere, & collato pede certare aſſuetos. Itaq; horum omnium viribus in vnum coactis, Thraciam peruadit. Cumani aſtu, pernicitate, atq; velocitate præferoces, agrum Conſtantinopolis excurrere, & populari, & quæ ipſorum audacia eſt, repentini & inſolentes erumpere, vrbiſq; ipſius portis adequitare. Rex, alia parte Adrianopolim, vallo & foſſa circundare, muros & turres, tribus & triginta machinis, quę mangana appellantur, percutere; qui defenderent, tantum Theodorus Branas, Græciq; & vnà Petrus Randingianus, cum viginti equitibus vrbis præſidio relicti erant. Sperabat enim Myſus, poſtquam Branam & Adrianopolitas vi ſubigere non poſſet, ipſos tamen diuturnæ obſidionis incommodis minimè ſuffecturos. Illi, tàm repentinæ & periculoſę obſidionis, certiorem Henricum confeſtim faciunt, ab eoq; ſubſidium petunt. nuncio obſidij Henricus valde angi, cum noſtrorum calamitates accumularentur. Nam Branæ & Adrianopolitanis opitulandi, vix rationem inire poterat, ſuis copijs aliò, atq; aliò disiectis. Nam illi bellum vltra Propontidem contra Laſcharim agitandum: & minima copia bonorum militum, cum ipſo Conſtantinopoli erat. Ita ne hoſtem quidem in leui armatura, decurſionibus arcere poterat; omnia vaſtantem, & exurentem quæ incurreret: nedum obſeſsis auxilium, atq; ſalutem afferre. Baronum concilium vocat. horum decreto Conſtantinopoli

poli

poli omnium ordinum, atq; generum hominum delectus ex tota Vrbe habetur. vnde quanta maxima poſſet vis militum coacta, circiter Nonas Maij, Adrianopolitanis auxiliatum, Vrbe egrederetur. Ea re Daſchylium, vbi copiarum maiorem partem haberet, mittit, qui præſidia rebus omnibus poſthabitis, ad ſe venire iuberent. Euſtachius ipſius Imperatoris frater, & Anſelmus Chaemus cum parte copiarum ad Imperatorem celeriter nauigant, Petro Braiaquello Daſchylij præſidio, & tutelæ cum paucis relicto. Vt Laſchari nunciatum Adrianopolim à Rege Ioanniſſa circumſideri, & Henricum Imperatorem imparatum, & multo ſpacio à ſuis equitibus diſiunctum, præſidia vndiq; accerſere, in tanta præterea conſilij anguſtia eſſe, animoq; ita perturbato, vt quà potiſsimum hoſti occurreret, iudicare non poſſet, copias quàm maximas cogere admaturat. Itaq; ad Daſchylianorum conſpectum tabernacula intendit, & è veſtigio hoſtem ad certamen elicit, & ad manus venitur. Hic crebrò magna vtrinq; detrimenta manibus conſertis data, & accepta. Laſcharis verò, quò Græcorum nemo eius ſęculi Dux, vel in conſilio capiendo ſolertior, vel in exequendo acutior, & efficacior habebatur, vt defenſorum paucitatem animaduertit, nihilq; inde periculi ſibi impendere, atq; imminere ſpeculatus eſt, magnam partem Exercitus, & nauigiorum, quæ in manu haberet, ad Caſtellum Ciuitotium, quod Cium paulò antè diximus, nunc Schium vocant, celeriter conducit. Id Caſtellum, quod vitium feciſſet, Guilielmus Senonus reficiebat, & erectis munitionibus in belli vſum adornabat, Theodorani tamen circiter Kalend. Aprilis, dimidia iam quadrageſima, terra mariq; celeriter oppugnare aggreſsi. In Caſtelli prȩſidio erant quadraginta equites Franci, virtute animi, & corporis viribus inſignes, quibus Macharius Sanmanechaus præerat. Verùm Caſtelli munitiones non ita exædificatæ, & refectȩ erant, quin cominus haſtis, atq; enſibus decerni poſſet. Ideoq; Theodorani ſumma vi erumpentes, coactis agminibus, & intento remigio, impetum terra, mariq; faciunt. eoq; toto die quem Sabbatum nominant, prid. Kalend. Aprilis, ad primas tenebras pugnatum. Hoc Villharduinus in ſuis Commentarijs, Theodoranis, & quadraginta equitibus prȩclaræ virtutis ſummo periculo cognitȩ, teſtimonium dedit. magno quidem animo Caſtellum, terra, mariq; oppugnatum, ſed maiore propugnatum. Theodoranis gloriam, at Ciotijs, vnà & quadraginta equitibus Francis, aduerſus tantas Laſcharis copias pugnantibus, gloriam ſimul & ſalutem peperiſſe; ſed eam omnino non incruentam.

cum vix quinq; equites Franci ex illa fatali ad honorem turma, ſine vulnere fuiſſent, vno Ægidio Milonis Brabantij Priuini nepote excepto, qui dolore vulneris, cruciatus & abumptus eſt. Paulò antè huius pugnæ initium, die ſabbati factæ, oppidani cognito hoſtium conſilio eximiæ pernicitatis hominem, Conſtantinopolim repentè mittunt, qui res in ſummum diſcrimen adductas doceret. Is, incitato equo cum in Vrbem peruolaſſet, Henrico Imperatori in Palatio Blachernarum prandenti, nuncium affert, à Theodoranis Cium terra, mariq; inſideri; niſi, primo quoq; tempore noſtris ſubueniatur, omnes breui, aut oppetituros, aut quod acerbius, in hoſtis poteſtatem venturos. Idem audiunt qui fortè cum Imperatore prandebant, Conon Bethunius, Gotthofredus Villharduinus Campaniæ & Thraciæ Mareſchallus, Milo Brabantius Priuinus, alij etiam, ſed hi pauci auditores aderant. Illi attonita, & valde ſuſpenſa mente ex cogitatione periculi, cum aliquandiu ſtetiſſent, rem protinus cum conſilio, & cura agitare. Imperator hac re audita, nihil ipſo ore perturbatur, ſed erecto animo, expeditum capit conſilium ferendæ opis; & de communi ſententia repentè è veſtigio ad maritimam oram feſtinans, ſignum tuba dari iubet, & Galeonem conſcendit. vnà eodem, quotquot commodum vehi poſſunt, aſcendunt. Mox, tota Vrbe præconibus circummiſsis pronunciatur, vt omnes in numeros ſtatim relati, illico arma capiant, & Imperatorem Cium proficiſcentem, ſumma feſtinatione conſequantur, vt Francis, qui Cio oppido circumſiderentur, quamprimùm opem ferrent, niſi eos aut ferro necari, aut mancipia hoſtis fieri vellent. Ad præconium, parent edicto milites, tanto ſtudio, vt omnes copiæ ad ſigna facilè conuenirent, & totam Conſtantinopolim portis ad portum tumultu effundi; Venetos, Piſanos, atq; alios inquilinos, qui rei naualis aliquem vſum haberent, voluntarios ad naues concurrere cerneres. tanta erant omnium, ſed Venetorum præcipuè, in tuenda obſeſſorum ſalute ſtudia; tanta voluntatum conſenſio, alacritas, atq; certamen, vt numerus omnibus nauigijs capi non poſſet. Ita, vbi ſibi quiſq; primum itineris locum peteret, eodem equites expediti repentè ruunt, & arma comportant. Ea re conſtituta, portu naues confeſtim ſoluunt: quibus à Prandio in craſtinam lucem remigio actis, Imperatorem ſequuntur. Imperatori qui nuſquam itinere intermiſſo, tàm multa luce nauigaſſet, Aſtacenum ſinum orto iam ſole prætervecto, mox Cioticum ingreſſo, Cium procul apparet. Simul Theodorani, qui Caſtellum terra mariq; circumſedebant; ſimul & noſtri, qui ea nocte ſumma conſtantia excubantes

bantes

bantes ſomnum oculis non ceperant. Sed in continenti munitionum opera fuerant, quamuis à vulneribus ęgrè haberent, vt qui extremum fatum expectarent. Imperator Henricus, quid hoſtis terra mariq; moliretur diligenter explorat. dum autem oppidi ſitum, & murorum altitudinem ſpeculatur, videt hoſtem ad oppugnationem iterum accingi, quia impetus, oppidi ruina eſſet. Sed quid agat, vix ei ſatis liquet. ſuorum paucitatem, reliquorum periculis, & ruinæ temere illaqueandam non putabat. Ipſum pauci conſecuti, Gotthofredus Villharduinus Mareſchallus, alio nauigio vectus, Milo Brabantius Priuinus, quidam Piſanus, itemq; vnicus eques. In ſumma, claſsiculam ſeptemdecim nauigiorum, nec ſatis in tumultu vrbano extructorum habebat: cum ex aduerſo Græcus hoſtis, claſſe ſexaginta nauium numero, Caſtellum acriter oppugnaret; eo euentu, vt ſub arce conſtitutis nauibus, neq; terra, neq; mari aditus vllus liber, aut tutus exituris, vel ingreſſuris relinqueretur. & ſi Gallico more armatorum cuneis effectis, noſtri portis erumperent, facilè à Grę corum multitudine qui in caſtris erant, intra vrbem cum detrimento retruderentur. Imperator hoc cum animo ſuo reputabat, ſi reliquam claſſem in anchoris expectaret, & pateretur Theodoranos, integros & recentes, in ſaucios, & defatigatos ruere, de ipſis actum eſſe: nec tamen ſeſe animo proſternit; quinimo expeditum conſilium capit, quoniam Mars communis eſſet, & ſæpe parua manu copiæ maximæ funderentur, & fugarentur, claſsiculam cum hoſte committendi. Vt igitur ſuos tàm eleganter, quàm tutiſsimè, equitum more, toto corpore armatos vidit, ſuorum virtuti confiſus, aduerſariorum vires magnoperè deſpiciens, cohortatis remigibus, atq; agmine facto, gubernatores in hoſtem audacter roſtra dirigere iubet. Hos, Theodorani ad ſe ruere vt ſuſpexerunt, ſtatim ab Vrbe auxilium credidere. Itaq; in veſtigio, relicto Ciuitotio, in apertum mare progredientes, ſeſe ad pugnam offerunt, & in noſtros appellunt. Exercitus verò obſidio, qui Caſtellum terra oppugnabat, remittere; & in litore conſidere, vt euentum claſsium ſpecularetur. Ita, Imperator ſeptemdecim nauiculis, ſexaginta numero nauium, iniqua conditione, claſſem diſtinet; & ita anguſtè vrget, vt pugnę ſpectatores, ſublatis clamoribus de litore ſuis inclamarent, Imperatorem compoſitò ex Ceratino ſinu, qui portus Conſtantinopolis eſt, auxilio in Cioticum ſinum, Caſtellanis inuectum. Eò, paulò ante noctis tenebras, tanta ex Vrbe auxiliarium nauigiorum copia, per ſecundam Propontidem applicuit, vt noſtri facilè mari ſuperiores eſſent. hidem tamen armati, totam noctem inſomnem

ſomnem egerunt, & naues in anchoris alligarunt. Inde conſilium in negotio communiter capere, vt ſimulac diluceſceret exirent, & cum hoſte, ſi pugnę poteſtatem faceret, in litore prælium committerent, eumq; claſſe exuerent. Ita, Henricus Imperator, prouecta claſſe & armata, qui modò ab hoſte metuebat, repentè metui cępit. Sed Theodorani deſperata victoria, quòd claſſem noſtram præſidijs auctam & firmatam viderent, ſeſe Laſchari incolumes ſeruare, quàm aliquem aduerſæ ſortis caſum ſubire, maluerunt. quanquam id conſilium, vti fęde captum, à Græcis maximoperè improbaretur. Itaq; ſiue noſtrorum conſilium alicunde exploraſſent, ſiue per ſe proſpexiſſent, naues clam media nocte ſubducunt, omneſq; ad vnam, incendunt: mox per continentem ſe in fugam conferunt, & Cium deſerunt. Erat opinio orta primo à Præfectis Theodori, ac demum edita in vulgus, Laſcharim in Ciotios terra, mariq; eſſe progreſſurum, vt equitatu & claſſe, ſed terreſtribus potiſsimùm copijs, qua parte virium erat ſuperior, vndiq; præmiſsis aciem oſtentaret: & ſi Franci equites Cio exirent, iuſto prælio congrederetur. Sed, ab ea ratione aliena fuga, & receptus in interiorem continentem, & ſuccenſa claſſis, adeò timorem antea de Theodoro, & Gręcis non ab re conceptum, ex animis noſtrorum deterſit, vt mox qui tanta Gręcorum mole incubuiſſet, tantæ arrogantiæ, & faſtus Imperator exiſtimatione ſpoliatus, turpiter profugiſſe crederetur: Græcoſq; iam ſæpius Franci, vti ignaros, rudeſq; militię, obſidionumq; pręſertim, penitus irriderent. poſtquam oppidulum tot circumſeſſum copijs, multorum dierum ſpacio capere nequiuiſſent. Cæterum, duabus de cauſis ſuccenſis nauibus eam fugam Theodoranos cępiſſe, de iiſdem Græcis noſtri poſtmodùm didicerunt. primò, ſicuti ipſi iactabant, vt proximam Nicomediam, & Loſij Seneſchalli equitatum, breuiore compendio Aſtacenum ſinum circumuecti, aggrederentur: quem commeatu, reliquiſq; munitionibus nondum vrbem firmaſſe cognouiſſent. ſecundò, quòd Cium vti mari cinctum, & valido equitum præſidio firmatum, nequaquam ſibi tentandum eſſe decreuiſſent, quo ab noſtris inſeſſo, atq; in tergo Græcis relicto, ad Nicomediam ſanis hominibus minimè fuerit procedendum. Nos potius credimus, Theodoranos proſpecta omnium Baronum ad id ſubſidium alacritate, cognitoq; Imperatoris aduentu cum maritimis præſidijs, de quorum numero ad eos ampliora, & maiora vero à ſpeculatoribus deferebantur, repreſsiſſe animi ferociam, & potius ſe recipere ſuccenſis nauibus, & amiſſa claſſe, quàm ancipiti euentu noſtrorum vires, quas

toties

toties experti erant, collatis ſignis iterum experiri maluiſſe. Noſtri tàm ignominioſa hoſtis fuga, quàm fatali obſidionis ſolutione, meritò gaudere, Dijſq; immortalibus gratias agere, & victoriam gratulari. Imperator multo manè, itemq; cæteri omnes in terram deſcendentes, Caſtellum inuiſere. Offendunt ſuas multò maximam partem aut vigilijs attenuatos, atq; ægros, aut ſaucios. Inſpiciunt etiam Cium, non ita loci natura munitum, vt etiam operibus defendi poſſet. Itaq; Imperator muris de Venetorum, & Gallorum ſententia diſiectis, cum ſuis celeriter collectis, naues conſcendit, & ſuperata Boſphori rapiditate, in Vrbem reuertitur. Interea Ioanniſſa Rex, ingenio ferox, laboris impiger, vetere conſilio ſuo innixus, nihil animo conquieſcere; veritus ſemper, ne ſi Francos Gręcia non exterminet, ab illis ipſe Regno pellatur. durabat ille in Adrianopolis obſidio, machiniſq; muralibus, ita Vrbem & turres perculit, & labefecit, vt admotis fabris, & perforatis męnibus, in magnam ſpem eius potiundæ veniret: eoq; ſæpe in muros aſcenſus arreptis, & appoſitis ſcalis tentatus; ſæpe machinationes, & tormenta in portas, in turres, promouebat: ſed tanta defenſorum virtus, atq; ea pręſtantia animi fuit, vt fortiter propugnantes, & ad omnes hiatus, hoſtilemq; impetum aduolantes, ei non diuturnam ſpem relinquerent: Adhęc Græci, qui Barbaros, oppugnationum artificium paulò antè docuiſſent, his facilè occurrebant; vt iam Rex, dolore tantæ fiduciæ ad irritum cadentis, de receſſu facilè cogitaret, retrocedendumq; inde ſtatueret. Latini tamen & Græci, ne quid intentatum reliquum eſſet, crebris litteris, & nuncijs ab Imperatore opem orare non deſiſtebant. hoc vnum ſignificare; niſi confeſtim militum, & commeatus auxilium miſeris apportet, omnino perituros. Imperator in tantis rerum aſperitatibus animi fluctuare, qui huc, atq; illhùc vno tempore ad opem euocaretur. Nam, ſi his ſubueniat, illos deſerat neceſſè eſt. Imperator Thraciæ opituletur, vt minus occurrat Myſus, Laſcaris Aſiæ imminebit; Aſianis Imperator auxilietur, eius receſſu Myſis continuò maiores ſpiritus, capiendaq; Adrianopolis fiducia maior accedet. Ita Myſorum Rex, menſe Aprili Adrianopolim obſedit, nec quicquam propius factum eſt, quàm vt caperet, ſiquidem continuata quaſſatione, muros & turres duobus locis labefecerat, ſoloq; æquarat, vt iam minutis prælijs cominus lanceis, atq; enſibus concertaretur; atq; ita ſæpenumerò, pede collato pro muris vtrinq; fortiter dimicatum; multi vtrinq; cæſi, multi vulnerati, atq; hinc nonnulli cruciatu vulneris, & dolore confecti. Sed ea erat Gręcorum

corum, & Latinorum propugnatorum conſtantia, ea virtus, vt nihil tanta Triballorum, & Cumanorum multitudine, terrerentur: & probè ſe męnia defenſuros, & extrema quæq; omnia paſſuros dicerent, modò ab Auguſta optimi Cæſaris liberalitate, opportuna militum, & commeatus pręſidia, nondum perditis, vel conclamatis rebus, mitterentur. Cæterum hoc pro incommodis non infeliciter cecidit. Scythæ, quos Cumanos diximus, ſtipendio muneribuſq; trahi ſolitos, leuibus quidem certaminibus pugnantes, iuſto pręlio certandi inſuetos, & à Rege in agrum hoſtium ad prædas euocatos, opimis prędis onuſti, ad ipſum, Adrianopolim reuertuntur: miſsionem domum petitum, & ſi liberum commeatum non faciat, certi tamen Sarmatiam in ſuos fines, proficiſci. Itaq; Regi exponunt, ſe neceſſaria de cauſa in patriam accerſi, eoq; diutius ipſi nauare non poſſe, petere vt eius bona venia, ad ſuos redire liceat. Ita emenſa inferiore Myſia, Thyræq; & Boryſtenis oſtijs ſuperatis, per Tauroſcythas, & Roxolanos ad Moetim properant, & iuſtis itineribus domum concedunt. Rex, Cumani auxiliarij ſpe deiectus, reſiſtendi animum abijcit, ea obſidione nihil vltra tentata prælij fortuna: itaq; vrbe relicta de ſuorum Ducum conſilio, Ternobum per Hęmi valles iter conuertit, & ſe in Myſiam recepit. Cogitanti profectò cuiuis Regem potentiſsimum tantis copijs, rebúſq; omnibus quibus bellum adminiſtratur ornatum, & copioſum, eundemq; hoſtis vlciſcendi præter cæteros auidum, vrbis etiam męnibus duobus locis diſturbatis, vt iam extremo facto propinqua foret, quandoquidem tam pauci cum innumerabili Exercitu prælio contendere cogi poſſent, re tamen infecta ad profectionem in patriam accitum, obſeſsis Deus præſens adfuiſſe videtur. Hoc adeò verum eſt, prout Dei nutus, & voluntas eſt, in cuius manu omnia exiſtunt, ita homini euenire. Nec tamen Adrianopolitæ tardiùs Imperatori nunciare, quanto in periculo verſarentur. Regem ſeceſsiſſe, quo paratior ad ſe de improuiſo reſiliret. Idcirco obnixiſsimè de auxilijs ſupplicare, ſi vrbem obſeſſum, & oppugnatum rediret, homines fidelitate erga ipſum ſumma pręditos, fędè perituros. Propterea Græcis exanimis, animum ſua ope (quòd poteſt) reſtitueret. cogitaret Regem indignitate Græcorum, atq; Latinorum odio exardeſcere, & quòd præſens excidium intentat, vrbem ab omnibus neceſſarijs rebus nudam, illum verò abundare. Imperatori iam profectionem Adrianopolim inſtituenti, & cum omnibus copijs egreſſo, renunciatur Ioannem Styrionem pyratam ſæuiſsimum, è Calabria oriundum, Theodoranæ claſsis ductorem, à

maris

Digitized by Google

maris appellatione, Grȩca voce in Francicam detorta Hamiralem dicunt, ſeptemdecim Biremibus, Abydi anguſtias ſuperaſſe, & in Propontidem iam claſſem penetraſſe, iamiam ad oppidum Daſchylium in Bithyniam applicuiſſe, quod Petrus Braiaquellus, & Paganus Aurelius cuſtodiebant. Ipſum mari, Theodoranum autem Exercitum terra, oppidum inſediſſe. prætereà quòd Imperatorem vehementius maceraret, & torqueret, Daſchylienſes rebellionem feciſſe, & Petrum Braiaquellum Dominum ſuum, cui iurato fidelitatem dederant, deſeruiſſe. Adhæc, Proconeſios ipſius clientes fidem violaſſe, & defeciſſe; itemq́; milites Braiaquelli magnam partem perdidiſſe. Proconeſus, inſula eſt Propontidis, Helleſponto Conſtantinopolim nauigantibus ad dextram, iuxta Cyzicum ſita: Helaphonneſus olim dicta, Cyzicenis marmoribus nobilis; ex quo, continuata poſteris Cyziceni marmoris memoria, inſula poſtea marmoreæ nomen adepta eſt. Hæc inſula, Braiaquelli ab Imperatore Henrico, ob eximiam in dubijs aſperiſq́; rebus, fidei, pietatis, & expediti conſilij laudem, beneficium, ideſt feudum erat. Nuncius adeò triſtis, ita Imperatorem Conſtantinopoli exacerbarat, vt dum facinus profundè admodùm, & grauiter in pectus deſcenderet, ei nihil adhuc ſtaret, quod ſequeretur. Verùm ex tempore, id expediti conſilij de Baronum & Venetorum ſententia cȩpit, Petro Braiaquello, & Pagano Aurelio prorſus opitulandum. Imperatoris enim auxilio orbatos, morti, & prȩdæ proculdubio hoſtibus addictos iri. Auguſtus repentè ex veſtigio quatuordecim biremes Venetas comparari, Trierarchoſq́; de Venetis nobilioribus, & prȩſtantioribus, quiq́; maiorem rei nauticȩ vſum haberent, inſtitui iubet, Baroneſq́; eodem imponit. Protinus Conon Bethunius Imperij Prothoueſtiarius, Biremium vnam cum ſua manu conſcendit: alteram Villharduinus Mareſchallus; in tertiam Macharius Sanmanechaus, ſe ſuaſq́; copias intulit: in quartam Milo Brabantius: in quintam Anſelmus Chaemus: in ſextam Theodoricus Loſius Imperij Seneſchallus ingreſſus. Guilielmus Perticenſis, ſeptima. Euſtachius Imperatoris germanus frater, octaua vehitur. Reliquas ſex, qui ex Venetis virtute cæteris prȩſtarent, à Marino Zeno Venetorum Conſtantinopoli Prætore delecti, alacriter conſcendunt. ſingulis verò Biremibus tales, & conſimili virtute, & fide milites Imperator aſcribit. Claſsis viris, claſsiarijs, & armis, apparatu maximo inſtructa, ſummo ſilentio, & ſingulari celeritate portu Conſtantinopoli ſoluit: quæ res, tum Adrianopolis ab Imperatore auxilium tantiſper retardauit, dum Daſchylium obſidione li-

beraretur. Igitur claſsis Boſphoro egreſſa, & ſecunda Propontidis nauigatione vſa, ad lęuam mox deflectens per tranſuerſum ęquor rectà Daſchylium verſus prouehitur. cuius rei certior factus Ioannes Styriones, Theodoranæ claſsis Hamiralis, protinus Daſchylio claſſem deducit, & inde Helleſpontum verſus, ſecunda Propontide noſtris non expectatis, ſe in fugam vertit. hunc noſtri biduum, dies noctibus continuantes extra Abydi anguſtias quadraginta millia paſſuum conſectantur: ſed, ſpe Styrionem remis, & velis ſecunda Propontide volantem conſequendi adempta, conuerſa repentè nauigatione aduerſo freto Daſchylium redeunt. Ibi Petrum Braiaquellum, & Paganum Aurelium ęquiſsimis animis vident. cognoſcunt etiam Laſcharim deſperatione oppidi capiendi ſumpta, ſed multo magis ipſorum aduentus formidine, celerius ſe fugæ mandaſſe, atq; Pruſam, quam hodie inuerſis, atq; immutatis litteris poſteriores Burſam vocant, ſe recepiſſe. Ita Daſchylio grauiſsima obſidione, & periculoſiſsima ſoluta, claſsis Conſtantinopolim reuehitur. Noſtri claſſe in terram expoſiti, quà breuius iter eſſet, Adrianopolim diuertunt, & inuiſunt; Branamq; & ciues collaudant, atq; in fide confirmant. At Laſcharis, ſuos Duces cum maxima copiarum parte, Nicomediam ad Aſtacenum ſinum in Theodorici Loſij milites præſidiarios mittit, quòd is Diuæ Sophiæ Ædem firmiorem refeciſſet, quam cum ſacratis ædificijs peramplam & excelſam, arcis loco haberet. Nicomedenſes miſsis Conſtantinopolim nuncijs, repentè Loſium ſuum patronum, necnon Imperatorem, aduentus hoſtium certiores faciunt, ſimul opem implorant, ita neceſſariam, vt niſi primo quoq; tempore ſibi ſuccurratur, funditùs interituros, omni interim ope, atq; opera aduerſus hoſtem conniſuros, atq; extrema morte, ſuam erga patronum, atq; Imperatorem fidem teſtaturos dicerent. Et quoniam commeatus inopia valde tentarentur, fas eſſe Henricum Imperatorem, fauore atq; adiumento erga Adrianopolitanos paulùm intermiſſo, Nicomediæ omnium Imperij ciuitatum fideliſsimæ penè cadenti, opem ac ſalutem afferre, atq; Exercitum quantum maximum cogere poſſet, Propontidem in Aſiam traijcere. Eam vnam rationem eſſe, & Nicomediæ in libertatem vindicandę, & Laſcharis Tyranni opibus Imperij, & neruis non modò refrenandi, ſed etiam opprimendi. Imperator, Nicomedenſium precibus ſollicitatus, educta claſſe, & remige militibuſq; completa, ad Aſtacenum ſinum contendit, vt poſtquam ſuos præſidijs confirmaſſet, ignobiles Laſcharis motus, & inanem Gręcorum ſtrepitum, hincinde

pro-

prouocantium, & recedentium irrideret. Theodorani nunciato Francos aduentare, fugam ex agro Nicomedenſi Nicæam verſus, in interiorem Bithyniam arripiunt. At Imperator, hoſtis fuga audita, concilium conuocat. decernitur, vt Theodoricus Loſius Imperij Seneſchallus præſidijs ſuorum equitum, & Centurionum, ad Aſtacenum ſinum præſens Nicomediam tueretur: Macharius Sanmanechaus Characen proximum oppidum: Guilielmus autem Perticenſis Daſchylium cuſtodiret. Ita, Imperator vnicuiq; ſingula oppida in fide Imperij retinenda commendabat. His rebus confectis, Auguſtus ad Vrbem reuertitur,& reliquum Exercitum incolumem reducit. Ibi pauculos dies commoratus, ſuę dignitatis eſſe duxit, Adrianopolim iterum petere, & Hæmum verſus cum omnibus copijs, hoſtilem agrum populabundus incurrere, & vaſtare. Dum verò profectionem comparat (ita fortuna, hominum conſilia ſemper verſante) Theodoricus Loſius Imperij Seneſchallus, qui Nicomediam præſidio tenebat, & Guilielmus Perticenſis, quadam die ſuas copias in Nicomedenſem agrum populatum agunt, vt ingentem interciperent prędam, & magnum Gręcis timorem incuterent. Id Theodorani per ſpeculatores reſciunt, ſeq; comparant, vt tergis noſtrorum inſtarent, quos, numerus in noſtrorum paucitatem extimulabat. Gręcorum arma erant præter ſagittas, longiſsimæ haſtæ vtrinq; ferro præfixæ, quas agili manu comprehendebant. his ſumma peritia in pernicibus equis vtebantur,& aduerſi pariter, ac fugientes noſtros lethifera cuſpide vulnerabant. Ita, illi nouiſsimum agmen laceſſere, primùm leuibus pugnis, poſt, iuſta acie contendere. fit pugna atrox, ac diu anceps: quando Gręci numero ſuperiores, vim noſtrorum cataphractorum ferre non poſſunt. iamq; diſsipati, & diſiecti fugam oculis, atq; animis circumſpectabant, quum aduentante Conſtantino Laſchare Theodori fratre, Græci equites qui ad primam ſagittarum procellam noſtros expulerant, reductis cornibus noſtrorum aciem circumuenerunt. quo caſu, viri pariter, & equi mortiferis ſagittis ſternebantur, nulluſq; in medio circumuentis oſtendendæ virtutis locus relinquebatur. Ita, noſtri pauculi, ægrè plurimorum impetum ferentes omnes ferè capiuntur. In eo quidem certamine Theodorici Loſij præſtantis viri virtus enituit, ſed infelici euentu. fortiter enim pugnans, bis equo excuſſus, bis in equum ſuorum manibus ſublatus, alacris, eo die exempla militis, & Ducis optimi edens, aduerſo ore lethaliter vulneratur, & cum ſua tandem phalange acerbè à fortuna mulctatus, perpaucis ſibi fuga ſalutem quærentibus, captiuus

ad Laſcharim deducitur. Villharduinus Francus hiſtoricus, tametſi Gallicis huiuſce belli Commentarijs integrum de re cuiq; iudicium relinquit, quod tamen in ſe eſt, Loſij caſum timori & culpæ vnius Anſelmi Remenſis equitis adſcribit, qui impietatis dedecus, & tanti ſceleris facinus nihil animo reputans, Loſium Seneſchallum ſuum patronum in pugna cliens, cuius phalangis dux eſſet fiduciarius, turpiter deſeruit. atq; ille, quamuis periculum declinarit, nunquam tamen vti inexpiabilis infamiæ totius patriæ labes, & cladis author, Baronum ſermones & exprobrationes declinabit. Guilielmum verò Perticenſem egregiè pugnantem atq; equo deturbatum, ſui in equum ſubleuant: qui iam in manu ſaucius, cum ſe hoſtium impreſsioni imparem cognoſceret, mortem, equi velocitate, euitat. memor, ſapientis eſſe, nec carere exemplis, cedere interdum ferociæ, & rerum commodius agendarum captare occaſionem. Qui è manibus hoſtium euaſerant, & ad Diuæ ſophiæ arcem in tutum confugerant, Guilielmus Perticenſis, Anſelmus Remenſis, quiq; Nicomediam è prælio ſe receperant, nuncium Conſtantinopolim ad Imperatorem decernunt, qui eum acceptæ calamitatis certiorem facerent: qui Loſium Seneſchallum Imperij, & vnà phalangem ipſius captam docerent; ſe verò, in Diuæ Sophiæ arce apud Nicomediam, à Theodoranis circumſideri. Adhęc, omni commeatu qui in arce eſſet, ſe tantum quinque dies tolerare poſſe. proinde ſuppliciter opem implorare, idq; quam primùm facto opus eſſe, niſi obſeſſorum ſeruitute & morte, Imperij opes decreſcere; eadem verò de cauſa hoſtium ſpes, atq; animos creſcere velit. Imperator ſibi indecorum fore iudicans, ſi Loſij de ſe benè meriti ſalutem negligeret, ſineret amitti arcem Diuę Sophię, & Nicomediam magno ſumptu, magniſq; laboribus permunitam, generoſo conſilio, fortunę, virtutiſq; ſuę periculum facere conſtituit. Itaq; nulla interpoſita mora, iter ad hoſtem maturat, copiaſq; omnes extemplò Propontidem traducit. Milites noua & incredibili animorum alacritate, Loſio captiuo, & Nicomedenſibus ſuppetias celeriter ferre iubet: quos nullę difficultates retardarunt, quin obſeſsis in tempore opitularentur. Erat enim Loſius Imperij Seneſchallus, vt virtute pręſtantiſsimus, ita nobilibus factis, & pręſertim Murtzufli Conſtantinopolis tyranni captura, Henrico Imperatori, vniuerſoq; Exercitui vehementer charus. hæc cauſa fuit Imperatoris ab Adrianopolitanis iuuandis, iterum contra ac miſerè cuperet, auertendi. Imperator copijs Boſphorum traiectis, & Aſiatico in litore in ordines directis, caſtrenſi itinere verſus Aſtacenum ſinum, Nicomediam peruenit:

nit: atq; ibi adulto vere, & læto iam gramine virentibus campis, in valle longè amœniſsima, quæ alteram vrbis partem ſpectat, ſecundum Sangarium fluuium, qui ex Olympo monte Phrygiam, Epictetum, ac Bithyniam alluens, Euxinum ingreditur, tentoria ſtatuit, inſtructiſq; aciebus, Theodoranis committendę pugnę poteſtatem facit. Hunc Conſtantinus Laſcharis, Theodori frater, idemq; eius copiarum ductor, renunciantibus ſpeculatoribus, ſimulac conſpicatus eſt, ſtatim ſe in viam, aſcenſu proximum montem ſuperans, Nicęam verſus conuertit. vehementer perturbatus, vt ij plerunq; ſolent, quibus præoccupari deprehendiq; contigit, dum inſidias hoſti moliuntur. Ea de cauſa Imperator, totum id quod propoſiti ſui fuerat, egregio auſu conſecutus, ſuos quam longiſsimè poſſent vaſtabundos in plures alas, modicis tamen interuallis in agris latè pagiſq; pręſertim, prædari iubet. Vaſtitatem tota Bithynia, & ſolitudinem, vſq; ad inferiores Phrygas, & Myſos, quàm exitioſiſsimam efficere. quia, ea natio ſimul atq; Loſius Imperij Seneſchallus captus fuit, eiuſq; manus deleta, ſtatim rebellionem feciſſet, & omnia in Francos hoſtilia, pro virili parte molita eſſet. Itaq; dum equites prædatum dimittit, Imperator quinq; dies ſub pellibus egit, noſtri igitur non intermiſſo itinere, longè latèq; regione peruagata, funeſtam & luctuoſam in Aſia Græcis excurſionis ſuæ memoriam relinquunt: adeò, vt magnam omnis ſexus multitudinem, improuiſi repentiniq; opprimerent. vt cathenis, & laqueis tracti, miſerè equorum curſum adęquare cogerentur. ædificia item & Regulorum exulum villas, mollioribus montium iugis ædificatas, Scytharum more ſuccendunt, tanto terrore cuncta implentes, vt per quinquaginta milliaria rectis & tranſuerſis itineribus, cuncta ex continenti fumo, atq; ignibus collucerent. ſed coacta ingenti præda, euaſtata regione. eodem ferè itinere ad caſtra propè Sangarium ad Henricum regrediuntur. His rebus animaduerſis Theodorus Laſcharis, vehementer territus & conflictatus, re iam exhauſta, vt tot malis obuiam iret, à bello reſidere cogitat, & ea de re nuncios ad Henricum Imperatorem mittit, qui duorum annorum inducias ea lege peterent; ſi Daſchylium, arcemq; Diuæ Sophiæ ad Nicomediam complanatam vellet, ſe captiuos omnes libenter miſſurum: ipſumq; in oppida omnia & minoris Aſiæ, Bithyniæ & Phrygiæ Caſtella protinus reſtituturum. Imperator, de tanta re ad Venetos, & Barones refert. bona pars ſentire, & dicere duos potentiſsimos inimicos, locis longinquis diuerſis bellantes, quales Ioanniſſam Myſorum, & Triballorum Regem, & Theodorum

rum Laſcharim Aſianorum opibus ſubſtentatum, & adiutum ſæpius experti eſſent, non facilè à noſtrorum paucitate ſubſtineri. Vnum verò ſolum, nullo ferè negotio debellari, aut ei reſiſti poſſe. Ideoq; præſtare Daſchylij, & arcis Diuæ Sophiæ trans Propontidem iactura, & ruina commoda, quæ clariſsima omnium oculis in Thracia, propè Adrianopolim obuerſarentur, redimi. proinde, Laſcharis ab Imperatore cum ſummo ſtudio per Legatos peteret, quod penè in ſuam poteſtatem tranſtuliſſet, & longè periculoſius ſit amiſſum retinere, quàm penè ereptum vltro concedere, quum id nullis viribus, nulla ingenij ſolertia recuperari poſsit, Theodoro Laſchari ab Ioanniſſa Regis amicitia diſcedenti, inducias concedi oportere, non modò vtile, ſed etiam neceſſarium eſſe. nam, dum cum Rege Laſcharis amicitiam, res, rationemq; belli iungeret, vt planè alterum vinceremus, victoria tamen per alterum vti non licere. In horum ſententiam pactæ induciæ & iuratæ. Henricus Auguſtus continuò Petrum Braiaquellum Daſchylio accerſit: perſuadet pro ſuo iure, vt oppidum Laſchari tradat, ſimul & Diuæ Sophiæ arcem. quæ, vt arbitratu ſuo vellet, teneret, demolireturve; quibus rebus induciæ ſanctiores videbantur. Theodoricus Loſius, Seneſchallus Imperij, reliquiq; captiui redduntur. Confeſtim Henricus nihil ab inſtituto conſilio diſcedens, Conſtantinopolim reditum comparat; vbi ſtatuit cum omnibus copijs Adrianopolim adire, atq; ita octauo Kalend. Iulij, iam multa æſtate, qui dies Diuo Ioanni Baptiſtæ ſacer eſt, Selymbriam pergit. Ex eo die, iuſtis itineribus Adrianopolim aduenit, & Prætoria ad vrbem, Adrianopolitanis in campis poſuit. Adrianopolitæ Imperatoris præſentia valde hilarantur, portiſq; apertis effuſi, vt quibus nihil longius foret, quàm vt vrbis tanquam ergaſtulo emitterentur, repentè in Prætorium Imperatorem ſalutatum concurrunt: eum æquiſsimis animis omnes viderunt. Eodem Græci frequentes aduolant: Ibi diem Imperator agit, dum inſpicit attentius, quà aries murum percuſsiſſet, ac præſens agnoſcit murorum & turrium diſcuſsiones, combuſtiones, ſaxorum ſubuolutiones; detrimenta deniq; tormentis Regijs, cuniculis, & machinationibus illata, oculis cernit. Poſtridie caſtra mouet, quatuorq; dierum iter in fines Regni Ioaniſſæ pergit. quinto autem die ad Lulum conſedit, quę vrbs ad Hęmi montis radices ſita eſt, populo ſatis frequens, quod eò Rex Barbarus paulò antè Coloniam deduxiſſet. Verùm populares tanti Exercitus aduentu in fugam conſternuntur, atq; in Hæmi nota latibula ſeſe abdunt. Henricus antè vrbem caſtra ponit. noſtri equites, ſed ij leuis armatu-

armaturæ, perpetuis illatis detrimentis, quum etiam incendijs graſſarentur, prædabundi regionem quam latiſsimè percurrunt, vnde greges boum, ac bufalorum, aliaq; armenta abigunt: quorum ea regio, agrorum & paſtionum amplitudine abundans, ditiſsima eſt. Adrianopolitani inopes, vt incommoda accepta maioribus commodis ſanarent, prædæ cupiditate caſtra ſequebantur. hi carros, quos ſecum aduexerant, frumento alijſq; leguminibus onerant. hìc triduum Imperator Exercitum reficit. nec tamen vllum tempus equitum leuis armaturæ populationibus vacuum eſſe ſinebat. Sed illud ſatis incommodè rationem belli habuit, quòd dum iter montuoſa & anguſta Hæmi via prædatoribus faciendum eſſet, equi valde atterebantur, aſcenſus deſcenſuſq; difficultatibus feſsi & rupti. Hoc mali remedium Imperator putabat, ſi Euſtachium germanum fratrem, Theodoricum Flandrum, nepotem Philippi Namurcenſis & Louanij Comitis Filium, Anſelmum Chaemum, Gualterium Eſcornaium, Ioannem Bliantium qui quatuor Cathaphractorum equitum turmas implebant, equitibus leuis armaturæ prædationibus occupatis, ſubſidio mitteret. Itaq; noſtri hoc præſidio freti, audacius in interiorem Hæmum penetrant, quo acta præda, terrorem popularibus, cædes & incendia aduerſo tempore circumferrent. Sed quando in Hæmi montis, tot illuſtrium virorum cladibus, & aduerſa noſtrorum fortuna nobilitati mentionem incidimus, etſi leuiculum fortaſſe quibuſdam videri poterit, non tamen ab inſtituto labore alienum erit, hoc loco, tùm propter ipſius montis inter cęteros Europæ nobilitatem, & varios in eo noſtrorum caſus, tùm verò magis propter rerum ad hiſtorię captum attinentium memoriam, accuratius pauca quædam, neq; ea ſanè iniucunda de eius origine & ſitu poſteris, Francorum res Conſtantinopoli geſtas ad admirationem lecturis, breuiter aperire. Secant Rhætiam ſuperiorem, quam primam dicunt, perpetui montes, qui à Graijs, & Pęninis Alpibus ad vada Sabatia, & Liguſticum mare, Narbonenſem Galliam à Togata diuidentibus, oriuntur, & in Orientem conuerſi, multiplici incolarum frequentia, oppidis, pagis, amnibus, fontibus, Brigantino lacu clari, altiſsimis iugis, continenti tractu, diremptis innumerabilibus populis, vſq; in Thraciam penetrant, & in Euxinum porriguntur, per interualla locis plurimis peruij, at nominibus, vt locis differentes. Hi, ab ijſdem Sabatijs, vbi ad Rhætorum iuga peruenerunt, per Iulias & Carnicas alpes, perpetua veluti cathena in Dalmatiam abeunt, Pannoniam ab Illyrijs diſterminantes; reflexo inde ad Scardum montem itinere, per

Dar-

Dardanos & Macedones Thraciam ingrediuntur, ac demum vaſtiſſimis rupibus in Euxinum prorumpunt. Sed, vt primum, relicta Macedonia, Thraciam attingunt, vno Hæmi nomine vocantur, monte interim Rhodope, Atho, Iſmaro, cum reliquis humilioribus iugis, cedentibus. Hic eſt Hæmus ille Thraciæ mons, qui immanibus, & ſupra quam facilè credi poſsit, altis iugis extollitur, tot vatum carminibus clarus, à Meridie Macedonicis Alpibus exortus, atq; inde perpetuo dorſo variè flexus in Septentriones excurrens, & in Pontum deſinens, innumeras gentes diſterminat: breuiterq; hoc ſibi Regnum in Thracia vendicat, quod in Macedonia Olympus, in Græcia Parnaſſus, in Italia Apenninus, & in Sicilia Ætna poſsident. Ex huius vertice propter immenſam altitudinem, vtrumq; mare, Ionium ſcilicet & Ægęum cerni poſſe Polybium credentem, grauis author Strabo hallucinatum exiſtimat. Hæmi excelſitatem ſex paſſuum millibus ſubiri ſcriptores tradunt. huius auerſam partem ad occaſum æſtiuum, & in Iſtrum deuexam, Myſi ſeu Valachi, quos diximus, fermè totam accolunt, in qua ſuperiùs Ioanniſſam Ternobum Regiam habere memorauimus. infeſta Thracibus & ad latrocinia gens nata, cum plana Getæ, Triballi veteres, & Sarmatæ, vſq; ad Pontum, vicis atq; pagis magis quàm vrbibus occupent. vnde ſumpto de Hæmi accolis nomine, omnem regionem quæ vltra Thraciam ad Iſtrum protenditur, Myſiam inferiorem, & Valacchiam dicunt, Moldauiæ proximam, Euxini Ponti, & Ciabri fluminis, aliter Sucouæ, finibus incluſam; quam eandem Conſtantinopolitæ, & Thraces infra Hæmum habitantes, Tranſalpinam, quaſi trans alpes vocant: quum Myſia ſuperior, hodie Boſnam à Boſna fluuio, & Seruiam dicunt, Dardano clariſsimo amne irriguam, à Septentrionibus confluente Danubij & Saui, à Meridie Macedonicis montibus, ab Ortu eodem Ciabro amne, & ab Occaſu Dalmatia terminetur. In Hæmo igitur monte, multę atq, latiſsimę ſunt conualles, à Myſis & Thracibus partim aratris cultę, & paſtionibus fertiles, partim ſyluis atq; nemoribus impeditæ, quę amnes non modo vitreos fundunt, & fontibus ſcatent, ſed alicubi etiam prębent ſalutares thermas, & fodinas maximè beneficas: tametſi omnes Hæmi tractus, celſiſsimis atq; aſperrimis iugis, ſit vel media æſtate, Aquilonibus, gelu, & perpetuis niuibus infames. Hæ conualles, ad exitus fauces habent quem plurimas pertinentes ad eam planitiem, quę Thraciam & Philippopolitanam prouinciam reſpectat, atq; Adrianopolim perducit. Ad hos exitus, viarum anguſtiæ noſtris Hæmum ingreſsis minus notæ,

ad

ad ſuos reditum difficillimum faciebant. Quare Myſi in vnum maximo numero contracti, vti quiſq; de ſuperioris Hæmi rupibus quas pro ſpeculis habebant, de noſtrorum excurſionibus? fumo ſignificatione facta, cognoſcit, diſtinctis locis ſe conglobant; intenti expectantes, vnde nam Franci equites eſſent erupturi. Quum igitur non ſani homines, acta præda, nullis præmiſsis ſpeculatoribus, ex Hæmi conuallibus viarum ignari deſcenſum admaturant, Myſi noſtros pluribus locis vno tempore, impetu facto, effuſo curſu, & clamore edito adoriuntur. in locorum ignaros & equis feſsis, ſub ſarcinis inuadunt, viriſq;, multò etiam magis equis incommodant; ita vt victis propiores eſſent, quam victoribus. tumultuaria pugna exoritur. Myſi, vndiq; circumſiſtunt, & præoccupatis anguſtijs, quæ exitum coarctabant, à tergo ſimul & à lateribus ſe oſtendunt; nec, latioribus protecti ſcutis, longioreq; haſta præualidi, incuruo gladio, aut parua ſecure ad galeas pertundendas, armatum noſtrum equitem aggrediuntur. Noſtri, nihil animo dimiſſo, tanta vi, tantaq; alacritate partim equites, partim amiſsis equis, pedites reſiſtunt, vt modò conſertis, modò diſsipatis ordinibus pugnarent. ſed cum numero pauci eſſent, atq; equis extrema laſsitudine defatigatis vterentur, conſiſtunt, & pro tempore conſilium capiunt, vt fortiſsimos quoſq; in tergo dimicaturos mittant. Reliqui capto moræ ſpacio, ad euadendum antecedant: & ſæpè conuerſi, ac demum auerſi, certamen redintegrent; vt pugnare ſimul, atq; iter facere cogantur. Sed recentium cataphractorum turmis nouiſsimè præſidio aduentantium recreati, poſt multam pugnam, nonnullis hoſtium interfectis, qui fauces viarum cuſtodiebant, noſtri anguſtijs egreſsi, cum in patentem planitiem euaſiſſent, & ſe maioribus turmis cataphractorum iunxiſſent, prælium redintegrant. Cæterum Myſi qui diſperſi ſępius circumuolitarant, & noſtros aſsiduè in orbem pugnantes inuenerant, pari ſucceſſu vires experti, ſubitario pręſidio perſpecto, & noſtrorum inſidias veriti cum vltrà audendum non putarent, conuerſo itinere inſequendi finem fecerunt. Franci equites, cum primùm Diuino ductu, auſpicijſq; effugium patuit, ſe in caſtra ad Imperatorem, iuſtis itineribus recipiunt. Poſtridie Henricus Imperator vaſa more militari colligi iubet, iuſtiſq; itineribus Adrianopolim verſus caſtra mouet. In caſtris ad vrbem in prato poſitis, quindecim dies egit, dum miles prædas, & manubias, frumenti & commeatus actas, Adrianopoli in tuto deponit. Eodem fortè, & Bonifacius Marchio Rex Theſſalonicæ, Serris decedens, quas egregiè munierat, Moſynopolim venit; quę vrbs ſta-

tim Marchioni deditionem fecit. Ea re confecta, Legatos Adrianopolim ad Imperatorem Henricum generum confeſtim mittit, qui docerent, quoniam propiùs acceſsiſſet, Marchionem de communibus rebus loco propter Hebrum flumen opportuno (Marizam dicunt) quod ſub oppido Cypſella fluit, ſecum colloqui velle: quando præ negotiorum multitudine, nihil coram de rebus communibus conſtituere potuerat, & periculoſum fuiſſet, non pacatis Græcis, per quorum fines ingredi oportebat, vnà ad colloquium coire. Imperator, cum ſuo Senatu Bonifacium ſocerum ſuum Moſynopoli eſſe, libenter audijt: idem gaudere omnes Imperatoris comites. Bonifacij nuncijs reſponſum, ſe præſcripta die, colloquio non defuturum. Ita Imperator inſtitutam viam peragit, Cononemq; Bethunium Prothoueſtiarium Imperij, & ſumma virtute Equitem, Adrianopolis tutelę præpoſuit, centum equitibus attributis. Non ita multo poſt, vterq; in Cypſellę conualle, ad locum præſtitutum conueniunt. Cypſella, Thraciæ ciuitas eſt ad Rhodopæos colles, Adrianopoli proxima, propè Hebrum, iuxta quam amnis labitur à Cypſello olim condita, vnde vrbi nomen antiquitùs Cypſellum. Ex altera Hebri parte Imperator, ex altera Bonifacius Monferratenſis Rex Theſſalonicæ, fatalis voti ſui compos tendit; idq; tanta omnium lętitia, quanta vix dici poteſt. nimirum, amicorum tanto interuallo abſentium gaudiorum morſus acriores eſſe ſolent. Tum ferè primo verbo Marchio ſocer, filia ecquid agit? vt valet? reſponſum dicto citius, grauidam eſſe; quę vox omnes omnium nuptiarum felicitates complectitur. Hoc nuncio pater lachrymis ſuffunditur. Eodem tempore, feuda pacta ante cum Balduino quondam Auguſto, renouant ſimul Bonifacius Imperialis cliens (quem nunc hominem Ligium vocant) & Henricus Auguſtus: recenſq; fidelitatis, vt moris eſt, ſolennibus cæremonijs facta profeſsione, authoratur. Nam Theſſalonicæ cęterarumq; Macedonię, & Theſſaliæ Ciuitatum, Imperatorem ipſum iuſtum, legitimumq; Dominum, ſe verò tantum vtilem confirmat, vt qui rem Imperij ad perpetuo vtendum fruendum quæſijſſet. Atq; illo ipſo tempore Bonifacius Marchio nonnullas poſſeſsiones Gotthofredo Villharduino Thraciæ & Campaniæ Mareſchallo, veteri amico, de maiore Imperij beneficio, ſiue feudo, delibatas, nempè Moſynopolim cum agro, aut Serras (Amphipolim fuiſſe diximus) cum earundem agro, vtrum optarit, quo iure Moſynopolitæ veteres, aut Serrani tenuerunt, atq; etiamnum tenent, beneficio dedit. Ita Villharduinum ſubclientem eiuſq; hæredes fecit, Imperatoris iure ſaluo. Ibi, dum biduum com-

mo-

morantur, deq́; mutuo inter ſe amore, propenſa præſtantiq́; voluntate multa commemoraſſent, in ſuis tamen ſermonibus ingentem vtiq́; ſpem capere. Nam quamuis, Dei voluntate, colloquium tàm latum & feſtiuum inijſſent, eo tamen hoſtes offendi poſſe. quandoquidem per familiares ſermones, certius & efficatius conſilia, de bello aduerſus Myſum gerendo, non ſemel, aut itèrum inita, explicataq́; fuiſſent. Conſtituunt igitur aliam colloquio diem: ſe ſub Octobris finem, ad Vrbem Adrianopolim adfuturos, atq́; eò copias omnes contracturos, quas communibus auſpicijs in Ioanniſſam Barbarum, atq́; immanem, omniſq́; iuris contemnentem hoſtem, ductarent: ſi ſua conſuetudine ritu apum, relictis aculeis ſubitò euolantium, imbelli aggreſſu, multitudine vexata, & rebus omnibus enudata, cęptas obſidiones deſerat. His rebus quæ videbantur conſtitutis, maximè hilares è veſtigio diuerſi abeunt. Marchio, properante fato Moſynopolim, quæ extremæ Thraciæ ciuitas eſt ad Hæmum montem, Sardicæ proxima. Imperator, Conſtantinopolim, qui biduum in prato propè Cypſellam caſtra habuerat. Bonifacius Marchio quinq́; diebus Moſynopoli rerum actioni datis, continuò de Gręcorum popularium conſilio, qui exiguo ſuorum numero ingentia Myſorum agmina conſertis manibus ſtultè, atq́; inſolenter conciſuros, & deleturos iactabant, Exercitum in Hæmum montem Francis maximè funeſtum agit. cuius partem ad Moſynopolim vergentem, Moſynopolitæ agreſtes de proximæ vrbis nomine, Moſynopolitanum montem appellant, viamq́; diei in Hęmi interiora vaſtabundus procedit. ibi, cum aliquandiu fuiſſet, & repentinis incurſionibus ingentem cladem Myſis attuliſſet, è ſucceſſu rerum ſe ipſo ferocior, ratus Ioanniſſam inexpectatis copijs aggredi, & maximis detrimentis afficere, ſuſceptum conſilium temerè præuertente fortuna, in Myſorum inſidias incurrit. inde enim redeuntem Myſi montani, cum de ſuperioribus Hæmi iugis per deruptos, & anguſtos tramites ſe dimittentem Henricum conſpexiſſent, adeò accuratè, ac diligenter, vt equitum numerus facilè recenſeretur, amplioribus copijs ſuis confirmati, abeuntem de repentè inuadere non dubitarunt. Itaq́; vt fors cuiq́; telum, quidpiam've teli vice obtulerat, vt viderunt Bonifacium tanquam viribus imparem, cum paucis eſſe, eò armati vlulatum tollunt (id ſignum in hoſtem procurrendi dare conſueuerunt) atq́; omnibus partibus Bonifacium, vti à re feliciter geſta ex labore ſe reficere, & conquieſcere parantem, dum equi & viri promiſcuè, ſumma laſsitudine feſsi, corpora curarent, totis viribus adoriuntur. Maximè autem

Digitized by Google

agmen poſtremum eminus cominus fatigant, atq; irritant. Marchio, excitato tumultu ad Myſorum clamores, cum induendę loricæ tempus deeſſet, diſtricto gladio in fata ſua pręceps ruens, in equum caſu excurſioni adornatum adcurrit, & vecordi impetu, infauſtoq; conſilio in nouiſsimam aciem, qua conſerta pugna laborabatur, è veſtigio contendit, ac in Myſos impetu facto, acerrimè dimicans, hoſtem paululùm ſuſtinuit, ac repulit; ſed mox Barbaro animo ad audaciam erigente, ac prælium penè inſtaurante (quod tum demum natura homines maximè audere faciat, cum repentè commutata fortuna, timere deſierint) compluribus Bonifacij equitibus interfectis, alijs diſpalatis, & in fugam verſis, Bonifacius in tanta rerum aſperitate, laſsitudine, ira, doloreq; perditarum rerum conſternatus, iniquiore loco pugnans, tametſi ſupremæ virtutis opus conſtanter ederet, vulnus in brachio inter cubitum & humerum, exciſis neruis & muſculis, grauiſsimum accepit, vnde ſe, equum, atq; humum cruore ſuffundebat. Ea re animaduerſa miles, ſubitò animo defici, & per ignauiam cedens, paſsim cędi. qui proximè aſtabant, dominum præ vulneris cruciatu, & dolore vix in equo hærentem, ſubſtentant, & fulciunt. Sed cum ſanguis arteria conciſa, minimè ſiſti poſſet, ita vbertim vulnere manabat, vt ſemihoræ momento ſecuta concuſſione refrigerato, & penitus extincto calore, oculis rigentibus, collo brachijſq; contractis interiret. Equites tumultuantes, vno conſenſu, omni ſpe ſalutis in fuga conſtituta, è manibus hoſtium ſeſe eripientes, iacentem humi relinquere, atq; animos remittere. Qui manſerunt, & ad exanimem aſtiterunt, omnes ad vnum conciſi. Bonifacio caput ceruicibus amputatum, & lanceæ præfixum, Ioanniſſę Ternobum dono miſſum. Quo inſperato, nec opinato munere, cum non obſcurè admiratus riſiſſet Marchionis temeritatem, quòd Myſorum viribus ſtultiſsima ratione extimatis, ſuos equites qui eſſent exigui, cum tanto equitatu intra Hæmi conualles committere, quàm regredi maluiſſet, nihil ſibi in vita quicquam iucundius, & gratius oblatum fuiſſe, palàm Deos homineſq; teſtatus eſt. At verò, hoſtis capite immaniter lacerando, cum odium ſatiare non poſſet, oculos exaturabat. Ita nihilo felicior Balduino Auguſto, & Ludouico Bleſenſium, & Carnutum Comite, Bonifacius animi præſtantia, & virtute pluſquam heroica, anno qui Chriſtianæ ſalutis fuit, ſeptimus ſupra milleſimum ducenteſimum, bello pro patria occidit, ac honeſtum vitæ, atq; militiæ finem impoſuit. Vir certè tam triſti vitæ exitu indignus, niſi eo fati genere, aduerſus Religionis noſtrę hoſtes

for-

fortiter pugnans aditum ſibi ad cęlum, perenni cum gloria muniuiſſet. Neq; verò operæprecium eſſe reor, vt à legentibus hoc loco, & ad hiſtorię calcem properantibus, veniam deprecemur, quòd nos hi tres viri, duo quidem Belgici ſuperiori, vnus Italici nominis decus præſenti libro tot rebus præclarè, ac fortiter geſtis inclytis heroibus comparandi, ab inſtituto longiùs abſtraxerint. quando, eos omni laude ad perennem nominis famam, peculiari volumine exornari par fuerit. veterum Græcorum more, qui rerum geſtarum copia, & gloria pollentes, non ipſos modò Reges, & Imperatores, ſed minores etiam Duces nobiliſsimo elogio æternitati conſecrarunt. quoniam præclarum viuidæ gloriæ lumen, quod æternum luceret, hoc ipſo pio, atq; honeſtiſsimo vitę exitu, poſteris ſuis reliquerint. Tantus dolor luctuſq; ſoceri morte Henricum Imperatorem cępit, vt nihil ei ad animi ſenſum acerbius accidere poſſet. nec męrorem Latini Thraciæ incolæ minorem ſuſtinebant. haud immeritò. dolebant enim clariſsimum bello Ducem, omnis memoriæ Principem, militari ſcientia, & liberalitatę præter cæteros claros, tam miſerè, atq; indignè perijſſe. Agnetem Auguſtam deplorantem, eiulantem, ac lamentantem Patris fatum, non ſine lachrymis videres. Siquidem de tanti Patris cæde, tantus męror, & dolor mulieri, pro conditione, impatibilis eſt. qui Francis, & Conſtantinopolitis, qui alienis ſenſus abſtruſos omnes corpore excutit, atq; exulcerat, quid filiæ, Patris morte addita, ad doloris acerbitatem adiungas? Niſi verò vnus aliquis Cælitum, animum ipſi releuaſſet, qui ſenſim contabeſcebat (adeò enim parentes in liberorum viſceribus hærent) totam oppreſſiſſet. quo porrò luctu, ac męrore eius beneficiarios angi, & excruciari credas, qui Bonifacij benignitate, vitam commodè ducebant? quo, cęteros Barones affectos putas? horum animis eo maior inceſſit, quod Bonifacij morte hoſtium ſpes elatas, noſtri incredibiliter męrerent. Monferratenſes Marchiones in Subalpinis Italiæ regionibus trans Padum, à Saxonia Ducibus repetita origine, antiquiſsimæ ſtirpis ſunt: Ex quibus Bonifacius, genere, ac nobilitate Marchionum omnium Italiæ princeps fuit. Paternum genus à Saxoniæ Ducibus; Maternum ducit à Cęſaribus Auguſtis, vetuſtiſsimis Auſtriæ Ducibus. Nam, ab Henrico Auſtrio IIII. Imperatore, Leopoldus Auſtriæ natus eſt. cuius filia Juditha Bonifacij mater, eadem Conradi Imperatoris ex matre ſoror, Auſtria nomine fuit. Ex Maria autem Lotharij II. Imperatoris, & Saxoniæ Ducis filia, Raynerius, atq; ex hoc natus Guilielmus Bonifacij pater. Quare Bonifacium

facium origine ſanctum, atq; Auguſtum fuiſſe, eiuſq; gentis memoriam, ſanctitati proximum Cęlites colendam, teneamus: quòd, ea iam ab Conrado, & Guilielmo Longaſpatha, germanis fratribus, pro communi Religione in Syria, ſeſe domeſtica conſuetudine deuouit. Moriens Bonifacius, ex prima vxore Agnetem Auguſtam, & duos liberos mares, Guilielmum Monferratenſis Marchionatus, & Demetrium Theſſalonicenſis Regni hæredes reliquit. cum ex ſecundis nuptijs Margaretę Hungariæ Regis ſorore, Iſaacij vidua, vtpotè ſterili thoro, nullam prolem ſuſcepiſſet. Sed Demetrio Theſſalonicenſium Rege ſine liberis defuncto, in Bonifacio IV. Guilielmi filio, Marchionatus Monferratenſis, cum Theſſalonicenſe Regno continuatus. Cæterum, in Ioanne Marchione, magni Guilielmi filio (prout in rebus mortalium viciſsitudo eſt) omni maſcula Bonifacij, & Monferratenſium Marchionum prole extincta, Iolantidis Ioannis ſororis, Imperatori Andronico Palęologo, Seniori cognomento, Michaelis primi Palæologi Conſtantinopolitani Imperatoris filio pridem nuptæ, filius Theodorus Porphyrogenitus, Conſtantinopoli in Italiam perueniens, Monferratenſem Marchionatum, mortuo auunculo, ad Palæologos tranſmiſit: à quibus, longa Palæologici Auguſti generis ſerie, in Tranſpadanis nempè ducentum quadraginta annorum ſpacio, ducta, Bonifacio Guilielmi IX. & Annæ Alenconiæ ex Regum Franciæ ſtirpe, filio, currentis equi lapſu exanimato, Chriſtianæ ſalutis anno trigeſimo ſupra milleſimum quingenteſimum, nulla prole ſuperſtite, Marchionatum, cum aſcendentis ſtirpis ordine nemo propior haberetur, Ioannes Georgius Bonifacij patruus ſuſcepit. Is, quòd eſſet ſecundo partu editus, tùm verò naturà, & valetudine imbecillus, iamdudum à parentibus ſacris initiatus, ex antiqua Marchionum prærogatiua Lucedij Abbas erat factus. quandoquidem templo cum ſacratis ædificijs peramplo, & excelſo à Monferratenſibus Principibus in Deiparæ honorem, priſcis ſæculis condito, atq; in alimenta Ciſtercienſium Monachorum, ampliſsimis & maximè frugiferis prędijs, vt ſuprà retulimus, liberali pietate collatis, per quadringentos annos ex domeſtico Patronatus iure, manſerat penes Marchiones ius Archimandritæ, ſiue Abbatis declarandi. Palęologæ igitur reſtituendæ familiæ Monferratenſis, vſq; ad internecionem extinctæ, cum niſi in vno Ioanne Georgio ſpes foret, ſacris protinus renunciauit, ac mox Carolo Cęſare deſpondente, Iuliam Aragoniam inſignem Regiæ ſtirpis puellam, vxorem duxit, eo Rege Federico genitam, quem externorum Regum coniuratione

iuratione, Neapolitano Regno patrum memoria exutum, & profugum in Gallia ad Ludouicum XII. ſingulos miſeriæ ſuæ caſus deplorantem, Turonis fato functum audiuimus. Sed his nuptijs, bono alioquin ex auſpicijs Cęſaris concepto omine, felix euentus poſtmodùm defuit. Siquidem, prout noſmetipſos medio in curſu ſpes noſtræ perſæpè fruſtrantur, Ioannes Georgius, vt erat languido corpore, & tum maximè diuturnæ valetudinis tædio grauiter conflictatus, in lethalem incidit febrem, cum de more apud Caſalenſes, quæ certa Marchionum ſedes eſt, nuptiæ forent feſta hilaritate celebrandæ. Itaq; deducta paulò poſt Regijs honoribus in Monferratenſem agrum puella, quam vix ſemel aut iterum, officij cauſa accedentem ad lectulum ſalutarat, intra paucos dies fato cedens intacta virgine, maritalis thori fructus, ex perpetuo morbo decerpere non potuit. quamobrem Margareta Bonifacij defuncti ſoror, eadem Federici Gonzagæ Mantuani Ducis vxor, Salaſſo Marchione, & Sabaudio Duce controuerſiam iuris facientibus, Caroli V. ſententia, ex vſu iuris & æqui, legitima hæres pronunciata, MDXXXVII. Marchionatum Monferratenſem ad Gonzagas detulit. Nunc Margaretę filius Guilielmus Mantuæ Dux, Franciſco fratre paterni dominatus hærede, ſine liberis ſuperioribus annis ſublato, fraternum primo Mantuæ Principatum adeptus; deinde matris eundem Monferratenſem Marchionatum, opulentiſsimam in Subalpinis hæreditatem, ſumma Monferratenſium beneuolentia, materno iure creuit. Sed nulla profectò res, vt ad Bonifacium tandem regrediamur, in vſu militari poſita fuit, quæ huius viri ſcientiam effugerit. Sapientia verò militaris, & conſilij grauitas, quæ quò rarior in bellatore (qui haud ferè perturbationibus vacat, vt interdum etiam animo tumultuetur, ac fluctuet) eò certè pulchrior in Bonifacio, quanta in nullo vnquam aut audita, aut lecta. In eo etiam, pręter immortalitatem, alia omnia nata cum bonis, vel ratione parta, adde etiam quę homines de Dijs, atq; fortuna optanda ducunt, abundè erant. Gentis vetuſtas, per Saxoniæ Duces, & Henricum primum Imperatorem, iam inde ab Aledramo progenitore, qui poſteris ad virtutem gradum fecit, nuptijs Gilbergæ Berengarij Italiæ Regis filiæ dignato, factis nobiliſsima, cum Henrico Orientis Imperatore in generum aſcito, illuſtris affinitas, animi magnitudo, opes, potentia, liberalitas, beneficentia; atq; hinc nata gratia militaris. Modeſtiam verò illi planè familiarem laudant, quòd ſe adeò ciuilem & vrbanum, adeò ſemper commodum omnibus præbuit, vt Ducem pariter, &

com-

commilitonem diligerent, vt facilè amicos inueniret; & difficiliùs amitteret. Illud tamen Imperij lumen extinctum, ſapientiæ, fortitudinis, celſitudinis animi, munificentiæ, triſte omnibus deſiderium reliquit. His, tota vita conſtanter vſum, ſi vnum mortis diem eximas, quo audaciùs quàm conſultiùs in armatum hoſtem inermis irruit, iure dicere poſſumus; ſed eam tamen eueniſſe vel iniquis etiam confitendum eſt, quam martius miles præcipuè voto petit, Deos, aut ex hoſte victoriam, aut mortem precatus. Bonifacio igitur extincto, cuius deſiderium nullius virtus non dico expletura, ſed ne lenitura quidem eſſet, Imperium Conſtantinopolitanum, altero lumine orbatum videbatur. Ita fluctuante Imperio, vno tantum relicto Henrico, qui Prætoris Veneti & magiſtratuum conſilio ac cura vſus, in excubijs & cuſtodia tanti Imperij laboraret, Græciæ exules de repentè emergunt. &, qui tacitas ſimultates gerebant, eductis copijs apertè bellum vndiq; adminiſtrant. Ex his qui opibus & clientelis valebant, hinc in Macedonia & Thracia, inde in Bithynia & Troade equitatum tumultuarium, ac peditatum colligere, & ſpecie bellantium quocunq; adibant, depopulari, & quoſcunq; obuiam haberent, aut ſibi adiungere, aut pugnantes fundere, ac fugare. Sed vnus maximè Theodorus Laſcharis, Francis natura infeſtiſsimus, tanta animi ferocia Bonifacij morte audita, tantaq; ſperatæ victoriæ fiducia, vir ſtolidè pugnax efferri, vt tota Bithynia, & Troade Francos intra paucos dies ſolus ſe exterminaturum audacter prædicaret. alij, ægeſtate nauiculas vndecunq; poſſent nacti, pyraticam facere. In Græcia verò, circum maritima Peloponneſi litora, archipyrata (quæ gentis eſt leuitas, & præceps ingenium) repertus, nymbum prædonum, opinione citiùs, duplicat. Hi, Ægæi, Icarijq; maris inſulas omnes prædari, vrbeſq; non ita munitionis opere, aut natura tutas, capere, & ibi receptacula conſtituere, & noſtris negotium faceſſere. His rebus fieri, vt Veneti Inſulani, & Peregrini Franci Proceres appellati, in Ægæi Creticiq; maris inſulis, magna detrimenta acciperent; interdum etiam ſedibus pellerentur. Idcirco Venetijs à Patribus Senatuſconſultum in cani ſententiam opportunè factum, vt ex Venetis qui opulenti eſſent, & ſuo ſumptu claſſem commodam, & claſſarios alere poſſent, his ius eſſet quæ in quadrante, & ſeſquuncia Conſtantinopolitani Imperij Veneto attributa erant, & à prædonibus occupata, recuperandi, & ſalua Veneti Ducis, Reiq; publicæ clientela, in rem ſuam vertendi. nominatim autem omnes Ægęi, Ionijq; maris inſulas, maioribus quibuſdam inſulis exceptis, quas pu-

blico

blico propriè reſeruatas volebant, quòd hæ niſi maioribus auſpicijs atque copijs recipi poſſent. Itaq; læti illo Senatuſconſulto, magna animorum alacritate complures Conſtantinopoli comparatis triremibus, & nauibus ædificatis, ſinu Ceratino egreſſi, res repetitum contendunt; & quidem ad non dubiam prædam, quòd poſſeſſiones maritimas, ex partitione rerum Imperij, frugiferas colerent. Igitur infra Helleſpontum Marcus Dandulus, & Iacobus Viadrus Gallipolim ad Propontidem Cherſoneſi Thracij vrbem, Seſto proximam, occupant. Alij aliò excurrunt. Marcus Sanutus, aliquot Ciuibus ſocijs aſcitis, ex Cycladibus Naxon, Paron, Melon, Æginam, & inter Sporadas, antiquis dictam Theraſiam, nunc Santerinam in ſuam poteſtatem ſubijcit. præclara virtute Ægæi inſularum cum poſteris Principatum adeptus, quem Ducatum appellant. Ab hoc mox Franciſcus Creſpus, ducta vxore Florentia Sanuta Marci filia, Marci Senioris atnepti; cæteriq; dein Creſpi Duces, Orientalium Imperatorum affinitate clariſſimi, omni maſcula Marci Sanuti, & Dominorum de Carceribus prole extincta, Ægæi per multos annos Principatum in Naxo inſula tenuerunt, ad Iacobum vſq; Creſpum alterum & vigeſimum Naxus, & Ægæi Ducem. cui proximè à Selymo Turcarum Imperatore, contra paterni iuriſiurandi fidem, direpta inſula quando eſſet vnà cum prætioſa ſuppellectile, Principatus ereptus, Senatus Venetus, cum exul in Vrbem veniſſet, ob veterum Creſporum Regulorum cum Rep. neceſſitudinem, & merita; vel quòd bello aduerſus Michaelem Palæologum Imperatorem, aliquando Reip. ſuppetias tuliſſent; quo nomine Raynerij Zeni Principatu, anno poſt CHRISTVM natum MCCLXV. Ciuitate, ac Comitiorum iure quidam donatos ferunt; vel quòd cum Venetis clariſſimis Patricij ſanguinis familijs, Priola ſcilicet, Cornelia, Laurerana, & Zena poſtea affinitatem coniunxiſſent, quarum ſingulis magno auri pondere, Nicolai quondam Creſpi filiæ in matrimonium iampridem fuerant collocatæ; vel poſtremò, quòd noſtra ætate Catharina Iacobi ſoror, eadem Ioannis Aloyſij Piſani Senatoris vidua, Franciſciq; ac Ioannis Patriciorum parens ſpectaretur, prouētum annuum certę pecunię, qua ſeſe liberoſq; aleret, præclara cum laude ſummæ pietatis attribuit. Cæterum Rauanus à Carceribus Veronenſis, is viuo Dandulo, ob magnum ingenij robur, & exploratam fidem, in conſilio aſſidebat, Eubœam ſibi vendicauit, cum proximo Euripo, qui (vt ferunt) ſepties in die reciprocante æſtu commouetur. Eam inſulam cum ab Duce Venetiarum, & Rep. clientelæ nomine accepiſſet Rauanus, &

Digitized by Google

nepotes rerum naualium rudes,ſuis viribus mox diffiſi;quando eam maritimis præſidijs, non abſq; ingenti pecunia, tutari poſſent, & à prædonum incurſionibus ſæpius vexarentnr, Venetæ Reipub. non ita multos poſt annos, vtiles domini ius ſuum ceſſere. Sed familia à Carceribus,vt omnium rerum viciſſitudo eſt,in vnico Nicolao Ioannis à Carceribus,& Florentię Sanutæ filio,trientis Euboici paterno, itemq; Ægæi materno iure Principe,non multos poſt annos penitus extincta; cum Summaripa interim familia, Paros, Antiparos, Andruſq; Ægæi inſularum dominatus,iam inde ab Gaſpare Summaripa, qui Mariam Sanutam Nicolai cognomento Spezzabandæ filiam, Nicolai à Carceribus ſororem vterinam duxerat, ad ſuperiora vſq;tempora continuatus,à qua demum, parẽtum noſtrorum ętate in Veneriam Patriciam familiam tranſijt Summaripis extinctis. Eubœa Inſula pleno iure in ditionem recepta,Patres vti de Corcyra ab Leone tyranno antea recepta,fecerant,quemadmodum infra referemus, Venetum Præfectum, Baliuum appellabant, Gallorum more præſidiarum,& togatum magiſtratum, Chalcidem ad inſulæ præſidium mittunt, qui Chalcidenſibus, vnà, & Inſulanis ius diceret,& claſſe, ac terreſtribus copijs,hoſtium iniurias propulſaret,præcipuè verò, de Feudis militiæ, ſiue clientelis agrorum (caſalia vocabant) quę in Eubœa Veneti Patritij,& Ciues trientis iure,ampliſſima habebant, cognoſceret: &, æqui ac iuris optimè ſemper conſultus, agros equeſtris militiæ nomine emeritis tradi ſolitos, & ex Venetis legibus beneficiarios, legitimo hæredi,vel cui magis præclarum ius eſſet, adiudicaret. Is magiſtratus in inſula continuatus, donec Eubœa in Venetorum ditione fuit. Cæterum,Marinus Dandulus, Andron vſurpat. Andreas,& Hieremias Ghiſij,Marci filij excurſionem continuantes, Theonon Miconemq; (recentiores Micolas dicunt) Scyrum præterea,& quæ ad Pelaſgicum ſinum pertinent,hodie Volum nominant,Scyathum, ſcopelumq;interceperunt. Petrus Iuſtinianus, & Dominicus Michael Ceam. Philocolus Nauaioſus Lemnum,quam nunc(vt ſuprà retulimus)Staliminem appellant,antidoto Lemnio, quod terram ſigillariam dicunt, pernobilem, inuaſit: idemq; poſtea præclaræ virtutis nomine,ab Henrico Auguſto ſingulari cum honore Imperij Megadux factus, & inter Imperij Proceres aſcriptus. Nec ita multò poſt, Zianus Dux conſulto Senatu, Raynerium Dandulum Henrici Ducis defuncti Filium, vnà, & Rogerium Permarenum,peritiſſimos rei naualis Duces,vnius,& triginta Triremium claſſi pręficit;eo conſilio, vt Corcyram publico Reipub.

commo-

commodo recuperent;mox in Græciam nauigent, ac vno tempore, ſummis viribus,non modò Ionij,ſed ipſius quoq; Ægæi maris inſulis arma inferant; neq; prius incepto abſiſtant, quam commiſſa pugna honeſtis pactionibus inſularum quadrantis & ſeſquunciæ Imperio potirentur: aut poſtremò cum claſſe ſuperati & victi, in eadem belli fortuna conciderent. Claſsis Corcyram prouehitur, & ex prꝺſcriptis conditionibus bellum adminiſtratur. Leone Vetrano Genuenſi inſulæ tyranno, & ſæuiſsimo Archipyrata capto, & de eo publicè ſupplicio ſumpto; vnaq; de ſexaginta amplius inſulanis, nefandæ tyrannidis ſocijs, latronum more ſtrangulatis, inſulæ potiuntur. Et quia Methonem atq; Coronem,duas munitiſsimas Peloponneſi vrbes,gerendo bello,& Cretæ reliquiſq; Reipub. inſulis,atq; oppidis recuperandis, maximè opportunas didicerant, Corcyra digreſsi, & claſſe in Peloponneſum celeriter promota, Methonem, mox iuxta Sinuoſas prominentium montium rupes ac ſcopulos, magno ambitu ſuperato Gallo capite, in Meſſeniaco ſinu proximam Coronem pyratarum perfugia, receptacula, & latebras capiunt, ſceleratiſq; hominibus purgant, & in ſuam poteſtatem redigunt. Ex naualibus turmis & claſsiarijs delectu habito, copias conſcribunt, atq; oppidis imponunt. mox, à Patribus in recepta oppida cum dubiæ oppidanorum fidei parum crederetur, Ioannes Quirinus, & Iacobus Delphinus à Caſtelli cuſtodia,Caſtellani dicti,ſtatim mittuntur quæ paribus prꝺſidijs tuerentur: Exinde Zianus fraudem atq; perfidiam Corcyreorum ſuſpectans, quòd Græcos de more gentis leues, & infidos, ingenio ſemper excubanti paratoq; non temere cauendum intelligeret, ad res conſtituendas & componendas Corcyræ inſulæ, Xviros patricios, itemq; plebeos, velut in Coloniam,mittit. Atq; in his Angelum Acotantum, Petrum Michaelem, Stephanum Foſcarenum,Iacobum Ferrum, Gilbertum Quirinum, Octauianum Firmum, Symeonem Bonum, Marinum Campulum, Iulianum Scauiarum, & Ioannem Dotonum. Interim Venetus Præfectus ſub Baliui titulo, qui præſidiarius & togatus eſt magiſtratus, inſulæ præeſſe iuſſus: hodieq; collegis Conſiliarijs adiectis,Corcyram inſulam poſthac per trecentos & ſexaginta amplius annos, perpetua ac conſtanti incolarum fide, quaſi domeſtico ingenti præſidio cuſtoditam, in Reip. ditione moderatur. Bimus magiſtratus eſt, præclariſq; viris demandatur: His Corcyræ rebus geſtis, Dandulus & Permarenus, inſulæ per deditionem potiundæ ſpe, claſſem ad Cretam appellunt, quam ſuperiùs de Bonifacio Monferratenſe Marchione,præſenti pecunia Dandulum

Venetiarum Principem emiſſe memorauimus, de cuius prçſtantia, & ſitu, ab ipſa operis calce quaſi decurſo ſpacio, eius interpellatione, ad carcerem reuocati, non ad legentium voluptatem, ſed propter inſulæ celebritatem, quæ ſanè terræ ipſius vetuſtatem & amplitudinem arguit, nonnulla quæ apud ſcriptores longo labore didicimus, cum ab hiſtoriæ ſerie non recedant, operæpretium erit paucis enarrare. Creta, Candia dicta, noſtri maris inſula nobiliſsima eſt, eiuſdem nominis Candiam Vrbem, inſulæ Metropolim, ad Aquilonem habens. maior eſt quàm Cyprus; minor autem quam Sicilia & Sardinia, quibus ſolis in toto Mediterraneo cedit; interim nobilitate & fertilitate par omnibus, & noſtro præſertim ſæculo, maluatici vini vnius omnium laudatiſsimi copia, quod maximè generoſum eſt, longè ſuperior. Situs inſulæ Orientalior eſt quàm Peloponneſi; interq; Atticam Græciæ, & Cyrenaicam Africæ oram, media iacet, haud amplius bidui ad alterutram nauigatione. alluunt maria, ab Occaſu Ionium, ab Ortu Carpathium, à Septentrione Ægæum, & ab ea vocatum Creticum, à Meridie Africanum. Forma eius oblonga, retortis lateribus, & inter æſtiuum Ortum, Occaſumq; ita porrecta, vt altero faſtigio in Boream, altero in Notum tranſuerſa reclinet. anguſta magis & longiſsima eſt ad Orientem, vbi contra Rhodon Sammonico Promontorio extollitur. ab Occaſu retuſior, in duo Promontoria diſpaleſcit; quorum Auſtrium contra Phycuntem Cyrenaicæ Crioumetopos dictum, quoniam frontem arietis exprimat: alterum, obuerſum Peloponneſo Cimarus vocatur, Straboni. Sunt & in lateribus Promontoria, quorum Auſtrinum potiſsimum Phenice contra Chorum & Africum, Arctum Zephyrium Sporadibus aduerſam, Ptolomæo. Plinius IV. lib. nuſquam latiorem eſſe quinquaginta millibus paſſuum, tradit; cum longa tamen ducentorum ſeptuaginta millium ſit, & ambitum quingentorum viginti millium, complectatur. nec multò minus apud Ptolomæum ex obſeruata graduum longitudine colligitur. referendum id duxi quò ſimilius vero fiat, quod magno conſenſu ſcriptorum traditur, centum eam vrbibus aliquando fuiſſe claram, quarum circiter quadraginta, Plinij ætate numerantur. extant hodieq; non paucæ; quarum minimum decem ſuos Præſules habent, Vrbe metropolitana maritima: eo, quo & inſula nomine, Candia dicta; fortaſsis à candore deducto nomine: quandoquidem Strabone teſte, eius inſulæ montes occidui, albi ſeu candidi dicuntur. In totum autem iniquior eſt molliter aſſurgentibus cliuis, quorum fertiliſsimæ conualles cernuntur. Exaſperatur & montibus

Ida

Ida maximè, qui mediæ inſulæ altiſsimus imminet, & ante Solis Ortum Sol videt, pedem eius, oppidis circum coronæ inſtar, ambientibus. Rigant amnes Oaxis, Virgiliano notus carmine, & Letheus, aliją; non ignobiles. Ager Creticus ſylueſtrium caprearum & ſtambucorum copioſus, ceruo eget. Lupos, vulpes, aliaq; quadrupedum noxia nuſquam educat. Largæ vites, mira Solis indulgentia; nihil hortis vbiq; à Citriorum pomorum & medicorum amęnitate beatius. in apricis enim & erectis collibus odoratæ ſyluæ perpetuò virent, ita aptè exceptis in orbem Solibus, vt Autumnus prælongus, & ſuo tepore ſuauis, contuſa duritiæ hyemis, cum verna temperie coniungatur. Arborum prouentus adeò abundantes, vt in huius tantum inſulæ parte, quarum copioſa eſt, repullulent cæſæ cupreſsi. ſed hac vel vna re beata eſt Creta, quod noxijs animalibus caret. porrò gloriam fertilitatis, non vrbium modò fama, verùm & vetuſtatis honos, & potentia, rerumq; geſtarum memoria vincit. Præfuiſſe Inſulæ Iuppiter fertur, vetuſtiſsimus Rex, cuius Lactantius ante alios, meminit. fuit & Gnoſius cognominatus Rhadamantus, tanta integritate vir, vt tribunal ei & iudicium apud inferos priſtini Vates fabuloſè tribuerint. De Minoe Rege minimè fabuloſum eſt, primum eum Cretenſibus leges dediſſe, & optimis inſtitutis magna ciuilitate ornaſſe, quam mox paulò & Lacedæmonij ſint imitati. De maris Imperio & inſulis Cretæ ſubiectis, ſcriptores abundè teſtantur. Inde enim prouerbium natum, Cretes neſcit pelagus; de eo, qui quod eximiè nouit, diſsimulat. Variè poſtea Tyrannis paruit, non Græcis modò, ſed & Barbaris; donec poſt deuictum in Aſia Antiochum, Romani eam Metello Duce, qui inde Creticus dictus eſt, deuicerunt. Quocirca, in Romanæ Reipub. ditione multos annos fuit. Inde, poſt CHRISTVM natum, cum Paulum, & Creta ipſa Apoſtolum euangelizantem audiſſet, mox Epiſcopum habuit Titum: qui alijs ordinatis, celebres in ea poſtmodùm Eccleſias conſtituit. Sed euerſa Romani Imperij potentia, vel, à Conſtantino, Byzantium delata, per multos annos Creta Græcorum Auguſtorum iuris fuit, quam tamen Sarraceni claſſe ſæpe vaſtarunt. Poſtremò, collapſis Imperij Orientis rebus, & capta à Latinis Conſtantinopoli, per Venetos, ingenti pecunia, vt ſuprà retulimus, de Monferratenſi Marchione Bonifacio coempta, in prouinciam redacta eſt. Cæterum non ita longo interuallo poſt Danduli, & Permareni in Cretam appulſum, atq; inſulam ex multorum menſium bello in deditionem receptam, quòd eam præter dubiam incolarum fidem, nec militari præſidio ſatis cuſtoditam

ſtoditam viderent, ad arcendos Græcorum tumultus, Colonia Ziani Principis & Patrum ſententia, è ſex Vrbis regionibus (ex quo Sexterios appellamus) Senatuſconſulto Cretam deducta. cum interim Venetus Prætor Iacobus Theupulus, Ducis titulo inſulam, adhibitis Conſiliarijs & Quæſtoribus, adminiſtraret. Præceps enim erat Græcorum natio, & rerum nouarum cupida; nec ita fidei quam Reipub. dederat, tenax. Atq; ideò haud ſcimus mirandum'ne ſit, quod homines induſtrij & ingenioſi, cum ſe plus alijs videre & ſapere intelligant, ad Imperium ſolum ſe natos putant, ſuiq; generis homines, externorum in eum gradum, inuaſione, & perpetua poſſeſsione, Imperij dignitate orbatos, iniquo animo ferunt, nec homines facilè natura mobiles, nouiſq; rebus ſtudentes quieturi videntur. Ex ſingulis igitur Venetæ Vrbis Sexterijs delectu habitu, certum Patriciorum, equitum, & plebeorum peditum numerum, quibus agri ex lege publico aſsignati, Ziano Principe authore, anno Chriſtianæ ſalutis duodecimo ſupra milleſimum & ducenteſimum deduxerunt, quæ Colonorum inſulæ firmiſsima foret cuſtodia. Ita, Zianus Princeps miſſa in Cretam Colonia, & dictis legibus Colonorum, Rempub. fortiter prudenterq; adminiſtrabat. Verùm qui præclaro augendi Imperij, & proferendorum foris finium ſtudio detentus erat, domi quoq; ſicut & alij ſuperiores Principes Veneti, Chriſtiana pietate memorabiles, ſummæ in Deum, Diuoſq; omnes pietatis ſtudium oſtendit. Nam præter vetuſtam Diuæ Helenæ Ædem, cuius in Inſula quæ ad Orientem Vrbi accubat, exædificandæ author fuerat, vbi Oliuetani Monachi frequentes Sacris operabantur, eò etiam Diuæ corpus Conſtantinopoli paulò antè ab Aycardo Canonico Regulari, Venetias delatum, & apud Carmelitas ad eam diem paruo in honore repoſitum, piè deportandum curauit. Sacellum quoq; in Palatio Marciano, Diuo Nicolao ſacrum (cuius nomen in ſummo honore ab Vrbis primordio, ciues ac nautæ in noſtra Vrbe præcipuè habent) à Dandulo Duce pridem bello Conſtantinopolitano votum, cum is morte præreptus, id erigere non potuiſſet, Zianus ſucceſſor, ære proprio conſtituit, ac dedicauit. Sed patrum memoria Leonardi Lauretani Principatu, loco religione ſoluto, quod veteris palatij incendio & ruina abſumptus, in elegantiorem poſtea formam noſtro ſæculo, ab Franciſco Donato Principe reſtitutus, foro acceſſerit, ſiquidem in eo hodie III viri Aduocatores ius dicunt, Ara Diui Nicolai, eodem in Palatio propius Diui Marci Ædem, delubro nobili fornice compoſito tranſlata, ab Andrea Grito Principe

luculen-

luculenter exornata eſt. quo VIII. Id. Decembris à Duce, & Satrum Collegio, Ædis Marciæ Canonicis Sacra facientibus, quotannis caſtè, & piè ſupplicatum aditur. Sed Zianus qui pia liberalitate Sacellum Diuo Nicolao erexerat, in eiuſdem quoq; parietibus, bellum Conſtantinopolitanum rubrica depictum, quod Sacello adhuc integro Maiores noſtri viderunt, à poſteris ſpectari voluit; vt quam & Ædem andulus difficillimo bello, pro Reipub. amplitudine vouiſſet, in eadem quoque ipſius ſtudio, & cura, ad totius poſteritatis memoriam, & non dubium gloriosæ victoriæ teſtimonium, totius belli ſeries ſpectaretur.

FINIS.

VENETIIS.

Apud Marcum Antonium Brogiolum,
M DC XXXIV.

Digitized by Google

INDEX LOCVPLETISSIMVS NOMINVM, AC RERVM OMNIVM,

Quæ in hac de Bello Conſtantinopolitano Hiſtoria continentur.

A

ABBAS Moliſmenſis. fol.42
Abbas Clarenallenſis, 36
Abbatis Diuæ Mariæ Lucedij, qui Bonifacium Marchionem ex Tranſpadanis ſecutus erat, mors. 101
Abydus Helleſponti Vrbs eſt ad Troadem ſpectans Seſto ad triginta ſtadia diſtans ad littus Aſiæ minoris à Mileſijs condita. 60
Abydeni repentino claſſis appulſu territi Alexio Cæſari portas aperiunt. ibid.
Abſyrtides Flanatici ſinus inſulæ. 219
Acarnania prouincia, in Venet. parte. 166
Achelons Acarnaniæ flu. hodie Aſpropotamos. fol. 166
Achæorũ vrbes in Peloponneſo in Venet. parte. 165
Acoluthus, ſemper greſſus Imperatoris ſequitur. fol. 143
Acona Syriæ vrbs vna omnium reliqua Hieroſolymitani Regni Chriſtiano Francorum præſidio tenebatur. 178
Acritas promontorium, hodie caput Gallum. 17
Acroceraunia Epirum finiunt ab Occaſu. 166
Acrocorinthus olim Corynthi arx in prærupto colle ſita, vnde duo vtrinque maria hinc Ionium, inde Aegæum longiſſime proſpectantur. 187
Acropolis Conſtantinopolitana. 74
Ademarus Podienſis Epiſcopus Miles votiuus. 6
Adrianopolis, ab Henrico fratre, a Balduino præmiſſo in fidem recipitur. 147
Adrianopolis Thraciæ Ciuitas ab Adriano Auguſto inſtaurata, Adrianopolis vocata. 147
Adrianopolis vrbs in Venet. parte. 165
Adrianopolis turres feſtis luminibus ornat, & omnia lætitiæ ſigna oſtendit. 238
Adrianopolis rebellio. 191
Adrianopolitæ, & Didymoticini Legatos Conſtantinopolim mittunt, auxilium imploratum. 234
Adrianopolitæ quam celerrimè Imperatori nunciant, quanto in periculo verſarentur, Regemq; feceſſiße quò paratior ad ſe de improuiſo reſiliret, & ſimul auxilium petunt. 256
Adrianopolitani grauiſſimo obſidionis periculo ſoluti, ſe, cum coniugibus & liberis ad noſtrorum conſpectum portis effundunt. 237
Adrianopolitani vicinorum incendio commoti ab Henrico Imp. ſubſidium petunt. Didymoticum captum & euerſum, omnia Ioannißa incendio, & prædæ patere docent. 242
Aduatici Brabantes ſunt ad Traiectum Moſæ. 20
Aedes D. Georgij olim Conſtantinopoli celeberrima Regiorum Turcarum clauſtrorum mole ſubſtructa, prorſus iam immutata cernitur. 189
AEdes Diui Iacobi Riuoalti Veneti Ducis iuriſdictioni ſubiecta. 134
AEdes Diui Ioannis Elemoſinarij Riuoalti Veneti Ducis iuriſdictioni ſubiecta. 134
AEdificia, moles, & ornamenta vrbis Conſtantinopolitanæ. 61
AEgidius Lanoius moritur. 154
AEgidius Milonis Brabantij nepos in Cij defenſione moritur. 252
AEgidius Landaſus Belga in tumultu moritur. 44
AEgidius Traſidius. 28
AEgina vrbs & inſula AEgæi Piræo, atque Attico littori obuerſa. 165
AEni Thraciæ vrbis Catapanichium cum apothecis in Deuot. parte. 167
AEnobarbi in Syriam traiectus. 7
AEris alieni reſidui ſolutio Francis à Venetis prorogatur authore Dandulo. 31
AEtholia regio. 157
Agathopolis. 163
Agnes Philippi Regis Franciæ ſoror Alexij Porphyrogeniti Manuelis filij Conſtantinopolitani Imperatoris vidua, deinde Andronico Imperatori ſecundo nupta, capta vrbe in Bucaleontis Caſtellum confugerat. 126
Agnes Philippi Regis Frãciæ ſoror Alexio Comneno Cæſ. Manuelis Auguſti fil. impuberi nupſit, Andronici opera de medio ſublato, eadem ipſi Andronico, poſt Auguſto coniugata, quo populari ſeditione extincto, tertio Branæ nupſit. 232
Agranonitæ in Venet. parte. 167
Agrippa in Methone vrbe Bogum Mauriciorum Regem Antonij in Actiaca pugna partes ſecutum ſupplicio affecit. 185
Agrippinum talentum Marcha argenti puri. 14
Agrium Caſtellum in Campania Briæ, 8
Agrouinarium in Deuotorum parte. 167

INDEX.

Alani Euxino proximi. 112
Alardus Macharellus, Legatus electus. 12
Albanopolis ciuitas in Venet. parte. 167
Alcinous Rex Phæacum, & eius horti. 54
Alcæus Poeta Mytileneus. 163
Alexander Villaregius mil. Cruc. 37
Alexandria vrbe à Saracenis capta eidem Aegyptij Sulthani imperare incipiunt biennio antequam Mahomethes ſceleratus delirij ſui leges daret. 134
ALEXIVS Porphyrogenitus Iſaaci Angeli Comneni Imp. Conſtantinopolitani filius è carcere, quo ab Alexio Angelo Comneno patruo tyranno detinebatur euadit, & patrem in Regnum reſtituere procurat. 33
Alex. Porphyr. in Italiam nauigat, & Anconam in Picenum defertur. 34
Alex. Porph. ad Philippum Sueuum Germanorum Regem ſororium pergit. 34
Alex. Porph. Tridentum in Rhæticis alpibus ſitum petit. 34
Alexius Porphyrogenitus ad Marchionem Monferratenſem & Barones mittit, qui intercedunt pro eius auxilio. 34
Alexio Porphyrogenito ad caſtra redeundi tempus præfigitur. 48
Alex. Porph. antequam Dandulus, & Barones cum claſſe ſoluerent in caſtra Iaderam peruenit. 53
Alex. Porph. claſſem cum Dandulo, & Baronibus conſcendit. 54
Alexium Porph. in ſublimi biremis parte locatum, vrbē Conſtantinopolim circumuehēdum, ac Græcis pro muris exhibere ſpectādum, cōſtituitur. 70
Alex. Porph. accepto patris nuncio de Imperij reſtitutione March. Monferratenſem ad ſe vocat. 86
Alexij Porph. nouerca Hungariæ Regis ſoror. 87
Alex. Porph. inter Venetorum primores, & Gallorum Equites fulgentibus armis, inſignibus, & criſtis conſpicuus pernobili equo vectus in medio incedens, triumphans inuehitur, & Conſtantinopoli ſuſceptus eſt. 89
Alexij Porph. inauguratio reſignāte Imperio patre Iſaacio decernitur. 90
Alex. Porph. Auguſtus Kal. Aug. inauguratur. 90
Alex. Auguſt. coronatus, per Quæſtorem pecuniam cæpit dependere, quę pro rata nauli Venetis ſolueretur. 94
Alexij Aug. collocutio priuata cum Baronibus. 95
Alexius Aug. de vnione Græcæ Eccleſiæ cum Latina difficultatem proponit. 95
Alexio Aug. multi Barones comites ſe præbent, quorum nomina recenſentur. 97
Alexius Auguſt. exercitum procraſtinationibus, penſionibusq; Græca fide ludit. 103
Alex. Aug. ab Alexio Duca Murtzuflo ſtrangulatus, regio funere elatus. 109
Alex. Aug. ſex menſes imperauit. 109
ALEXIVS Angelus Comnenus tyrannus ſua impietate Venetorum & Francorum animos deflectit. 30
Alex. tyrannus Iſaacium fratrem Conſtantinopolitanum Imp. luminibus orbat, in carcerem conijcit, & Alexium eius filium Porphyrogenitum in cuſtodia tenet. 33
Alex. tyrannus pauidus inſidias vndiq; timens deſtitutus a Ciuibus ad fugam ſe parat. 85
Alex. tyrannus compilata omni imperatoria Gaza paucis mulierculis fugæ conſilium turpiter communicat. 85
Alex. tyrannus Irene filia, & decem auri centenarijs in nauem impoſitis, Euphroſina Imperatrice cum familiaribus in palatio relicta, ſub primam noctis vigiliam fugit. 85
Alex. tyrannus imperauit annos octo, menſes tres, & dies octo. 85
Alex. tyrannus aduentus Balduini metu Moſynopoli fugit. 148
Alex. tyrannus in Bonifacij Marchionis manus cum Euphroſina Auguſta deuenit, vinctus nauique impoſitus in Italiam in perpetuum carcerem ab ipſo Bonifacio mittitur. 174
ALEXIVS Ducas cognomento Murtzuflus Græcorum lingua ſuperciliosum ſignificat, Græcis aptiſſimus viſus ad facinus committendum Alexij Auguſti prodendi. 108
Alex. Ducas Alexio Auguſto belli aduerſus Francos ſuſcipiendi author. 108
Alex. Ducas Alexio Aug. inſigniter carus. 108
Alex. Ducas ad Protboueſtiarij dignitatem per Alexium Auguſtum prouectus. 108
Alex. Ducas cum duos menſes, dies ſexdecim imperaſſet, ab imperio fugiens, vrbe exceſſit. 125
Alex. Ducas ob violatam Eudociam filiam Alexij tyranni a ſatellitio obcæcandus traditur. 148
Alex. Ducas rumore exercitus Franci perculſus profugiens latitare cæperat. 173
Alex. Ducas in columnæ faſtigium a Carnifice ductus, more latronum vinctus, è ſumma ipſius columnæ præcipitatur. 174
Aliza Teobaldi Campaniæ, & Briæ comitis Palatini filia, Bleſenſis amita. 206
Almarici Reges Syriæ. 6
Allobroges populi. 19
Alopetia Inſula ad intimū Mæotides angulum. 195
Aloyſius Bleſenſium Comes centum viginti Equites cum præfectis in Aſiam mittit, oppida, & vicos Nicænamq; vrbem recuperatum. 172
Aloyſius Michael M. Antonij Senatoris filius. 128
Aloyſius Gradonicus Bibliothecæ præfectus. 172
Aloyſius Piſaurus Phyloſophiæ interpres in Veneto Gymnaſio. 172

Aloy-

Aloyſius Valencyrius. 175
Aloyſius Lauretanus Venetæ claſſis Imperat. 187
Alpes Cottiæ. 18
Alpes Graiæ. 263
Alpheus fluuius Peloponneſi. 166
Ambracius ſinus, hodie Sancta Maura. 166
Ambracia, hodie Arta dicta. 166
Ambracia Acarnaniæ metropolis cum ſuis vrbibus in Venet. parte. 166
Americus Luſinianus Cypri Rex. 13
Amphipolis ciuitas Macedoniæ à Ioanniſſa diruta à Bonifacio reſtauratur. 247
Ampulla, ſeu vaſculum ex chryſtallo, Chriſti ſanguinis, qui Berythi ex eius imagine à Iudæis confoſſa ſingulari miraculo manauit. 131
Amurathes Turcarum Imp. Græciæ vaſtator. 158
Anaphe inſula Cretici maris inter Sporadas, in Deuotorum parte. 167
Anactorium in Acharnaniæ Cherſoneſo, hodie Vonizzam appellant, in Venet. parte. 166
Anchiali vrbs in Deuot. parte. 167
Andes. Galli. 11
Andri incolæ Cæſaris filio Alexio ſupplices obuiam pacem petitum veniunt. 59
Andros Inſula Ægæi ad Saronicum ſinum in Venet. parte. 165
Andrus Ægæi Inſula eſt Eubææ proxima Cycladum prior, cum oppido Antandros. 59
Andreas Dandulus Trierarchus. 39
Andreas Dandulus Princeps inſignia ab Henrico mutata vſurpat. 54
Andreas Dandulus Dux poſt Henricum. 128
Andreas Vrboeſus Gallus primus per ſcalas turrim apprehendit & capit. 123
Andrea Griti Principe Riuoalti incendio D. Ioannis Eleemoſinarij templum abſumptum cum omnibus ædificijs reſtitutum. 134
Andreas Nauagerius Bibliothecæ præfectus. 171
Andreas Auria Cæſarianæ claſſis Imp. 187
Andreas Molinus. 224
Andreas, & Hieremias Ghisij Marci filij Thenon, Miconemq; Scyrum, Scyathum, Scopelumq; intercipiunt. 274
Angelus Acotantus Corcyræ Venet. Xvir, 275
Anſelmus Leodienſis mil. Cruc. 11. 71
Anſelmus Peſſinenſis mil. Cruc. 34
Anſelmus Chaenus. 181. 231. 237. 239. 246. 251. 257. 263.
Antecurſores Corcyræ portum capere, nouiſſimosq; præſtolari iubentur. 53
Antigonos Propontidis inſula. 62
Antimericus Villaregius Conſtãtinopoli obijt. 158
Antipodes ab Hiſpaniarum Rege dominati. 179
Antirrhium Naupacto proximum. 166
Antiſtes vrbis in regione Oliuolenſi, quam Caſtellum vocant, reſidet. 15
Apenninus mons. 18
Apollinis templum & Oraculum in Chalcedone. 63
Apollonia Myſiæ minoris oppidum. 180
Apoſtolorum Templũ Conſtantini, & Diuæ Helenæ aliorumq; Auguſtorũ ſepulchris nobilitatũ. 139
Apſorenſis Comitatus vbi. 219
Aquilum Triballorum regia. 246
Ara Diui Nicolai, Leonardi Lauretani Principatu loco religione ſoluto palatij incẽdio, in elegantiorem formam à Franciſco Donato Principe reſtituta, eodem in palatio prope D. Marci ædem. 278
Arabes à quo tempore annorũ initia computãt. 135
Arbæ inſula, olim Scardona Illirici fuit. 219
Arbenſis Comitatus in Illyrio, 219
Arbitri ad componendas difficultates à Bonifacio quinam fuerint electi. 152
Arcadiopolis inferioris Thraciæ ciuitas, & eius ſitus. 191
Arcadiopolim Henricus propugnatoribus vacuam, ac deſertam offendit. 216
Archiœconomus, Gallis maior Seneſchallus, dicitur magnus Domeſticus. 143
Archimandrites Lucedij, Barones ad Alexij reductionem hortatur. 47
Archipyrata in Græcia emergit, qui prædonũ nimbo collecto maris inſulas prædatur. 272
Arctum Zephyrium Cretæ promontorium Sporadibus aduerſum. 276
Argenti Marcharum duo millia de menſa Riuoaltina ſumptas, Duci Barones exhibent. 18
Argonautæ Cio oppido hoſpitati, 250
Arimphæi, vbi ſiti. 195
Armenij mercenarij pedites ſeſe iũgũt Henrico, 175
Arſacidæ Sicariorum genus. 23
Arteſij Comitatus in domum Auſtriacam à Maria Burgunda dotali iure illatus. 178
Arx Galatarum capitur cum portu Conſtant. 74
Aſcalona à Saladino direpta. 6
Aſme inſula Cretici maris ex Sporadibus in Deuotorum parte. 167
Aſſiſiæ leges à Gallis Principibus, & Hieroſolymorum Patriarcha in Syria editæ. 142
Aſſiſijs legibus Antiochenus Princeps, Edeſſanus, & Tripolitanus Comes, item Cypri Rex, & alij vtebantur. 142
Aſſiſias leges Balduinus Conſtantinopolim transferri, & publicari iubet. 142
Aſpropotamos, olim Achelous fluuius, 166
Aſtacum ciuitas, à qua Aſtacenus Sinus. 176
Aſteria inſula ex Cycladibus in Deuot. parte. 166 & 167
Attalus Philadelphus Rex Lydiæ. 177
Athon montem Xerxes Perſarum Rex continenti abſcidit. 163

Digitized by Google

Attica omnium Græciæ regionum olim celeberrima. 164

Athyra, Thraciæ ciuitas, ab Thyra fluuio nomen accepit. 230

Athyrani ciues aufugiunt. 231

Atramyttium Aſiæ ciuitas maritima ad Ægeum mare contra Lesbon conſtituta. 181

Atramyttium Athenienſium colonia eius ſitus, & à quo condita. 181

Attrebates. 11

Auguſtinus Barbadicus Ioannis filius, in bello naua li contra Turcas primus irrumpens, occidit. 166

Auguſtorum ornatus, & geſtamina aurea, quæ pectus amiciunt ad pompam gemmis innumerabilibusque vnionibus, exornata inter. Venetorum theſauros ſpectantur. 129

Aurius Inſulanus Cruc. mil. 9. & 227

Auſtrium Cretæ Promontorium. 276

Axius fluuius, hodie Varadiuus in Theſſalia. 158

Azilia, quam Vatolicam vocant, in Venet. parte. fol. 166

B

BALDVINVS Flandriæ, & Hannoniæ Comes vnà cum Maria vxore cruce ſignantur. 10

Balduinus Venetias Belgio delatus. 26

Balduinus, & reliqui Barones omne argentum, & aurum, & margaritas in medium proferunt. 30

Balduinus legatis Alexij porphyrogeniti reſpondet pro Marchione Monſerratenſe. 35

Balduinus de Baronum, & Danduli ſententia claſſis Flandorum præfecto reſcribit Martio menſe ad ſe mouere, & Methonæorum portum in Peloponneſo peterent. 49

Balduinus ſuorum primam aciem educit, cæteræq; ſuo quoque ordine ſubſequuntur. 73

Balduinus, & eius frater Henricus, Ludouicus Comes Bleſenſis, & Hugo Sancti Pauli Comes ſuis copijs oppugnationem aggrediuntur. 80

Balduinus ad Pontepopti monaſterium in vacuo Murtzufli tabernaculo conſidet; & militum ea ſuper re omen. 124

Balduinus Imperator Coronam ſpineam CHRISTI Saluatoris Ludouico Francorum Regi Lutetiam mittit. 132

Balduinus eligitur Imperator. 138

Balduinus coronatur, & veteri Auguſtorum more in D. Sophiæ eiq; Imp. Calyptra imponitur. 139

Balduinus Sophiano in Templo, atq; aurata in ſella ad aram maximam ab vniuerſo exercitu, Græcisque, qui in Vrbe erant Rex, & Imperator appellatur. 139

Balduinus Imperator inauguratus, in Bucaleontis Palatium deducitur. 140

Balduinus ad hoſtem proficiſcitur. 147

Balduinus Adrianopolim magnis itinerib. peruenit, vbi Henricum fratrem cum copijs excipit. 148

Balduinum Bonifacius ſalutatum adit, multis de ratione belli agit, ſed pluribus in eam partem vt de Regno Theſſalonicę donatum, uelit ad feudum quamprimum dimittere. 149

Balduinus Blaebas Caſtellum capit. 150

Balduinus Theſſalonicā pergēs, quoquo verſus ibat, omnes ad eius fidem ſupplices confugiebant. 150

Balduinus Caſtellum Chriſtopolim in deditionem recipit. 150

Balduinus nuncio accepto de Didymotico à Bonifacio capto, & Adrianopoli obſeſſa in Bonifacium proficiſcitur. 153

Balduinum Dandulus Dux, Bleſenſis Comes, & Conon Bethunius pro Bonifacii compoſitione adeunt, ac ipſum Dandolus alloquitur. 155

Balduinus rebus Propōtidis opitulatum curat. 192

Balduinus fortiter pugnans, viuus capitur, & ad Ioanniſſam Regem Ternobum mittitur. 200

Balduini Ioanniſſæ iuſſu manibus, pedibusq; præciſis, cadauer canibus lacerandum, alitibus, & feris expoſitum, calua autem ab labris auro circundata, gemmisque, & capillis exornata in epulo Regem pro poculo Scytarum ritu immaniter appoſita. 240

Balduinus vixit annos tres ſupra trigīnta, menſes decem, Imperator vnum tantum præfuit. 240

Balduini mores, & facies Cæſaribus ſimiles. 240

Balduinus Vbeniacus profugus. 208

Balduinus Bellouiſus Hannonius miles Cruc. 10. 71. 83. 111. 181. 237. 238

Balduini Reges Syriæ. 6

Baleares inſulę ſub Hiſpaniarum Rege. 179

Balinus egreſſis legatis, re à Venetis, & Baronibus pluribus diſceptata milites in ordines dirigere intendit cui omnes aſſenſum dedere. 236.

Baliuus Imperij Andranopolim uenit, atque in Nebri ripa prope vrbem tendit. 237

Balino Corcyræ inſulæ Cōſiliarijs adiectis per trecentos ſexaginta amplius annos perpetua ac conſtanti incolarum fide in Reip. ditione moderatur. 275

Balini à Græcis ciuitatum præſidiarij magiſtratus dicuntur. 191

Barbyſa flumen in ſinum Ceratinum influit prope Byzantium. 73

Barones Franci omne aurum & argentum ad Dandulum Ducem mittunt, vt redacta pecunia ſolueretur. 30

Barones Iaderæ hybernare vrbemq; atq; agrum contra Hungarorū Regem propugnare conſtituūt. 48

Barones Hybernis exactis, & ſolennibus Chriſti reſurrectionis peractis rem nauticam parant. 51

Barones Franci Corcyrenſibus omnibus cædem, & teſtis ignem denunciant, in Imper. fil. Alexio ex tem-

templo ſe dederant. 55
Barones vniuerſi mutata veſte, & ſordidati cum ipſo Alexio Cæſare, vniuerſi Sacerdotes, Epiſcopi, Abbates, & ſacrati viri prælata Cruce cum infulis, & verbenis ad ſeditioſos reconciliandos concedunt. 57
Barones ad ſeditioſorum pedes accidunt, nec ſe prius ſurrecturos obteſtantur, quàm illi ſpoponderint, ſe ab exercitu non receſſuros. 57
Barones, Comites, & Dandulus in terram deſcendunt ad D. Stephani. 62
Barones Alexij peruicaciã, & oratoris Ruſi audaciam ſtomachati vehementiſſimè cõmoti ſunt. 70
Barones caſtra, & vallo, & foſſa circundant. 78
Barones cum Duce Veneto quomodo victoria vterentur conſultant. 86
Barones Alexium ſolemni pompa in vrbem deducunt. 89
Barones concilio aduocato de Alexii poſtulatis referunt. 96
Barones, Dandulusq; Princeps per Legatos Alexium de pecunia admonent. 103
Barones ab Alexio ſe fraudatos conſpicientes cum Dandulo conſilio inito per vim repetere conſtituunt. 104
Barones, ac Dandulus concilium tuba aduocãt. 109
Barones, Dandulus ac Veneti ad concilium conueniunt, ac pluribus in vtranq; partem dictis ſententijs, ne qua inter Gallos Venetosq; diſſenſionis occaſio, capta vrbe, præberetur, inter ſe pacta legibus confirmant. 115
Barones, & Equites à Raynerio Traiectenſi de Balduini Imperatoris morte certiores fiunt. 239
Barones, & Veneti conſilio capto Conſtantinopolim verſus pergunt. 248
Baronum, & Comitum ſuperuentum certamen multorum cæde conuentum tandem dirimitur. 44
Baſilius porphyrogenitus Samuele Bulgarorũ Principe, non tantum Thraciam, & Macedoniam, ſed Græciam, & Peloponneſum vaſtante ad Sperchium amnem ingenti clade ſuperato, Bulgarorum in Valacchia opes euertit. 99
Baſiliæ familiæ inſigne à Balduino Conſtantinopolitano Imp. donatum. 143
Baſilicarum numerus ingens Conſtantinopoli. 61
Belgradus fluuius in Ceratinum ſinum fluens, olim Hydrales. 75
Belgradum, olim Taurunum dictum, Belgradum vocant, ad Danubij, & Saui confluentes. 98
Bellouaci milites Cruc. 9
Bellum piũ quod contra hoſtes religionis ſuſcipitur. 5
Bellum Conſtantinopolitanum à Ziano in D. Nicolai ſacello ad totius poſteritatis memoriam, & nobiliſſimæ victoriæ teſtimoniũ depingi curauit. 278
Bellum Conſtantinopolitanum pluribus de cauſis iuſtum demonſtratum. 109.110.111
Bellum in Thracia cœptum recrudeſcit. 175
Bello Conſtantinopolitano nullum maius, difficilius, aut periculoſius geſtum. 62
Bello aduerſus Murtzuflum pugnaturi ad imperia accipienda conueniunt. 122
Benedictus Grilionus Venet. Legatus ad Balduinum Imp. Conſtantinopolitanum. 219
Berengarius Italiæ Rex. 271
Bergula Thraciæ ciuitas eſt apud Cherſoneſum eam Franci equites à Græcis vacuam offendentes, caſtra locant. 192
Bergulam Anſelmus Chaenus centum & viginti quatuor equitum virtute tuebatur. 231
Berythus à Saladino direpta, & diruta. 6
Bernardinus Lauretanus, Bibliothecę pręfectus. 172
Bernardus Clareuallenſis Cœnobiarcha. 36
Bernardus Moruillus fidem frangit. 26
Bernardus Montroſienſis mil. Cruc. 10
Bernardus Sombrenchenius mil. Cruc. ibidem.
Beroe Thraciæ vrbs vbi ſita, & à quo condita. 243
Beroenitæ ad Francorum conſpectũ vrbe derelicta in Hęmi iuga, & ſyluas nota pfugia ſeſe abdũt. 243
Berhoena prouincia ab vrbe Pella vſq; ad Hæmum montem in Deuotorum parte. 168
Bertoldus Catzenellembogenſis Comes in Haſſia. 37
Beſſation Archiepiſcopus Nicææ, & Conſtantinopolitanus Patriarcha, homo Gręcus ex Trapezũte vrbe, lux omnium doctrinarum ab Eugenio IIII. Pont. Max. celeberrimo illo concilio Florentiæ peracto, in Cardinalium numerũ aſcitus eſt. 170
Beſſarion in patricium ordinẽ à Venet. aſſumpt. 171
Beſſarion Charitatis Collegium aurea Cruce excellenti artificio elaborata, in qua veri ligni particula Chriſtianæ Crucis necnon eius diuinæ veſtis nõ nihil repoſitum eſt, liberaliter honeſtauit. 172
Beſſarionis effigies ad viuum ducta in Charitatis Collegio Venetiis conſpicitur. ibidem.
Bethunij oratio ad Alexium Auguſtum. 104
Bibliotheca mille trecentorum amplius librorum in omni facultate à Beſſarione Cardinali Reipub. donata. 171
Biblium diripitur, ac deſtruitur à Saladino. 6
Bira in Deuotorum parte. 167
Biziæ ciuitas. 163
Blacchæ Caſtellum opulentum Macedoniæ. 156
Blacherniæ ex porta crebriores irruptiones fiebãt. 79
Blachernium palatium in angulo vrbis ab Anaſtaſio Cæſare conditum. 77
Blachernani Henrico Comitis Balduino fratri deditionem pactis tantum ſalute faciunt. 126
Blanca vxor Theobaldi Sanctii Nauarrorum Regis filia. 21
Blaſius Franſures in pugna Neapolitana cecidit. fol. 128

Bleſenſis

Bleſenſis maternum genus à Francis Regibus. 306
Bleſenſis Adela Ludouici VII. Francorum Regis filia genitus. 206
Bleſenſis æquo acrior, cum hoſtes in cōſpectum ſe dediſſent, ſuam aciem in Scythas primas dirigit. 198
Bocchardus Comes Auiennenſis Margaretæ Balduini filiæ maritus. 178
Bœotiæ, & Thebarum feudatarius magnus Primicerius dictus. 143
Bogus Mauriciorum Rex ab Agrippa, quod in Actiaca pugna Antonii partes ſequutus eſſet, ſupplicio affectus eſt. 185
Bohemundus Antiochiæ principatu ſpoliatur. 6
Bohemundus III. Antiochenus Raymundi Pictauienſis filius in Syria. 49
Bolga Aſiaticę Sarmatię ingens fluuius, quem Rhà veteres, Tartari recentiores Hedilum uocant. 98
Bombardæ artificium apud Germanos à Chymiſta monacho caſu repertum. 38
BONIFACIVS Marchio Montisferrati in Inſubribus, Imperator Crucigerorum electus, & accerſitus, onus ſuſcepit, Crucem in Diuæ Mariæ Sueſſionum Templo à duobus Epiſcopis, & duobus Abbatibus Ciſtercienſibus ſumpſit. 23
Bonifacius Iaderam ſe contulit. 44
Bonifacius, Balduinus, & Ludouicus cum aliis Baronibus concilio inito Alexio porphyrogenito fidem præſtandam decernunt. 47
Bonifacius, & Balduinus cum Alexio porphyrogenito hippagogis, ac biremibus actis Andrum eam capiunt. 59
Bonifacius planitiem cuſtodit. 79
Bonif. cū equitibus Tranſpadanis pompā anteit. 89
Bonifacius qui hoſtem Murtzuflum effugiſſe neſciebat eum exorto Sole per mediam vrbem in equo Bucaleontem verſus explorat. 126
Bonifacius Caſtellum, & Caſtellanos Bucaleontis in deditionem redigit. 126
Bonifacius Agnetem Philippi Regis Franciæ ſororem, Alexii porphyrogeniti Imp. uiduā, & Margaretam Hungariæ Regis ſororem, Iſaaci Imp. viduam, & alias complures primarias fœminas comiter ſuſcepit, & metu ſoluit. 126
Bonifacius Margaretam Iſaacii Imperat. viduam vxorem ducit. 139
Bonifacius Auguſti æquitate fretus, rogat, ut res promiſſas (Ponti ſcilicet, & Bythinię vrbes) Theſſalonicę regno in Macedonia cōmutare uelit. 146
Bonifacius cum multis equitibus regreditur. 150
Bonifacius cum ſuis, & Gręcorum copiis Adrianopolim pergit, ibiq; caſtra habet. ibidem.
Bonifacius Didymoticum Caſtellum deditum præſidio firmat. ibidem.
Bonifacius Villharduinum cum ſocio magno honore ac lætitia in caſtris excipit. 152
Bonifacius Balduino ſalutato vrbe diſcedit, & Theſſalonicam verſus abiit. 157
Bonifacius Cretam inſulam Reip. vendit. 168
Bonifacius Leonis Sguri pręſidia Nauplii, & Corinthi impoſita deiicere deliberat, ciuitatesq; ab ipſo per dolum, & latrocinium ſubactas habere. 182
Bonifacius Corynthum in Iſthmo locupletem olim vrbem obſidet. 183
Bonif. Villharduinū Iuniorē liberaliter tractat. 184
Bonifacius re infecta ab Nauplio copias Theſſalonicam reducit, & vrbem munit. 215
Bonifacius Theſſalonica decedit, & Amphipolim à Ioanniſſa fœdatam reſtituit. 247
Bonifacius Theſſalonicæ Rex Serris decedens Moſynopolim uenit, q̄ vrbs ſtatim deditionē facit. 266
Bonifacius Legatos ad Imperatorem Generum mittit Adrianopolim. 266
Bonifacius Gotthofredo Villharduino Moſynopolim cum agro, aut Serras cum earundem agro, utrum optarit beneficio ſiue feudo dedit. 266
Bonifacius paternum genus à Saxonię Ducibus, maternum à Cęſaribus Auguſtis ducit. 269
